PAVLI IOVII

NOVOCOMENSIS EPISCOPI NVCERINI, DE VITA LEONIS DECIMI PONT. MAX. LIBRI QVATVOR,

His ordine temporum accesserunt

HADRIANI SEXTI PONT. MAX. ET POMPEII COLVMNAE CARDINALIS VITAE, AB EODEM PAVLO IOVIO CONSCRIPTAE.



FLORENTIAE.

Ex officina Laurentii Torrentini

MENSE FEBRVARIO MDXLIX.

Cum Summi pontificis, Caroli V. Imp. Henrici II. *Regis Gallorum, Cosmi Ducis* II. *Florentinorum Priuilegio.*

COMUNIDAD AUTÓNOMA DE LA RIOJA
D. P. DE CULTURA
BIBLIOTECA PÚBLICA
CONSEJERÍA CULTURA, DEPORTES Y JUVENTUD

R/2.461

PAVLI IOVII

HISTORIARVM SVI TEMPORIS

TOMVS PRIMVS

FLORENTIAE

Ex officina Laurentii Torrentini

MENSE FEBRVARIO MDXLIX.

COSMO MEDICI,

DVCI FLORENTINORVM,

PETRVS VICTORIVS

SAL.

EST hoc in more positum, consuetudineque agricolarum, ut, quos primos arbores studio domini satæ, fructus, ferunt, ad eum deferant: ipsumque antè alios uelint sapores pomorum gustare, ac suauitatem illam sentire. Nobis in hoc officiosam nationem imitari, institutumque diligentium colonorum sequi, uisum est. Cum enim tu quoque campum hunc musarum studiosè colueris, stirpesque nobiles multas, ac peregrinas in eo diligentia tua seueris, uidentur ad te potissimum primitiæ ipsius pertinere: amplissimoque nomini tuo, ac tuorum, qui agrum hunc pararunt: incultum tamen, spinisque obsitum reliquerunt, consecrari omnino debere. Cum enim (ut aliquando præclari operis principium ordiremur) magnus aceruus librorum sedulò à nobis euolueretur, incidimus in libros Pauli Iouii, quibus Leonis X. Pont. Max. uitam, resque gestas se perscripturum professus, omnem familiam uestram mira ubertate ingenii, copiaque uerborum ornauit: ac magnis, debitisque laudibus ad cœlum tulit: Vt enim antiquis plurimis, & Græcis, & Latinis scriptoribus bibliotheca referta est, ita etiam monimentis nouorum ingeniorum abundat: nec parua inferioris ætatis auctorum copia illuc congesta est. Quod ab eximia liberalitate uestri generis, summoque amore in literas, cæterasq; ingenuas artes, profectum est. Eos igitur placuit primos excusum dare, quòd lucem non paruam uestris rebus allaturi sint: quanquàm domus tua per se clarissima est: & in summum iam pridem honoris, dignitatisque gradum peruenit. Sed eò etiam libentius hoc fecimus, quia Cosmus ille, cuius tu, quemadmodum nomen refers, ita etiam uirtutem imitaris: ac Laurentius nepos, qui in his libris

ualdè celebrantur, fons atque origo huius beneficii, quo tu perpetuò tibi animos ſtudioſorum obligabis, fuerunt: certos enim homines, huic negotio conficiendo idoneos, in Græciam miſerunt, atque huc magnam uim optimorum librorum conuexerunt: ſed etiam adhibita ſumma diligentia Latinos multos ex hac noſtra terra coëgerunt, exſcribendoſque ubique magnis ſumptibus curarunt: Hoc enim quoque ab amatoribus literarum ignorari: patique longitudine temporis obſcurari, æquum non erat. In hoc uerò opere, ut reliquæ maiorum tuorum ſingulares uirtutes illuſtrantur, ita etiam egregia hæc uoluntas, operaque erga ſtudia literarum: excellenſque liberalitas in ſtudioſos earum, celebratur. Præterea (quod in omni negotio primum eſt) lætum, fauſtumque initium auſpicari uoluimus, ut, quemadmodum honeſta hæc familia ab his racidibus orta, diu floruit: ſemperque magis admirabilibus quibuſdam, diuinisq; rationibus ſtatum ſuum auxit: nunc autem in primis uiget, ac maiora, præſentioraq. bona, uirtute præſertim atque prudentia tua hominibus de ſe pollicetur, ita etiam ingens hoc beneficium, à maioribus illis tuis natum ſtudioque eorum, qui ſequuti ſunt, retentum: à te uerò nunc noua hac ratione ualdè amplificatum, & in fines omnium terrarum prolatum; cotidie magis creſcat, utilitatesque infinitas cupidis bonarum artium afferat. Quod & tota mente debemus optare: &, cognita animi tui alacritate, qua rem aggreſſus es, conſtantiaque in conſiliis tuis ad exitum perducendis, licet ſperare.

Vale.

PAVLVS IOVIVS EPISCOPVS NVCERINVS AD ALEXANDRVM MEDICEM REIPVBLICAE FLORENTINAE DVCEM MAGNANIMVM.

QVM vitam Leonis Decimi patrui tui, efflagitante Hippolito Cardinale, is enim me ad id munus ſuſcipiendum liberaliter inuitarat, ac demum cohortante ipſo & cuncta ordine docente Clemente pontifice, quatuor libris abſoluiſſem, vtrunque magna fortunæ acerbitate hora fatalis eripuit. Itaque orbatus duobus longe maximis atque certiſſimis vitæ ſtudiorumque meorum præſidijs, me rectè perſancteq; facturum exiſtimaui, ſi eæ vigiliæ, quæ maiorum tuorum memoriam continerent, ſub tutela tui nominis ederentur, quum iure optimo ſucceſſionis, non modo principatus fortunarumque omnium, ſed etiam veræ gloriæ, cuius Medicea gens auidiſſima ſemper fuit, hæreditatem ſis conſecutus. Quando ſupra opes vetuſtatemque originis & domeſticam diſciplinam, qua incomparabili elegantiæ cum laude maiores tui floruerunt, noua decora & auguſtiora quidem intra penates inuleris, nequaquàm parta, ludentis fortunæ temeritate, ſed grauiſſimis quæſita uirtutibus. Præbuiſti ſiquidem vixdum pubeſcens non ambigua adhuc & incerta luce indolis, ueram ſpectatis operibus virilis & viuidæ virtutis opinionem, quum Cæſaris armis recepta Florentia, rempublicam popularium dira ambitione deformatam, ad optimatium authoritatem atque conſilium reuocares, promulgareturque ſubinde illud generoſum & ſalutare Amneſtiæ decretum, & quo nihil afflictæ ciuitati ſalubrius fuit, expeditis & incorruptis iudicijs per ſingula fora conſtitutis, æqualem cunctis ſynceri conſtantiſque animi gratiam & ſtudium pollicereris. Intra enim quatuor tantum indomitæ inſaniæ capita, octouiralis gladius legegerat, ac eo ſeueritatis & clementiæ temperamento acerbiſſimis & veteribus inimicis vrbem repurgaſti, eaque animi conſtantia tuliſti patrui pontificis interitum, & dum aduerſus iuquietorum ingenia & externam vim munitiſſimam arcem erigeres, ea felicitate inſidiantium vitæ tuæ, propinquorum tela, & machinas euitaſti, ut in his aſperrimarum rerum actionibus, neque abſoluta attaui Coſmi prudentia, neque proaui Laurentij à prealto ingenio matura celeritas, neque Leonis præclara & ingens animi magnitudo, neque clementia moderatio & patientia, quibus Clemens aliquanto clarior quàm felicior fuit, deſiderari poſſe uiderentur. Has nimirum

virtutes agnouit Cæſar, filiamque tibi maturatis nuptijs coniugali in thoro collocauit, Quo incomparabili facto & Cæſar ipſe ſingularem præſtantis iudicij eximiæque liberalitatis & inconcuſſæ fidei laudem eſt adeptus, & opes tuæ aduerſus omnem inuidiam firmiſſimæ conſtitutæ. Tu vero enixe contendes, vt certam harum opum et uirtutum poſſeſſionem non ſolum tuea re diligenter, uerum etiam promotis finibus foriter extendas, Dabisque ſubinde operam liberis, vt hic qui in te vno viget, nobiliſſimæ ſtirpis ſanguis felici Margaritæ vxoris fœcunditate propagetur. Speramus enim te procreaturum liberos Auguſto ſocero, & maioribus tuis viri tute perſimiles.

VALE.

PAVLI IOVII EPISCOPI NVCERINI IN VITAM LEONIS DECIMI PONTIFICIS MAXIMI

PRAEFATIO.

AD HIPPOLYTVM MEDICEM CARD. AMPLISS.

LAURENTIVM Medicem auum tuum magnanime Hippolyte, qui domum veſtram in hanc, quam iuſta religione veneramur, auguſtiſſimæ dignitatis amplitudinem felici virtute prouexit, dicere ſolitum accepimus, nullum ex toto humanæ vitæ negocio opulentius atque præſtantius patrimonium liberis relinqui, quàm uirtutis & gloriæ; harum alteram diligenti educatione liberalique diſciplina, & domeſticis maxime exemplis facile comparari; alteram veluti ab his certiſſimis ſeminibus procreatam, enaſci ſua ſponte, & coaleſcere in immenſum. Qua præclara voce, vir ætatis ſuæ ſapientiſſimus intelligi volebat opes prope uniuerſas, principatus, affluentiſq; Fortune caducas & inſtabiles; egregiæ vero virtutis & laudis poſſeſſionem, non modo eſſe longe firmiſſimam, verùm etiam in uſum omnis poſteritatis maxime diuturnam. Neque id ſummi viri iudicium hactenus impotens Fortuna viſa eſt vlla ex parte fefelliſſe, quum adeo inſolenter ac acerbe, ereptis omnibus ſubſidijs ac ornamentis, familiæ veſtræ nomen afflixerit, ut nihil omnino relinqueretur, præter ingenitum inuictis animis veſtris eximiæ virtutis ſtudium, quo illud pene extinctum reuocari ab interitu, priſtinæque dignitati reſtitui, ad non dubiam ſalutem humani generis ſæpe viderimus. Hoc profecto ardentis & rediuiuæ virtutis lumen, Laurentius à Coſmo Petroque acceptum, per manus, uti in curſu veteres Græci lampada ſequentibus dare erant ſoliti, Leoni Clementique tradidit, ut tibi demum cunctis naturæ fortunæque muneribus ornatiſſimo, lætiſſima ſucceſſione traderetur. Itaque quod tibi vni iure optimo debebatur, Leonis patrui tui effigiem veræ ſimilitudinis, quantum fideli ſtilo præſtari potuit, latiſſime expreſſi, in hoc non inepte (vt arbitror) pictorum morem ſecutus, à decreto in eadem tabula, ambitioſe vagantium, ſcilicet ut maiorum quoque tuorum vultus, illam virtutem viuide ſpirantes, quam tu feliciter æmularis, obiter conſpicerentur. Quibus propoſitis auguſtæ virtutis hortatoribus, facile ſperauerim, te ab excelſi flagrantiſq; animi magnitudine non modo æquaturum gentilitias laudes, ſed multò altius atque felicius ad gloriam prouolaturum; ſiquidem in ſumma indole, primæ fere lanuginis, quum ſingularum uirtutum, quæ in maioribus tuis enituere ſingulos flores, rara felicitate decerpſeris, ita ſtudia tua nobiliſſimarum diſciplinarum atque artium ſpectatis operibus, & incredibili quadam ingenij fœcunditate protuliſti, ut iam florentiſſima ingenia, quæ domi liberaliter alis, non plus te uti admirabilis

beneficæque naturæ dominum obseruent, quàm ab erudita ingenij subtilitate, magistrum censoremque suspiciant. Sed hæc magna & mira fortasse in cæteris senatoribus in te perfecto minora angustioraque sunt illo pernobili militaris animi tui vigore, quo dudum in Pannonia Solymano, trahenti totius Orientis opes & copias armatus occurristi, Quum tam forti quàm pio constantis animi decreto, ad non dubiam spem inusitatæ laudis te ipsum pro Christiani nominis salute deuouisses. Ab hac quidem ardentis ingenij mirifica cupiditate, quando in oculis fortissimarum totius Europæ nationum, ad vberiorem victoriam sacrato dignus exercitu spectaris, eam nominis famam prætulisti, vt secundissimo quodam fato in hanc lucem instaurati sæculi productus esse uideare ad sacri ordinis amplissimum decus, & ad solidam Clementis patrui felicitatem, in cuius tutela omnis iam Italia, diuino eius consilio par tapace, con quiescit.

VALE.

ANGELI CONSTANTII NEAPOLITANI.

Fleuit Alexander tumulum quum uidit Achillis
Et dixit fastos heu nimium cineres
Quorum Mœonij testantur sacra poetæ
Carmina uictrici prælia gesta manu:
Idem uitales si nunc quoque carperet auras
Diceret ingenti liuidus inuidia
Saluete o Decimi felicia busta Leonis
Quem sic facundo Iouius ore canit.

VITA LEONIS DECIMI PONT. MAX. A PAVLO IOVIO EPISCOPO NVCERINO CONSCRIPTA.

MEDICEAE gentis nomen tametsi multis antè annis in Etruria admodum illustre fuerit, certam tamen ac stabilem magni COSMI virtute claritatem cepit. Nam Syluester qui Vicecomitis Insubrum Ducis impetum in Apennino strenue retardauit, & Auerardus atque Ioannes quondam opibus ac vrbana gratia florentes, nunquàm vel equestris ordinis dignitatem, vel ordinarios liberæ ciuitatis honores, inter multos æquales patritios excesserunt. Fuit autem COSMVS Leonis X. Pont. Maximi (cuius vitam scripturi sumus) proauus. Eum ab ineunte ætate adeo graui, excelsoq. ingenio extitisse ferunt, vt perspicacissimi ciues (quorum ea ætas admodum ferax fuit) iuuenem COSMVM ad omnia summa natum esse iudicarent. Excoluerat enim se pertinaci labore cunctis iis artibus ac disciplinis, quæ homines vera virtutis gloria perbeatos ac Diis similes efficere consueuerunt. Pietate in primis eximia, cum probatissimæ vitæ sacerdotibus certabat, vitæ quoque temperantia, honestate, doctrinaq. cum optimis philosophis contendere erat solitus, magnitudine vero animi, magnificentia ac liberalitate, vel opulentissimis regibus æquabatur. Quibus moribus tametsi singularem ab omnium ordinum hominibus gratiam maturè collegerat, inuidiæ tamen, tantarum etiam virtutum subsidio fretus, resistere vix potuit. Circumuentus enim ab inimicis, & ab iis qui specie honesti nimiam eius potentiam formidabant, ceu mox offuturam publicæ libertati, in carcerem est coniectus. Verum in tanti viri capitis discrimine consternata maxima parte ciuitatis, aduersus paucorum potentium crudelitatem pluribus sententiis atque suffragiis est impetratum, vt virtuti ac innocentiæ parceretur. Inde cum exulatum Venetias abiisset, tanta animi fortitudine ac industria apud omnes egit, ut nō modo famam ac fortunas suas (quas inimici acerbissimo liuore inducti, cōturbatas ac penitus conuulsas uidere cupiebant) vbique terrarum egregie conseruarit, sed & suis ciuib. & Venetis longe prudentissimis Senatoribus, multo quàm antea sapientior ac admirabilior euaserit. Secuta demum est non toto vertente anno in Rep. Florentina mira tranquillitas æquissimis hominibus in magistratu succedentibus, ita vt COSMVS, qui Reipublicæ turbulentissimorum ciuium ui atque audacia commotæ, sæuis fluctibus in alienam terram eiectus fuerat, incredibili studio atque pudore totius ciuitatis in patriam sit reductus. Tum uero renouata constitutaq. Republica, pernicioſis vel suspectis ciuibus Senatu amotis aut expulsis, probita-

ti, bonísque artibus digniſsimus locus eſt patefactus. Ab eo enim tempore Florentini eiuſdem diuini hominis conſilio ſæpe pro communi pace, pro patria libertate, amplitudinéque imperii feliciter arma tractarunt, priuatas opes auxerunt, vrbémque ſuam eximiis cunctarum artium ornamentis illuſtrarunt. Ipſe COSMVS, vt erat incomparabili iudicii grauitate, infinitáque prudentia, ſupra cæteras res omnes, ſtudioſis egregiisque rerum ſcriptoribus fauendo donandóque immortalitatem literarum beneficio glorioſa quadam auiditate concupiuit: quòd ciues quibus ipſe permulta pecuniæ atque honorum beneficia contuliſſet, uel immemores aliquando futuros uel omnino interituros diceret. Itemq. prætoria, villas, templaq. ab ſe regio ſumptu ædificata, haud multo poſt vel temporis uel hominum iniuria labefactari poſſe, ac abſumi penitus arbitraretur. Erat priuatis in rebus ſuis domeſticisque ſumptibus natura & conſuetudine minimo contentus, utpote qui ciuili cultu viueret, frugalíque & munditiis potius referta quàm lauta menſa vteretur. At cum clari hoſpites & præſertim aduenæ uirtute inſignes occurrerent, nullis uel maximis ſumptibus parcendum putabat, quin ſplendidiſsime excipiendo largiendóque totum pecuniæ uſum facultateſque omnes ad ſplendorem & gloriam reuocaret. Vixit ad ſummam prope ſenectutem integra authoritate ac florenti ſemper gloria recte atque feliciter ad miniſtratæ Reip. & in ea quoque parte beatus, quòd non modo Petrum filium probitate ſingularique prudentia præſtantem, uerum & nepotes pueros auita ſummarum virtutum indole conſpicuos relinquebat. Moriens COSMVS PATER PATRIAE decreto publico eſt appellatus, idq. ſempiterni honoris causa marmoreo eius tumulo fuit inſcriptum. COSMO vita functo Petrus filius regendæ Reipublicæ gubernacula, quæ pater plurima ex vſu præcipiens de manu tradiderat, cunctis ab initio fauentibus cepit. Sed non multo poſt in eum inteſtina occultáq. odia è tenebris infenſiſsimorum animorum eruperunt, quæ Mediceorum æmuli authoritate & fortunis admodum potentes, viuente COSMO varia diſsimulatione compreſſerant, cum vim inueteratamque prudentiam cautiſsimi ac excelſiſsimi ſenis pertimerent. Erat enim Petrus recto potius, conſtantiq. animo, quàm acri atque vehementi, ob idq. etiam eum opportunum iniuriæ putabant, quòd ab diuturnis atque læuiſsimis articulorum doloribus ſe ipſo hebetior factus, magnam partem innati vigoris amiſiſſe videbatur. Itaque multis rerum nouarum cupidis, aut inexpiabili liuore flagrantibus, ad commutandum Reipublicæ ſtatum intentis, duæ ueluti per iocum ciuium factiones ſunt excitatæ, eorum ſcilicet qui montana aut plana vrbis incolerent. Quibus nominib. haud obſcure Lucas Pittus paulo ante COSMI æmulus ueluti factionis princeps indicabatur. Nam Lucas ad Romanam portam editiore in loco ad effigiem munitæ arcis ingentem domum extruxerat, ut COSMVM magnificentiæ gloria ſuperaret, qui ſuas ædes trans Arnum amnem plano

vrbis

vrbis loco ex ueteris architecturæ præceptis elegantiſsimas ædificaſſet. Coniuratum eſt in Petri caput, quòd aliter occupandæ reipublicæ negotium tranſigere poſſe deſperabant. Conſtitutúſque inſidiis locus ad ſub urbanam ædem diui Antonii, vt redeuntem è Caregia villa illigatum faſciis ac vſu pedum carentem interficerent. Sed Dii ea die innocentiſſimi hominis ſalutem egregie ſunt tutati. Nam Petrus de inſidiis certior factus, diuerſo itinere in urbem eſt delatus, detectíſque inimicorum conſiliis, ut Remp. malis ciuibus repurgaret, nouósq. ſubinde ſenatores deligeret, armatum populum ad concilium aduocauit, cuius ſtudio atq. authoritate qui res nouas moliebantur Senatu ac patria exacti ſunt. In iis fuere uiri nobilitate ſpiritu atq. opibus inſignes, Angelus Acciaiolus equeſtris ordinis, Deteſaluius Nero, & Nicolaus Soderinus, qui ſummum paulo antè in ciuitate geſſerat magiſtratum. Ii cum ſuis conſiliis perculſi atq. afflicti, Florentia profugiſſent, adiréntq. longo errore cunctos Italiæ principes, ſollicitandis tentandíſq. eorum animis, undiq. Petro Medici bellum concitabant. Sed ille Galeacio Sfortiæ & Ferdinando Aragonio arctiſsimo fœdere atque amicitia coniunctus, euocatis ad Etruriæ præſidium eorum copiis, facile inimicorum ſuorum conſilia atque impetum fregit. Eo tamen anno, qui Petri uitæ ultimus & à morte COSMI octauus fuit, illi iidem exules Bartholomeo Coleone in Flaminiam cum ueteranis ac ingentibus copiis perducto, magnos belli motus excitarunt. Qui tumultus repente exortus cæterorum principum animos Mediceorum periculo permotos ad tuendam communem ſalutem ac libertatem erexit. quòd id bellum haud obſcure Venetorum auſpiciis geri videretur, qui iampridem totius Italiæ imperium immoderata ac impudenti quadam auiditate concupiſſent. Quanquam ipſi ad eleuandam turbatæ pacis infamiam, ſe Coleonem (qui uetus eorum erat imperator) cum magna parte exercitus dimiſiſſe, eíque imperii militaris titulos abrogaſſe prædicarent. Galeacius ob eas res traiecto Pado Coleoni ualidas copias ac acerrimos duces oppoſuit. atq. ipſe cum vxore ac ornatiſsimo comitatu ad tuendam firmandámq. Mediceorum dignitatem Florentiam eſt profectus. Venientem incredibili alacritate ac pompa ciues ordine obuiam egreſsi, ipsíq. Medicei iuuenes Coſmianis in ædibus exceperunt. Interim ad Ricardinam amniculum in Bononienſi collatis ſignis eſt dimicatum: & adeo pertinacibus animis, ut cum in noctem vehementiſsima pugna traheretur, armigeri pueri quiete extra ordines circunfuſi, ueluti ludicro in ſpectaculo concurrentib. turmis funalia præferrent. Cæterum arte virtutéq. Federici Vrbinatis, qui hoſtem ſub occaſum ſolis, ab multo diei æſtu feſſum, poſitíſque armis nihil iam de imminenti pugna dubitantem adortus fuerat, & tum & in poſterum Coleonis impetus fortiter eſt repreſſus. Nec multo poſt Borſius Ateſtinus Ferrariæ princeps, qui ſe inter diſsidentes pacis ſequeſtrum obtulerat, compoſita omni controuerſia Etruſcarum rerum ſtatum pri-

ſtinæ paci quietíq. reſtituit. Ab ipſo autem Petri exceſſu Laurentius & Iulianus filii eximio Sænatus ac populi fauore munia gerendæ reipublicæ ſuſceperunt. Duxerant illi naturæ ac ſtudiorum ſimilitudine concordes à teneris annis uitam humanitate, modeſtia, literis, ac omni deniq. ciuili uirtute perpolitam. Vſi nanque Gentile Aretino præceptore longe doctiſsimo atque ſanctiſsimo, ab ipſis maiorum ſuorum veſtigiis minime abſcedendum eſſe didicerant. Plurimum quoq. valuerat ad regendam puerorum indolem, ut in lubrica ætate, Lucretiæ Tornabonæ matris diligentia, quæ morum omnium erat moderatrix. ea enim grauitate uirilis animi, pudicitia ſtudióque virtutis cunctas ætatis ſuæ fœminas ſuperabat. Nec in poſtrema eius laude fuerit Aloiſium Pulcium nobilem poëtam ipſius matronæ ingenio ac liberalitate adiutum, Morgantis fabuloſi herois admirandas uires Etruſco ac immortali carmine celebraſſe. Acceſsit quoq. togatis ac ciuilibus artibus exornatis armorum equitandíque peritia, qua tantum vix dum pubeſcentes excelluêre, ut Iulianus iuuenilis decoris auidus propoſito ingenti præmio nobiliſsimos ac fortiſsimos quoſq. equites è tota Italia ad ludicrum certamem inuitarit. Cui ſpectaculo, apparatu, frequentiáque hominum valde memorabili Petrus pater præfuit, annotatúmq. eſt Iulianum acclamantibus ac fauentibus cunctis, multo plures quàm quiſquàm alius haſtas triplici ferro præpilatas in aduerſis concurrentium equitum pectoribus perfregiſſe. eius glorioſi laboris præmium fuit triumphus Politiani diuini poëtæ carminibus celebratus. Nec multo poſt Laurentius, vt fraternis laudibus æquaretur, nouum ſpectaculum periculoſiſsimæ pugnæ edidit: in quo non ſinguli equites cataphracti de more intermedia erectarum tabularum linea diſcreti concurrebant, ſed conglobati confertis turmis ad ueri certaminis imaginem libero in campo dimicabant. Huius quoque ſpecioſiſsimi certaminis memoriam Pulcius ipſe Politiani æmulus periucundo edito poëmate ſempiternam fecit. Iis artibus atque animis cum haud dubie iuuentutis principes euaſiſſent, tametſi complures illuſtribus familiis orti gloriæ eorum ac potentiæ inuidebant: vniuerſæ tamen ciuitatis conſenſu, digni rerum faſtigio, ac principe loco ferebantur. Nam ipſorum domus veræ munificentiæ, iucunditatis, elegantiæ, virtutúmq. omnium officina cunctis patebat: ſuperbia, libidine, audacia, ſimulatione, liuoréq. penitus excluſis. Nec multo poſt Laurentius, cum animi, tum conſilii magnitudinem ueris operibus oſtendit, quum forte Volaterrani occiſo prætore propter imperii acerbitatem, & ſalinarum controuerſiam, à Florentinis defeciſſent. Nam plerísq. prudentiæ, opinione clariſsimis ſenatoribus, propoſita uenia potius quàm vi ad officium reducendos eſſe iudicantibus, ipſe contra magnifice diſputando peruicit, vt ciuitatem quæ crudeliter atque ſuperbe rebellaſſet, bello perſequerentur: ne quodam inani ac pernicioſo clementiæ lenitatiſque nomine, publicam imperii dignitatem amitterent. quam omnino, & fœde quidem

dem apud cæteras eſſent amiſſuri, niſi in reos maieſtatis,& nefaria arma tenentes, uim exercerent. Itaque eius ductu bellum Volaterranis illatum. Qui omni belli clade perdomiti,expugnatíque tormentis,ac admirandis ingentibúsq. ligneis machinis, ad extremum temeritatis atque ſæuitiæ ſuæ pœnas dederunt: ſic ut duplicem Laurentius,cum induſtriæ militaris, tum ciuilis clementiæ laudem tulerit, quòd ſumma cum dignitate rebellantem vrbem recepiſſet, & hoſtibus quanquàm ſanguinariis & maxime contumacib. vitam & libertatem ac magnam bonorum partem conceſsiſſe videretur. Cæterum inopina uis fati humana uirtute potentior, eos omni laude florentes, repentino ſæuóque turbine inuoluit & obruit. Succeſſerat Paulo Secundo Xyſtus IIII. Pontifex ſupra ſacrarum literarum notitiam bonis malísque artibus inſtructus. Is pontificiam dignitatem augere,imperium armis proferre, Hieronymúmq. præſertim ſororis filium principatu urbium, ac ampliſsimis fortunis honeſtare cupiebat, quando iam cæteros affines Petrum & Raphaelem insignibus ſacerdotiis ditatos cardinei pilei honore decoraſſet. His conſiliis,quominus ad exitum perducerentur, Laurentii ingenium,inſignísq. authoritas maxime officiebant: quoniam in eius manu conſilióq. reipublicæ Florentinæ opes ſitæ erant,ſenſúsq. is habebat à Pontificis cogitationibus penitus alienos. Nam Xyſtus antea Laurentium pro Iuliano fratre in petitione cardinalatus omni ope atque induſtria contendentem diu ac multum ludificatus,differendo ac demum negando,animum eius ac exiſtimationem vehementer offenderat. Quamobrem Laurentius, qui tranquillitatis atque otii ſtudio potentiam principum in Italia exæquatam uolebat, nec Pontificis vires nimio plus creſcere patiebatur, aduerſarium ſe libidini eius immoderatísque conſiliis ſemper oſtendit. Vitellios, quos Xyſtus vt Tiferno patria expelleret, bello perſequebatur, pecunia omnibuſque auxiliis adiuuerat, & ne Pontifex Imolam Flaminiæ urbem coëmeret (quam Regulus egeſtate atque deſidia præceps uenalem proponebat) interpoſitis per amicos menſarios rei numariæ difficultatibus, impedimentum attulerat: ita vt iam Laurentio cum Pontifice apertæ ſimultates intercedere uiderentur. Erat tum in urbe Franciſcus Pactius nobilis trapeſita, cuius familia Florentiæ uetuſtate, viris, atque opibus erat inſignis, ac ob id Mediceis admodum infenſa.Is ingenio peracri & ſæuo Mediceos fratres, quos rerum dominos ferre non poterat, maligne ac acerbiſsime eorum gloriæ obtrectando,Pontifici facile commiſit, operámque ſuam audacter pollicitus eſt ad eos interficiendos, ſi pontifex Florentinis in libertate educatis, qui graue ſeruitutis iugum fortiter eſſent excuſſuri, cum ipſa illuſtri authoritate, qua plurimum poſſet,tum præſentibus etiam opibus faueret.Xyſtus,ne tam atrox ſceleſtúmq. conſilium ſanctis auribus admiſiſſe videretur, rem tam occulte tractandam perficiendámque Hieronymo demandauit, egitque cum Ferdinando Aragonio, vt Alfonſus eius filius cum exer-

citu in Etruriam mitteretur, ea ſpe, ut ſublatis aut eiectis Mediceis, Florentinos ſibi eo beneficio obſtrictos, ſolenni fœdere conſociaret, quorum poſtea auxiliis nixus, maiore cum dignitate atque potentia ſummi pontificatus iura tueretur. Aſciſcuntur inter coniuratos archiepiſcopus Piſanus è nobili Saluiatorum familia, qui priuatas cũ Laurentio ſimultates, eius ſacerdotii nomine conceptas exercebat: Itémque Monteſiccus vir militaris Hieronymo fidus, qui ut erat manu, ac ingenio promptus, patrandæ cædis negocium ſuſceperat. Itaque alius alia de cauſa ſimulanter diuerſo tempore Roma profecti, Florentiam perueniunt: eò etiam mittitur Raphael Riarius cardinalis Hieronymi frater adoleſcens; ut ſi qui dubii ac timidiores forent, ob eius præſentiam maiore demum fiducia ad maturandam cædem inducerentur. Proinde omnibus conſanguineis atque gentilibus, & amicorum clientúmq. præcipuis ſcelerato conſilio adhibitis, in templo diuæ Reparatæ longe omnium eius vrbis auguſtiſsimo, facinus patrare conſtituunt. Id uerò temporis momentum pro teſſera ad ſtringendas ſicas cunctis eſt datum, quo mediis in ſacris Euchariſtia populo oſtenderetur. Nec mora Franciſcus ipſe Pactius, Bernardúſque Bandinus Iulianum (quem familiariſsime & comiter fabulando medium tenebant) repente confodiunt. Alii eodem temporis puncto Laurentium adorti, eum ſupra iugulum in ceruice conuulnerant. Sed ille amicis haud impune protegentibus, in proximum ſacrarium ab ædituis receptus, coniuratis ſubinde ianua prohibitis, ſeruatur. In tanta trepidatione ac fuga omnis ætatis ac ſexus hominum longe tumultuoſiſsima, populus incredibili ſtudio ac pietate erga Mediceos, arma capit, ac eorum nomen ingeminat, optimi quique eo immani execrabiliq. ſcelere permoti, coniuratos perſecuntur, alios trucidant, alios uiuos ad ſupplicium in Curiam perducunt. Eodem quoque tempore Saluiatus antiſtes, qui officii ſpecie cum magno comitatu ad Vexilliferum, Octouiróſque reipublicæ præfectos de more ſalutandos aſcenderat, ut curiam occuparet, audito fremitu diſcurrentis ad arma populi, pauide ſuis ipſe implicitus ſermonibus comprehenditur, ſtatímque ipſe affinéſque eius omnes comites, vulgata inauditi ſceleris atrocitate è feneſtris ſuſpenſi laqueis præcipitantur. Franciſcus etiam Pactius, coniurationis princeps, quem populus domi ceperat, ab eadem feneſtræ columnella, è qua pendebat Antiſtes, deicitur, cæteríq. eorum ſatellites curia incluſi apparitoribus ſtrenuè operam nauantibus, iugulantur. Nihil atrocius eo ſpectaculo fuit, nam cum frequentes Curiæ feneſtræ deligandis capiſtris non ſufficerent, ut ſequentium ſuppliciis expeditior locus foret, laquei antè deiectorum ac morientium præcidebantur, ita ut Magiſtratus ſupremæ pœnæ loco parricidarum cadauera iratæ multitudini, vncis trahenda, ac in perfluentem Arnum præcipitanda relinquerent. Laurentius in tanta repentini caſus acerbitate, de Riarii cardinalis ſalute max im e ſollicitus, vix impetrauit, ut ei qui ad aram maximam confugerat,

gerat,parceretur;quòd propter adoleſcentiam,ac ingenii ſimplicitatem tantæ rei conſilium ei minime commiſſum fuiſſe arbitrabatur, ac ſimul ut eius beneficii nomine, infenſiſsimi pontificis voluntatem aliquando redimeret.biduo poſt pari ſtudio ac diligentia montanorum hominum in ſummis Apennini iugis ex fuga retracti ſunt Monteſiccus & Iacobus Pactius dignitate atque opibus eius familiæ princeps, qui ad quæſtionis examen patefacta coniuratione, eandem fœdiſsimi ſupplicii contumeliarumque omnium fortunam tulit: Solus autem Monteſiccus, qui ad Laurentii cædem fuerat deſtinatus, mitiorem ſupplicii pœnam,ſepulturámque promeruit, quòd hominem diuina uirtute præditum in conſpectu Deorum immortalium ante aras ſe percuſſurum omnino pernegaſſet. Siquidem Laurentius paulò antè Monteſicci animum perhumano liberalíque ſermone molliuerat,adeóque benigne induſtriam ac opes ei fuerat pollicitus, ſi quædam in Apennino caſtella quæ Monteſiccorum fuiſſent,redimere uellet:ut ille commutata voluntate mirum in modum ei deuinctus abierit. Vnde iam conſtat, ad præclarum in omni vitæ actione præceptum, nihil in principe ſalubrius eſſe,& ad laudem præſtãtius, quàm humanioribus reſponſis vel infimæ fortunæ homines ab ſe dimiſiſſe. Iuliani demum funus, maximo luctu totius populi, Pactiorum ſimul ac Saluiatorum nomen execrantis,eſt celebratum. Fuit enim in eo iuuene ſingularis humanitas cum inſigni liberalitate cõiuncta, qua ſibi ab omnium ætatum ac ordinum hominibus; incredibilem beniuolentiam compararat. Natus ei eſt,altero circiter atque triceſimo die filius poſthumus nomine Iulius, non modo liniamentis oris, ſed toto corporis habitu ei ſimillimus: Qui poſtea accepto Clementis Septimi nomine,mortuo Hadriano, pontificatum maximum eſt adeptus. Ita vt diuina ratione atq. iuſtitia potius quàm ulla ui uel iniqua ſorte occultioris Fati, mortalium fortunam diſpenſari ac regi penitus arbitremur:Quando Dii ipſi non eos modo, quos nulla hominum poteſtas, nulla poſteritatis verecundia, nullus denique ſacrorum reſpectus à concepto nefario ſcelere retardarint, meritas ſupplicio pœnas dare coëgerint: ſed ipſorum etiam fratrum qui ſtrictis pugionibus ante aras petebantur, liberos inſigni prouidentia ad ſupremæ dignitatis faſtigium naſci uoluerint. Nec multo poſt Laurentius obligato adhuc vulnere, ad ciues longam habuit orationem, qua innocentiam ſuam commemoratis erga omnes perpetuæ ſuæ lenitatis, modeſtiæ,ac liberalitatis officiis, abunde eſt teſtificatus. De inimicorum uerò crudelitate atq. perfidia, tanta animi grauitate moderationéque diſſeruit, ut pleríſque lachrymas exciuerit: dubios uel ante infenſos ciues traduxerit in partes: ac demum vnus iam plane princeps ciuium omnium factus, Remp. ad arbitrium adminiſtrare cœperit. Iam Alfonſus cum Pontificiis paterníſque copiis in Senenſem agrum peruenerat: ab aliíſque Pontificis ducibus in Flaminiæ finibus arma parabantur, ut quod dolis, perfidia,ſce-

leratiſque inſidiis patrare nequiuerant, id uera ui ac aperto demum bel lo perficerent. Addit quoque Xyſtus profanis armis terribile religionis telum, ac Florentinos Chriſtianis ſacris interdicit, quòd Saluiatum archiepiſcopum hominem ſacratum indicta cauſa protinus enecaſſent, quando eius admiſsi criminis pœna ad ipſius Pontificis iudicium omnino pertineret. Porrò Laurentius, inimicis ferè omnibus aut damnatis, aut ſupplicio affectis, firmiſsima hominum beniuolentia munitus, pecunias cogit, exercitum parat, à Sfortianis iure fœderis auxilia petit, Venetíque Senatus fidem implorat, qui liberas ciuitates aduerſus uim impotentium principum tueri, Sociorumque iniurias egregie defendere conſueuiſſet. Cæterum Alfonſus acri impetu in Florentinum agrum prouectus, priuſquàm iuſtus exercitus cogi poſſet, aliquot caſtella tormentis cepit, magnas vndique pecoris ac hominum prædas egit, totúmque eum tractum uillarum, colonorúmque frequentia inſignem bellico terrore compleuit. Interea Federicus Gonzaga, & Hercules Ateſtinus, in Etruriam cum delectis copiis peruenere, conductúſque eſt Carolus Montonius, qui veteranos Braccianæ militiæ, itémque Peruſinos exules ſub ſignis habebat, ut in Vmbria pontificias copias amittendæ Peruſiæ metu diſtineret: Quibus de rebus uario, ſed nullo memorabili euentu bellum pluribus in locis gerebatur. Nam & Robertus Sanſeuerinus, qui Pontificis Ferdinandíque auſpiciis militabat, è Lunenſi in Piſanum agrum populabundus excurrerat: & Tifernates à Nicolao Vitellio Pontificis hoſte, quum patriam armis repeteret, maxime uexabantur. Iam multi menſes tranſierant, bellúmque maiore aliquanto apparatu quæſtúque ducum ac militum, quàm uirtute vel gloria trahebatur, quum ad Traſimenum lacum Pontificis copiæ à Florentinis ducibus ſunt profligatæ, & Sanſeuerinus in Lunenſem agrum fortiter eſt repulſus. In caſtris autem ad Pogium imperialem, ſeditio militaris admodum cruenta, inter Gonzagæ Ateſtinique equites exarſit: Quæ res ſicuti exercitum in partes diduxerat, ita poſtea Alfonſo Federicóque Vrbinati pugnæ feliciter committendæ occaſionem præbuit. Eorum enim repenti no aduentu perturbatæ Florentinorum copiæ, ſingulari ignauia abiectis fœde armis terga verterunt. At Laurentius quanquàm belli fortuna partium uices, proſperis pariter ac aduerſis ſucceſsibus alternarat, maximis tamen curis angebatur, quum foris, maximi regis, acerrimíque Pontificis non modo uehementes, ſed diuturnos impetus omnibus propè rebus impar, ægerrimè ferret. In libera autem & maledicentiſsima ciuitate, uix inuidiam quæ ſibi paſsim in coronis ciuium & conciliabulis conflaretur, diutius integra dignitate ſuſtinere ſe poſſe ſperaret. Exhauſto enim ærario, neceſſe erat, vt fide quidem publica ſed priuatis opibus, bellum gereretur: quod omnibus uel amiciſsimis graue erat & peracerbum: quando id non ad conſeruandam reipublicæ libertatem, ſed ad tuendam potius alendámque vnius hominis potentiam omnino ſuſceptum

ptum esse videretur. Xystus enim & Ferdinandus, ut Laurentio inuidiam magis ac magis augerent, se nequaquàm ad opprimendam Florentinorum Remp. quam non modo incolumen, sed florentem optarent, bellum intulisse prædicabant: uerum ut pristinam eorum libertatem Tyranno ejecto reuocarent. Pestilentia quoque ualde atrox ac repentina, quæ vulgatis minimo contactu morbis, cumulatísq. subinde multorum funeribus vrbem vastaret, magnas administrando bello difficultates afferebat: afflictis scilicet ancipiti periculo ciuibus, qui neque in agrum clementioris & liberioris cœli ad tuendam salutem euadere propter bellicum terrorem latè ac propinquo hoste circumlatum, neque in vrbe exitiabili eius morbi contagione fœdata supremi discriminis metu consiste re audebant. Spes quoque auxiliorum erant imminutæ, quæ sibi à fœderatis debebantur. Nam rem Mediolanensem, quæ tum Ioannis Galeacii pueri, & Bonæ matris imbecillo ac instabili ingenio regebatur, repentina defectione Ligurum & domesticis Sfortianorum fratrum contentionibus maxime perturbatam uidebat: & Veneti ut spectatores potius, quàm eius belli socii vel adiutores forent, inueterata eorum consuetudine, lentis admodum deliberationibus de mittendis auxiliis decernebant. Quibus de causis, cum in otii portum è tot bellicis intestinísque tempestatibus confugere uellet, ab animi magnitudine consilium sumpsit, cum patriæ & ciuibus salutare, tum sibi necessarium atque utile, & mox successu ipso maxime glorioſum. Induciis enim duorum mensium facile per hyemem impetratis, Ferdinando regi significauit, se recte factorum conscientia fretum, continuo uenturum Neapolim, futurúmq. in eius potestate, ut in componendis rebus nullo alio quàm regio iudicio, quod ab humanitate æquitateque minime alienum fore speraret, vteretur. Ergo cum paucis communicato consilio magistratus ex sibi fidissimis deligit, Thomæ Soderino vexillifero eximiæ prudẽtiæ viro Rem publicam commendat, filium eius tamen secum, uti obsidem fidei futurum adducit. & Pisas per causam inuisendi prædii profectus, inde mari triremibus duabus Neapolim peruehitur. Dum oram solueret, ad Senatum scripsit, se publicæ quietis causa amoreque ciuium, propriam salutem in periculum deuocare non dubitasse, propterea se ad inimicum regem proficisci, ut aliqua tolerabili conditione, pace quesita, & sese inuidia, & ciuitatem bellico metu liberaret, aut certe, si Dii æquissimis ipsius consiliis infesti forent, patriæ belli finem postulanti, cum insigni pietatis laude, uel acerbissimo uitæ exitu satisfaceret. At eius profectionis fama, sicuti clientium ac amicorum animos metu perculit; ita inimicos incomparabili lætitia repleuit. Nam eum sæui ac impotentis regis, qui plerosque regni proceres uariis suspitionibus inductos enecasset, sanguinarias manus nunquàm euasurum existimabant. Nec deerant Detesaluius Nero uetus hostis & exul, & cum eo pleriq. alii Florentini Mediceis inimici, qui regem, ad eum omnino capiendum, tollendumque,

omnibus maledicentiæ atque odii admotis machinis impellere conarentur. Cæterum Ferdinandus integra fide, regioque apparatu Laurentium excepit, admiſſumque in ſecretiora colloquia, tacitus ipſe ſecum primo, ac demum palàm propter eximiam animi magnitudinem, incredibilemque ciuilium & bellicarum rerum peritiam, tanta ſenſuum omnium propenſione eſt admiratus, ut cuncta ea quæ inſidioſe in eius perniciem ab inimicis excogitata fuerant, paucis diebus, ſuperata penitus inuidia, ad amplitudinem eius & gloriam verterentur. Adeo enim ſcitè ac ſapienter, de Italicarum rerum ſtatu, de Principum ingeniis, de facultatibus ac moribus liberarum ciuitatum, deque tota pacis ac belli ratione diſceptarat, ut rex ipſe aduerſarum pariter ac ſecundarum rerum uſu longe prudentiſsimus, neminem eo, ſapientia, iudicio, memoria, ac omni denique ſumma virtute præſtantiorem eſſe fateretur. Nec multo poſt Ferdinandus humanitate ac ingenio eius hominis expugnatus, pacem haud iniquis conditionibus dedit, fœduſq. percuſsit. in quo diſerte appoſitum eſt, ut Aragonii & Florentini, ſi bellum alicunde ingrueret, certa collata pecunia mutuis auxiliis iuuarentur. Laurentio Florentiam reuerſo, vniuerſa ciuitas eas laudes ac honores, qui ſalua libertate deferri poterant, ſtudioſiſsime congeſsit, egitque publice gratias, quod non armis publicoque periculo, ſed diuina ingenii virtute, propria etiam ſalute pro ciuibus fortiter proiecta, exoptatã pacem affectæ patriæ peperiſſet. Sic enim liuorem eorum omnem qui Mediceum nomen oderant, eius clariſs. facti gloria contriuerat, vt cunctos iam amicos pariter ac aduerſarios, medioſque homines publico obſtrictos beneficio, in ſui admirationem conuertiſſe iudicaretur. Authoritate enim, potentia, opibus, haud dubie princeps euaſerat, qui inter ciues cæteris omnibus cultu, modeſtia, humanitateque perſimilis verſabatur. Sed eius initi fœderis fama, & Xyſti Pontificis & Venetorum animos vehementiſsimè pupugit. Nam qui modo belli ſocii fuerant, ipſa demũ pace penitus excluſi videbantur. Aegerrimè imprimis ferebat Xyſtus, quod tale de ſe ſuaque natura Laurentii iudicium extitiſſet, ut cruenti potius regis arbitrio, quàm ſacroſancti Pontificis clementiæ, & tota belli cauſa, & ſua ipſius ſalus omnino committenda uideretur: ita ut appareret Pontificem ſacri imperii uim ambitioſius exercentem, & Venetos augẽdæ ditionis auidos primo quoque tempore res nouas eſſe molituros. Sed tum eorum conſilia diſcuſsit repentinus Turcarum aduentus, qui Hydrunte in Salentinis ui capta, opportunitate breuiſsimi traiectus freti, ab Aulona totáque Epiro accitis copiis, non modo Apuliam, ſed cunctam Italiam incredibili terrore compleuerant. Oppugnabat eodem tempore Rhodum maximis uiribus Mahumetes ille Græciæ domitor, huius Solimani proauus, qui modo Pannoniam & Noricum uicto atq. interfecto una acie Ludouico rege, cum ignominia Chriſtiani nominis percucurrit. Igitur eo tumultu, depoſitis impræſens priuatis odiis, Chriſtiani

ſtiani principes aduerſus publicum hoſtem coiuêre. Cæterum Turcarum pertinacia, morte potius imperatoris ſui, quàm noſtra virtute ſuperata eſt. Siquidem Mahumetes, quum ſibi ingenti ſpe feliciq́ue audacia, terrarum orbis imperium deſtinaret, repentino oppreſſus morbo, & ſuos in Italia fortiſsime repugnantes deſtituit, & hoſtes longe maximo metu liberauit. Per eos dies cum Xyſtus Turcico tumultu exterritus, multum de priſtina ira atque odio aduerſus Laurentium remiſiſſet, Florentino populo coficiendorum ſacrorum iura reſtituit: ita tamen ut uim exulcerati animi in irroganda pœna prorſus oſtenderet. Nam mulctæ nomine Florentinis impoſitum eſt, ut quindecim triremes ad bellum Turcicum exornarent. Hydrunte recepta, & Turcis in deditionem acceptis, Veneti Herculi Ateſtino bellum atrox ac maxime repentinum intulêre, fauente Xyſto, qui cum eis fœdus inierat, vt ex Herculis infelicitate, ſi uictor Venetus euaſiſſet, Hieronymi Riarii ditionem amplificaret. Is rerum motus cæterorum Principum animos magnopere commouit: quum omnes Herculem ipſum qui Ferdinandi gener eſſet, in columem uellent, nec rem Venetam carpendo aliena, in immenſum creſcere, occupataq́ue Ferraria, ad totius demum Italiæ dominatum efferri paterentur. Erant inter ſe fœdere cogitationibuſq́ue coniuncti Ferdinandus & Laurentius, Ludouicuſq́ue Sfortia, qui pro tutore pueri Principis, Mediolanenſi imperio potiebatur. Ii communicatis conſiliis Federicum Vrbinatem, qui tum vnus in Italia erat & vetus ac felix imperator, in Ferrarienſi Venetis opponunt. Alfonſum Regis filium ab Truento amne per Picentes in agrum Romanum cum ualido exercitu maturare iubent. Ab Etruriæ autem finibus Nicolaus Vitellius euocatur, inſtruiturq́ue pecunia & copiis ad Tifernum repetendum, vnde Xyſti iniuria paulo ante fuerat eiectus. Quæ omnia eo pertinebant, ut Xyſtus domeſtico oppreſſus bello, Venetos iniqua uel immoderata cupientes, deſerere cogeretur, ac tandem publicam Italiæ libertatem priuatis ipſius cupiditatibus anteferendam eſſe meminiſſet. Verum Alfonſus qui ad Latinam portam infeſto exercitu magnum Vrbi terrorem intulerat, nihil ſeſe propterea animo demittente Pontifice, fortiterq́ue armis rem gerente, in Veliterno collatis ſignis eſt ſuperatus. Ea pugna egregie ab vtriſque pugnata eſt, ſed victoria penes Robertum Malateſtam Pontificiarum copiarum Imperatorem ſtetit, ab inſigni maxime opera ſagittariorum equitum, quos Venetis è caſtris adduxerat. Cæterum Robertus in cuius virtute ſummum præſidium Pontifex collocabat, triduo poſt triumphum alui profluuio celeriter eſt extinctus. Adeo ut Hieronymum eius gloriæ inuidia excruciatum, mortiferam potionem ſum miniſtraſſe pleriq́. exiſtimarint. Ipſe quoque Federicus Vrbinas, qui Roberti Sanſeuerinatis acerrimi Venetorum Ducis impetu egregie ſuſtinebat, in caſtris ad Stellatam, morbo ex fluuiali paluſtriq́ue aura concepto, uir optimus ac inuictiſsimus eſt extinctus. Ab eius interitu Sanſe-

uerinas acrior atque validior factus, orbatis tanto duce hostium castris, multa detrimenta intulit: moxq. ad Argentam interfecto Antonio Martiano impigro hostium duce prosperè dimicauit, atque adeo secundo vbique rei Venetæ successu bellum gerebat, ut ad Ferrariæ usque mœnia instructas acies promoueret. Quas ob res fœderati principes Herculis ingenti periculo perculsi, magis ac magis Pontificem armis premebant, ut eum ab Veneta societate diuellerent, Alfonsus enim copias reparabat, Vitellius expulsis Iustinis, qui in fide Pontificis erant, Tifernum receperat. Et cum Hieronymus Roberto Malatesta mortuo, occupare Ariminum, & Vitellios rursus Tiferno pellere, reducereque Iustinos properaret, Laurentius auxiliis maturè transmissis, spes eius & conatus omnes infregerat. Quin etiam per Federicum Cæsarem egerat, ut Concilium cunctis sacerdotibus atque imprimis ipsi Pontifici Basileæ indiceretur, Cuius nomen nō modo graue sed terribile auribus ac animis Pontificum semper extitisset. Monebant quoque iis rerum difficultatibus circumuentum, principum legati, ac idonei præsertim homines, quos Laurentius abunde instructos transmiserat, ut certæ quieti, honestoque ocio, quàm dubio ac exitiali bello studere mallet, quando nihil ei, qui pacificatoris personam iure pietatis sustinere deberet, gloriosius accidere posset, quàm Italiam pacare, & ex æquo & iure sublatis armis controuersias finire, ut quod ipse diu antè optasse uideri uellet, aduersus Turcas bellum communi concordia, singularique omnium Christianorum alacritate susciperetur. At si Veneti Ferraria potirentur, in eorum mox potestate propinquas vrbes Mutinam & Rhegium futuras, inde bella ex bellis serentibus, & proxima quæq. maturè ac audacter immortali ipsorum imperio adnectentibus, Flaminiam omnino cessuram, Italiamque demum omnem, conclamata communi libertate nouis hominibus qui audacter è paludibus in proximam continentem pedes extulerint, omni no seruituram. His de causis adductus pontifex, cum cæteris Italiæ principibus, aduersus Venetos fœdus percusit, monuitque ut à Ferrariensi agro penitus abstinerent. Porrò si quid in ea re antiqui iuris sibi esse arbitrarentur, id se protinus ex pontificiis legibus cogniturum. Quòd si ab armis sibi minime discedendum putarent, & Ferrarienses nihilo secius bello persequerentur; & se & cæteros belli socios, eorum iniurias minime neglecturos. Cæterum tantum abfuit ut Veneti ea ingentis belli denunciatione terrerentur, ut multo maioribus quàm antea animis atque opibus bellum omnino sibi gerendum esse decreuerint. Itaque quanto maxime studio atque apparatu fieri potuit, ad arma discessum est. Conuenereque totius Italiæ principes apud Cremonam, ut de bello consultarent. Quo in conuentu Laurentius Medices tanta grauitate atque facundia suscipiendi ac administrandi belli rationes explicauit, ut cum togatis omnibus humanarum rerum peritia præstaret, in bellica etiam facultate, castrensibusq. consiliis, diuinæ prudentiæ laudem, admirantibus

bus ducibus adſequeretur. Geſtum eſt ſubinde bellum magna ui ac ingentibus copiis, non modo ad Ferrariam, ſed in Bergomati & Brixiano, quo nullum grauius aut periculoſius antea Veneti ſe ſenſiſſe meminerant. Iamque Alfonſi ductu & contuſæ eorum uires, & fracti conſtantiſſimæ gentis ſpiritus abunde uidebantur, niſi Ludouicus Sfortia præpoſtero & ſibi demum exitiali conſilio à ſociis fœdereque diſcedens, uictis iam planeque perdomitis, æquiſsimam pacem peperiſſet. Ad eius confectæ pacis nomen, quæ maiorum motuum ſemina præferebat, Xyſtus interiit. Suffectuſque ei eſt Innocentius Octauus pacis atque ocii ſuopte ingenio apprime ſtudioſus. Natumque eſt repente bellum in Lunenſi, repetentibus Sergiam oppidum Florentinis, quod Ludouicus Fregoſius dolo captum Genuenſibus paulò antè vendiderat. Ad id Ligures eximio ſtudio, quantas pro decore vel ſalute gentis efficere poterant, cum terreſtres tum nauales copias contulerunt, bellatumque eſt multis menſibus uario euentu. Conceſſere quoque in partes Ligurum Petraſancten ſes, qui in Lucenſi agro ſupra Fanum Feroniæ vetus oppidum incolunt. In eos propterea Florentini vires atque animos ab Sergiano conuertêre, oppugnataque eſt aliquandiu Petraſancta, defenſaque fortiter. Venit demum in caſtra Laurentius. Is prætorum & ducum errata opportuniſsimo tempore correxit. Nec multo poſt militibus partim præmiis partim pudore incitatis, ob idque acriter operam nauantibus, oppido per deditionem eſt potitus. Incubuêre exinde Sergiano Florentinæ copiæ, totaque belli mole & obſidebatur oppidum & tormentis maioribus oppugnabatur. Ad extremum, quum Ligurum exercitus ſubſidio laborantibus adueniſſet, commiſſoque infeliciter prælio victoria penes Florentinos ſtetiſſet, Sergianenſes reliquas ſpes omnes, in vna admirabili virtute clementiaque Laurentii collocarunt, eumque adaperta porta ſupplices prætentis oleæ frondibus exceperunt. Confecto Lunenſi bello, cum Laurentius ad pacis munia tranſiuiſſet, inter Innocentium & Ferdinandum bellum exarſit. Aquilani enim interfecto regio prætore defecerant. Hos Pontifex imperitorum hominum conſiliis impulſus, vt opulentam vrbem imperio adiiceret, fouendos tuendoſque ſuſceperat: Rex quoque eo magis opportunus iniuriæ videbatur, quòd ab eo plerique regni proceres inita coniuratione deſciuiſſent. Itaque Ferdinandus grauiſsimis periculis implicitus, à Florentinis auxilia poſtulauit. Quæ non modo facile impetrata, ſed tranſmiſſa celeriter, inexperti Pontificis conſilia perturbarunt. Eum enim Florentini ualde oderant, quòd Lunenſi bello Liguribus fauiſſet. Sed in ea cauſa Laurentii vehemens ſtudium & mirifica voluntas enituerant, quum ea non modo fœderi publico, ſed priuatæ etiam amicitiæ pleniſsime tribuiſſet. Erat Laurentius Vrſinæ familiæ, è qua Claricem duxerat vxorem, affinitate ſenſibuſq. coniunctus: Columnii vero in fide & clientela Aragoniorum erant. Quas ob res facile accidit, vt vtriuſque factionis Romani proceres, ſti

pendio conducti,regiis in caſtris aduerſus Pontificem militarent.Pugnabatur ad Anienis pontes,cunctaq́.ſuburbana oppida in Etruria & Latio pariter Aragoniis fauebant,nec pro uetere cum fidei, tum virtutis opinione Robertus Sanſeuerinas ad vrbis præſidiū accitus eorum impetū ſuſtinebat. Quibus de reb. Pontifex bello temere ſuſcepto neceſſariam potius quàm decoram pacem præferre coactus eſt: tantumq́. abfuit, vt ex earum offenſionū memoria Laurentium odio perſequeretur, vt eum tum maxime ab ſpectata virtute ſuſpicere admirariq. cœperit. Eximia etenim fide,cōſtanti ſtudio,celeríq. ope ſocium Regem ab eo non modo adiutum,ſed propemodū conſeruatum fuiſſe conſpiciebat:ſeq́. propterea multo potentiorem ac feliciorem fore arbitrabatur, ſi eum virū qui tantum virtute,conſilio,atq.opibus valeret,ſtabili ac firmiore aliquo amicitiæ vinculo ſibi coniunxiſſet.Nec multo poſt in mutuum amorem nudatis vtrinq. animis,Magdalena Laurentii filia in matrimonium Francíſco Pontificis filio collocata eſt, adiectumq́. priuatæ affinitati publicū fœdus. Vnde mox ab certo veluti felicitatis gradu, fortuna Mediceæ familiæ ad meritum potius quàm ſperatum humanarum rerum faſtigium aſcendit.Nam triennio poſt Pontifex ſalutari benignitate, in honorem Laurentii patris Ioannem eius filium vix tum tertium decimum excedentem annum in cardinalium numerū cooptauit. Tanta enim Laurentius apud omnes gratia valebat,vt ſinguli cardinales pleno ſuffragio,maturius quàm per leges liceret,ſummæ dignitatis honorem cū ipſis cocci nei pilei inſignibus,ſine vlla dubitatione demandarint.Optima pace parta ad eam tuendam in ipſis imperii finibus propugnacula erexit,à Senenſi via opportuno atq. edito in colle,Pogium imperialem,vt eò Pogibonncii oppidi incolas transferret.In Apennino autem,qua Bononiam itur, Florentiolam muro turribuſq́.muniuit.Finitimorum quoq.regulorum amicitiam perpetuis officiis liberalitatéq.parauerat.Ita vt Baleones Peruſini,Vitelli Tifernates,Senenſes Petruccii,Bentiuoli Bononienſes,Fauentiníq. Manfredi vnum eum reſpicerent,atq. eius conſilia maxime ſequerentur. Domi autem in demandandis Reipublicæ muneribus æquabili temperamento ſemper eſt vſus,ut cum cariſsimis amicorum & clientibus honores deferret, nullus vnquàm antiquæ nobilitatis ſe præteritū eſſe quereretur. Opificibus autem ac infimæ plebi adeo populariter ſtuduit,vt ſæpe priuata pecunia annonæ penuriam ſubleuaret. Et cum ſtudio ædificandi ductus in Caiana villa extruenda ſumptu atque elegantia COSMVM auum ſuperare decreuiſſet, magnam operarum turbam ſe alere potius quàm ædificare prædicabat.Edebātur quoq.ſtatis anni temporib. haſtatorū equitū decurſiones,comœdiæ, theatrales ludi, omniſq́. generis ſpectacula. Quibus reb. fiebat, ut populus Florentinus quæſtui pariter & iucunditati deditus,effuſè lætaretur.Numidicos etima equos eximiæ pernicitatis domi alebat,qui in celeberrimis magnarumvrbium certaminibus curſu contenderent,victoriarumq́. præmia, aureos & ſeri

cos

cos pannos ſingulari pietate veſtiendis altarib. dedicabat, adeoq. in his rebus curandis exornandíſq. ſumptuoſus erat & diligens, vt nullum vnquàm popularis gratiæ decus,uel in maximarum rerum occupationib. neglexiſſe videretur. Optimarum autem literarum profeſſoribus exquiſitarumq.artium magiſtris,cũ earum eſſet intelligentiſsimus adeò perhumanè ac liberaliter fauit, ut cæteri principes felici eo ſæculo, quo uera virtus pro opib. cenſebatur,ab vno ſe Laurentio Medice ſuperari indignarentur. Tum enim de paranda gloria eximiis inter ſe ſtudiis certabant Matthias Pannonius regum optimus ac inuictiſsimus,Ferdinandus Aragonius,& Ludouicus Sfortia: Ita ut mirum videri potuerit Laurentium ab ea ciuili potius quàm principali potentia, aliquanto longius nominis atq. familiæ claritatem munificentiæ ac literarum auſpiciis extẽ diſſe, quàm quiſquàm alius æqualis famam uel militarium operũ fulgore protulerit. Gymnaſium quoq. percelebre, diſciplinarum omnium doctoribus tota Italia magno ære conquiſitis,Piſis inſtituit: ut nobiliſsimam quondam vrbem ad ſolatium veteris amiſſæ libertatis, nouo decore,ac externæ iuuentutis frequentia recrearet,miſitq. eò Ioannem cardinalem,ut in ſacro ciuiliq. iure ſub egregiis doctoribus erudiretur. Nec Florentiæ deerant Græcarum'ac Latinarum literarum clariſsimi profeſſores, aliíque ingenio atque facundia inſignes. quibus cum familiariſsimè viuebat: In iis fuere Picus Mirandula, Politianus, Marſilius Ficinus, Chriſtophorus Landinus, & ex Græcis Ioannes Laſcares, & Demetrius Calchondiles,& Marullus Tracaniottes, qui præclaris ingenii operibus editis, cum immortali laude in omnem poſteritatem viuent. Horum eruditione ac diligentia fretus bibliothecam, quam COSMVS inchoarat, nobilioribus peruetuſtíſque codicibus, ac in ipſa præſertim Græcia conquiſitis, referſit. Cuncta autem cum publicæ tum domeſticæ vitæ munia, tanta ingenii altitudine peragebat, ut uir ad laudem natus ampliſsimis monumentis memoria nominis ſui conſecrare videretur ut qui præclariſsimarum actionum ſuarum famam, non modo ciuium, ſed cunctarum gentium oculis ac auribus expoſitam eſſe iudicaret. His enim virtutibus etiam apud publicos hoſtes,barbaros,ac remotiſsimos reges magnus & clarus euaſerat.Nam & Bayazetes Turcarum imperator, Benardum Bandinum Iuliani fratris percuſſorem, qui in Aſiam vſque perfugerat,dignitate hominis & ſceleris atrocitate permotus, ad ſupplicium tradidit. Et Caytbeius Memphiticus Sulthanus,quo nemo tum bellica uirtute felicior fuit, ſtudium ſuum atque beniuolentiam ingentibus admirandíſq. muneribus Florentiam tranſmiſsis, cum inſigni Laurentii gloria teſtatus eſt. In his enim camelopardalis fuit,animal Indicum enormi proceritate & conſpicua varietate mirabile, quod à multis ſæculis Italia non viderat, atque eo etiam admirabilius, quod neque modo Luſitani, India perluſtrata, neque Hiſpani inuento ac peragrato nouo terrarum orbe, eius generis animantem hactenus inuene-

rint. At Laurentius publicis domeſticiſque rebus felici induſtria ac opti ma ratione conſtitutis, ad ocium philoſophiæ, optimarumq. literarum confugit, & cum eruditiſs. viris (quos ſupra memoraui) modo in vrbe, modo in Caregia villa & in Caiano procul à ciuilibus negociis exerceba tur. Adeoque his ſtudiis flagranti cura incumbere erat ſolitus, vt modo ſeipſum veluti inertem, modo iniquam temporum conditionem incuſa ret, quòd tam ſero ad philoſophandum acceſsiſſet. Sed non multo poſt, eum virum & cunctis ſecundæ fortunæ muneribus, & omni virtutis ge nere florentem, morbus inuaſit, torſereque eum aliquandiu cœliaci do lores, ſubſequentéque mox lenta atque tabifica febre, tertio & quadra geſimo ætatis anno conſumptus eſt. In ſupremis autem vitæ momentis (vti religioſiſsimum decebat) incredibilem pietatem, ſingularémque animi conſtantiam viuaciſsimis vſquequaque ſenſibus oſtendit, cauítq. ne pluſquàm ciuili pompa funus efferretur. Sed qui eam inanis ſpectacu li gloriam ſpreuerat, ab publico omnium iudicio, multo ampliorem & ſpecioſiorem tulit, quum ei mox veluti cuſtodi ac autori pacis & ocii, non modo Florentia patria, ſed totius Italiæ populi, externæque gentes incredibili cum dolore ac multis cum lachrymis iuſtiſsime parentarint. Mortem eius varia præceſſere prodigia, vti magnis Regib. accidere vi demus. Nam & crinita ſtella ſupra tectum Caregiæ villæ (ubi tum ægro tabat) decidere eſt viſa. Fulmen quoque ſubitam ſecum cœli ſerenita tem adducens, Pilam auratam Mediceæ familiæ inſigne, & faſtigium è ſumma teſtudine maximi templi, cum terribili ingentium marmorum ruina decuſsit, Leoque omnium qui tum in cauea eſſent nobiliſsimus, quod ſemper prodigii loco Florentiæ habitum fuit, aliorum ſæuitia la ceratus eſt. Ita vt hæc quoque ſigna eas calamitates prænunciaſſe vide antur, in quas Italia propè omnis amiſſa libertate mox incidit, cum nuſ quàm eſſet in terris optimi ſapientiſsimiq. hominis ingenium cum ſum ma auctoritate coniunctum, quo ille communis pacis & tranquillitatis apprime cupidus, cæterorum principum inſanas mentes, peruerſis im plicitas conſiliis, frenare omnino atque ſanare facile potuiſſet. Paulò antequàm Laurentius vita excederet, Ioannem cardinalem Romam cum inſigni comitatu ad Innocentium miſerat, dederatque ei præcepta ſummæ plena prudentiæ peculiari libello ad honeſtiſsimæ vitæ ratio nem conſcripta, adeo graui & ſalubri temperamento, vt quum in ſplen dore atque elegantia actionum omnium, vnum maxime ſacratæ digni tatis nomen tueri vellet, in filio tamen eius ætatis præteneræ nequa quàm obliuiſceretur. Cæterum Ioannes ſupra bonarum artium notiti am, ex ea diſciplina ab humanitate ſuauitateque ingenii omnibus iam charus, ubi de morte patris nuncium accepit, continuo Florentiam eſt reuerſus. Abeuntem Pontifex, vt aliquid ad augendam ſtudii gratiæq. famam iuueni ſummæ indolis ac optimi viri patris memoriæ daret, toti us Etruriæ legationis honore liberaliter honeſtauit. Qua vna exiſtima-

tionis

tionis amplificatione, magis ac magis ad confirmandum rerum ſtatum ciuibus Florentinis natura commutandæ Reipublicæ percupidis omnino conciliaretur. Itaque paternis amicis præclare adiuuantibus, & Petro fratre ad Reipublicæ gubernacula conſtituto, non multo poſt ad Vrbem redit, pauciſque inde diebus Innocentius moritur. In comitiali vero contentione, qua Alexander Sextus Pontifex eſt renuciatus, nihil ſibi iuueni honeſtius duxit, quàm duobus longe præſtantiſsimis cardinalibus adhæſiſſe, quorum conſilia ac authoritatem in ferendo ſuffragio ſequeretur. Ii tum erant Franciſcus Picolomineus, qui poſtea inito pontificatu, Pius Tertius eſt appellatus, & Oliuerius Carafa, inter Senatores eius ætatis maxime illuſtris. Qui tametſi in Republica graui pioque iudicio meliora proſpicerent, turbulentis tamen comitiorum fluctibus abrepti, quos ab inſana diſſenſione deducti plerique alii cardinales excitarant, quin deterrimus eius ordinis crearetur, reſiſtere nequiuerunt. Horum facile princeps extitit Aſcanius Sfortia, qui cum cœca ambitione auaritiaque corruptus, de manu ſacroſanctam Alexandro thiaram impoſuiſſet, aliquanto poſt in ingrato pontifice perfidiam expertus, debitas ſcelerati ſtudii venaliſque ſuffragii pœnas perſoluit. Nec multo poſt, in Italiam ingruit Carolus Octauus Gallorum rex, exitiabili diſſidio ſingularique dementia noſtrorum principum euocatus, ſupra terribiles copias inuſitato etiam currulium tormentorum apparatu cuncta proſternens. Petebat is Neapolitanum regnum impellente Ludouico Sfortia, ut Alfonſi regis ſpiritus, immoderata ſemper appetentis, immiſſo tanto hoſte frangerentur. Erant cum Aragoniis amicitia fœdereque coniuncti, Alexander Pontifex, & Petrus Medices, egregio certe ingenio iuuenis, ſed virtute fortunaque patri diſsimilis. Itaque ei contigit, ut deſcendente per Apuanos Ligures Gallo hoſti primus copias opponeret, quæ ſicuti per ſe exiguæ, & nullo, vti in longa pace, belli vſu exercitatæ erant, ita repente ab ala Gallorum equitum, circa Macram amnem protritæ fuſæque ſunt. Inde Petrus tanta belli mole incumbenti Carolo facile impar, ad eum, iam Sergianum oppidum tormentis oppugnantem, ſuſcepto legationis munere contendit, vt pace quæſita, acceptiſque ad Regis arbitrium conditionibus, ciuitatis atque familiæ incolumitati mature conſuleret. Fœdo etenim euentu Federicus Aragonius regis frater ornatiſsimam claſſem ad portum Veneris adduxerat, & Ferdinandus eius filius in togata Gallia ad Sapim amnem à regiis Sfortianiſque copiis retro fuerat compulſus. Adeo vt dii atque homines in eo rerum motu à Gallis ſtare viderentur. Itaque depoſcente Rege, opportuniſsimas Etruriæ arces continuo tradidit, Sergiani, Petraſanctæ, Piſarum, atque Liburni portus. Redempta per hunc modum pace, Florentiam reuerſus, reperit ciuitatem indignitate eius pactionis maxime commotam, veteréſque inimicos ex ea occaſione erectos in ſpem aſſerendæ libertatis. Quibus de cauſis Petrus, inſperati negocii

grauitate ſubito oppreſſus, quum ex antè delecto amicorum ciuium numero, alios nutare, alios dilabi, nonnullos planè deficere conſpiceret, nullibíq. ſibi certa fides aut ſalubre conſilium præſtaretur, ire in curiam, atque ibi ad magiſtratus concionari conſtituit. Sed dum ad limen intrat, à Iacobo Nerlio, audaciſsimo ex Tribunis plebis, fores occluduntur. Hoc leui rerum momento facile apparuit, nihil ea exiſtimatione eſſe fragilius, quæ voluntati & ſtudio hominum nixa, nullis armorum præſidiis ſuſtinetur. Petrus enim in ea offenſionis acerbitate vehementi metu conſternatus, deformi admodum regreſſu, ac indecoro comitatu per curiæ aream, domum ſe recepit: ibíque inops conſilii cum Paulo Vrſino vrbe excedere conſtituit, atque ita cum paucis, & antè ad Macram profligatis equitibus, Bononiam eſt profectus. Idem quoque faciunt Iulianus frater, & fidiſsimi familiarium: Ioannes vero ipſe cardinalis in arripienda fuga nouiſsimus, exuta purpura cineream cucullam ad Serafici ſacerdotis effigiem ſibi induit, elapſuſque inter tumultum occupatæ & diſcurrentis turbæ, ad diui Marci cœnobium, vt ibi ſe tantiſper conderet, ab impiis ſacerdotibus non admittitur. Exiſtimabat enim ſe in eo templo, quod à Mediceis eſſet conditum, in omni fortuna humanitatem & fidem inuenturum. Eius itaque refugii ſpe deiectus, ad ſancti Galli portam recta perrexit, atque ibi (quod nondum ab inimicis erat occupata) conſcenſo equo, quem ſors obtulerat, per Marinæ amnis vallem, & deuios Apennini tramites, Bononiam ad fratres contendit. Idem quoq. itineris conſilium Iulius eſt conſequutus, qui cum teſſeram tradendæ arcis Piſas detuliſſet, factúſque eſſet in via certior, de Petri fuga, per Lucenſium Alpes euaſerat. Cæterum Florentini eiectis Mediceis armati in ædes impetum faciunt, diripiunt nobiliſsimæ ſuppellectilis apparatum, inſignia & monumenta gentis reuellunt, ſummæque crudelitatis in curia fit decretum, quo Petrus fratréſque eius hoſtes iudicantur, iiſque qui eos interfeciſſent, aut viuos tradidiſſent, præmia decernuntur, Creatíſque nouis magiſtratibus, inſtituitur domi haſta, clauſáque ad ignominiam celeberrima anteriore porta, à poſtico populus admittitur. Videre erat præter auleorum ſtragularúmque & prætioſæ veſtis incredibilem copiam, & multa cælati argenti pondera, antiqui operis ſtatuas, ſigna ærea, tabulas pictas, minimo prætio addici impuriſsimis licitatoribus, quæ per ſexaginta annos, viri perelegantes, vti omni auro cariora, ad ornamentum publicæ potiuſquàm priuatæ domus tanto ſtudio tantáque pecunia congeſsiſſent. Neque enim vlla unquàm vel nuptialis, & feſta fronde dies inſignis, adeo cumulatæ regias Mediceorum opes detexit, quàm hæc ipſa calamitas, quæ pleriſque lachrymas etiam in ipſa rapiendi libidine ex Coſmi Laurentiique memoria nequaquàm ſimulanter exciuerat. Verum unus erat peracerbe ſæuiendi prædandíque non ignobilis prætextus, illa dulciſsimi nominis, uti prædicabant, ab longo tempore recepta Libertas: quaſi non moderatos

rátos ciues, & ab omni uirtutis & beneficii genere, iure optimo princi pes ciuitatis, ſed ſæuos impotentéſque tyrannos aliquo periculoſo cer tamine pepuliſſent. At Medicei his aduerſæ Fortunæ fluctibus patria eiecti, quum Bononiæ haud multo tempore ſe tutos fore perſpicerent, quòd Ioannes Bentiuolus minus propenſe ac liberaliter acerbiſsimo ca ſu afflictos reſpexiſſe uideretur, Petrus Venetias, ipſe uero Ioannes car dinalis cum Iuliano fratre & Iulio patruele Petilianum, atque inde Ti fernum ad Vitellios ueteres amicos confugerunt. Caſtigarat enim Ioannes eos primo congreſſu, haud quaquàm mollibus uerbis, ſecus ac recentis calamitatis caſus poſtulare uidebatur, ſubagreſtiore ſcili cet increpita ignauia, quòd aduerſus hoſtes nullo uirili edito facino re, nec in hoſtes diſtricto quidem ferro, incruenti, dominatu, patria pa terniſq. laribus, ac exuti fortunis omnibus exceſsiſſent. Quibus ſermo nibus ſe Bononiæ fruſtra permanſuros facile intelligebant, quando ibi, uti pulſis profugiſque ſæpe accidit, Bentiuolorum neque certo ſtudio, neque firma beniuolentia niterentur. Quæ res ſingulare incommodum rediuiuis prope rebus importune attulit. Nam Carolo Florentiam in greſſo, plerique duces militares & proceres, & ante alios Breſsius Allo brogum principis frater, Medicei nominis ſtudioſus, in fœdere conſcri bendo, prolixas & aſtutas togatorum conſultationes faſtidire cœperant. Ipſeque Carolus in Medicea domo receptus, Alfonſinam Petri uxorem complorantem immeritam infantis filii & exciſæ domus calamitatem, benigne uerecundeque ſuſceperat, & non mediocrem animo dolorem præferre uidebatur, quòd Florentini præter ipſius uoluntatem Petrum, cui ipſe dudum dextram ſalutarem dediſſet, ſummis ſæuiſsimæ proſcri ptionis iniuriis affeciſſent. Adeo ut conſiliarii proceres Petrum omni no reuocare, reſtituta & confirmata priore poteſtate cogitarent, quo niam regi multo commodius atque nobilius foret, cum ea ciuitate tran ſigere, quæ unius principis libero expeditóque conſilio regeretur, quàm in ipſis momentis tanti belli, quod in Aragonios pararetur, expectare decreta incertæ multitudinis, quæ concionibus atque ſuffragiis per tur bulentas altercationes certare conſueuiſſet. Verum Petrus, qui nimis celeri deſperatione Venetias peruolarat, cum à regiis, vt eum in patri am reducerent, Bononiæ fruſtra quæreretur, illudente eadem fortuna, ſummæ ſpei occaſioni defuit: atque ita Carolus, eo nuſquàm reperto, quando ſibi Romam multis de cauſis feſtinandum eſſe iudicabat, ne diu tius hæreret, cum Florentinis fœdus percuſsit. Interea Carolus, qui perpetuo victoriæ curſu cuncta ſubegerat, cognitis principum conſiliis aduerſum ſe pro Italiæ ſalute conſpirantium, è Neapoli cum expedito delectóque exercitu, magnis itineribus ad Tarrum peruenit, vbi anci piti dubbiáque victoria, & cruento maxime prælio, cum Venetis ac In ſubribus eſt dimicatum. Ea die Virginius Vrſinæ familiæ princeps, & vetere militiæ gloria inſignis, qui pro captiuo in Galliam ducebatur,

hoſtium manus euaſit, quum forte pedibus æger in proximo caſtris pago ſubſtitiſſet. Is vbi in Romanum agrum rediit, euocare ueteres milites, familiarésque ſuos, paulo ante ad Nolam armis & equis expoliatos contrahere, arma conquirere, & denique exercitum parare cœpit. Me diceis autem qui tum Romam ſe contulerant, pollicebatur ſe Florentiam eos celeri expeditione per hyemem facta, omnino reducturum, ſi ad augendas ornandáſque copias, ipſorum pecunia iuuaretur. Nec dubitauere Medicei, quin ei occaſioni mature occurrerent, ac amiciſsimi hominis ingenio atque authoritati multum confiſi, multa milia aureorum nummûm protinus numerarent. Nec multo poſt Virginius cum Petro Medice in Vmbriam proficiſcitur, conſcriptíſque circum Peruſiam aliquot ſubitariis cohortibus, & Nucerino Gualdo ex itinere fruſtra tentato, in agrum Cluſinum ad Rapolanas aquas laborioſo per niuoſos ſaltus itinere confecto penetrauit. Eius improuiſo aduentu Florentini Piſano occupati bello multum perterrentur, coguntúrque duces, ac exercitus partem reuocare, Aretium & Cortonam præſidiis firmare, tueri agrum ab infeſtis populationibus, ac demum in urbe ſedulo & conſtanter prouidere, ne qui uetere ſtudio Mediceis fauerent, incertæ fidei ciues, libertatis nondum firmis radicibus ſtabilitæ, recentem ſtatum omnino perturbarent. Quibus de cauſis fiebat, vt Petrus in moliendis nouis rebus, languidiores opinione ſua, ſegniorésq. amicorum animos inueniret, ipſéque Virginius, urbani motus expectatione ſuſpenſus ignobiliter hæreret, expugnandis ac incendendis uillis, ut earum præda milites alerentur, qui tenui cum ſtipendio eius nomen ſecuti, permagna præmia eo bello ſibi animis deſtinarãt. Sed dum Ranucius Martianus à Florentinis cum iuſto propè exercitu circa Cortonam hoſti opponeretur, Gimellus vir Gallus cum Camillo Vitellio ad Virginium in caſtra peruenit. Is cum regiis mandatis multam in ſtipendium pecuniam afferebat, hortabatúrque Virginium, vt accepto auro, conductíſque & inſtructis liberaliter copiis, in Apuliam maturaret, auſpiciiſq. ibi Caroli regis, Ferdinandum bello perſequeretur, qui tum recepta Neapoli, cum Mompenſerio Gallorum duce acerrime bellum gerebat. Id ſi alacriter egregiáque fide belli munus ſuſciperet, breui eum ex regia liberalitate ampliſsima præmia conſecuturum. Quibus pollicitationibus & præſenti maxime pecunia adductus Virginius, quanquàm enixe improbantibus amicis, atque ante alios Liuiano, Gallicas partes Aragoniis prætulit, vel ob id etiam, quód veteres hoſtes ſuos Proſperum Fabritiúmque Columnas, qui à Gallis defeciſſent, apud Ferdinandum in honore haberi, hísque ipſius oppida in Marſis, dono data fuiſſe cognouiſſet. Igitur eo capto conſilio, quod ſibi maxime infelix, atque ſupremum fuit, quum Petrum in medio gerendarum rerum curſu deſtitueret, ac ſigna in Vmbriam retro uerterentur, hominem eius belli im proſpere ſuſcepti fœdo exitu perculſum miti alloquio ſolabatur: rogabátque

bátque ut æquo animo nouis ipſius conſiliis, quæ non libido, ſed ipſa neceſsitas expreſsiſſet, conſentire vellet, ac in eius conſilii felicitate certam ſpem repetendæ patriæ collocaret; quando ipſe, nec veteris amicitiæ, nec affinitatis, nec communium ſtudiorum, quibus eandem reſpicerent factionem, vnquàm eſſet obliturus, quominus confecto Neapolitano bello, ſtatim multo maioribus copiis, eius officii votíque cauſa in Etruriam reuerteretur. Medicei hac prima ſpe fœde deiecti, alterum annum ita in exilio, ocióque fuerunt, vt nunquàm intermitterent per fidos ſibi, idoneoſque homines occultis maxime artibus ſollicitare in vrbe Florentia veteres amicos, atque affines, nouos item parare, ingentiáque demum præmia, vel infimis hominibus polliceri, vt per eos creatis ex amicorum numero magiſtratibus, aliqua conditione in patriam reducerentur. Iam enim pleróſque nobiles & opulentos ciues, eius Reipublicæ tædium cœperat, quum in Senatum plerique audaces ſemiplebei, egentésque homines irrupiſſent, qui patritiis deſpectis, ne quaquàm ſententiarum pondere, ſed ſuffragiorum numero, de maximis pacis ac belli muneribus decernebant, adeóque patefactus erat in Curiam aditus, ut ſæpe ab officinis ſellulariis, deſumpta ad tempus toga in conſilium iretur. Erátque tum maxime popularis Hieronymus Sauonarola, è diui Dominici ordine, literis & admirabili præſertim elo quentia inſignis, qui in ſacris concionibus, & in priuatis colloquiis ita multitudinis animos opinione uirtutis cœperat, ut illum rerum omnium, quæ imminebant, uerum uatem, diuinúmque deprauatis moribus cenſorem cœlo miſſum crederent. Creuerátque ei tanto aſſenſu authoritas, perpetuo omnis generis hominum ſexúſque & ætatis ſtudio colle cta, ut nihil priuatis in domibus, nihil in Senatu, ſine eius uiri conſilio recte geri poſſe uideretur. Is Mediceo nomini maxime erat infeſtus, oppugnabátque eum Reipublicæ ſtatum, quem paucorum potentium, vti prædicabat, vis & libido regere poſſet. Ob id ciuitatem in partes iam plane diduxerat, ita ut à grauibus ſanísque ciuibus non ineptè reprehenderetur, quòd à religione diuinarúmque rerum contemplatione, ambitioſius quàm ſacratum uirum deceret, ad munia regendæ Rei publicæ tranſiuiſſet. Propterea fiebat, ut in turbidis rebus & uariis ciuium diſſenſionibus pleroſque Medicei facile reperirent, qui damnata præſenti Republica aliam multo honeſtiorem cogitatione requirerent, in qua nobilitas, rerúmque peritia & probata virtus conſpicuo in loco, nequaquàm confeſſu imperitorum, atque infimorum hominum, pollu ta ſpectaretur. Gerebat eo tempore ſummum in Republica magiſtratum Bernardus Nerius, vir grauis & ciuili prudentia inſignis, qui Medi ceis uehementer, occultéque fauebat, utpote qui oderat eius ſectæ homines, qui Sauonarolam uanitate quadam, & religionis ſimulatione inducti, in eam exiſtimationis amplitudinem extuliſſent. Cum eo ſentiebant uiri ex prima nobilitate ditiſsimi, Nicolaus Ridolfus, & Lauren-

tius Tornabonus, Ianoctiúsque Puccius. Ii domi non paruum armorum & telorum numerum parauerant, quibus clientes ſuos, quum opus foret, iuſtruerent. Monuerántque Petrum, ut ſilentio coactis quantis maxime poſſet expeditis copiis, ad vrbem aduolaret: fore etenim, vt amicorum ſtudio, fauoréque plebis, ac adiuuante ſupremo magiſtratu, in urbem reciperetur. Tum enim forte ob inopiam frumenti, opifices egeníque homines famem ſentire cœperant, adeò ut palàm acerbé que magiſtratibus maledicerent, magna nec tacita quidem cum laude Medicei nominis. Nam antea Mediceorum ſingulari diligentia, qui agrorum ſterilitatem mature præſentire erant ſoliti, non modo fami, ſed mediocri etiam annonæ caritati, publicis priuatísque ſubſidiis obuiam itum fuiſſe meminerant. Itaque Petrus conquiſita ab amicis pecunia, cum Liuiano conſilium communicat, & copias occultiſsime cogit, Redierat Liuianus fuga elapſus paulò antè in agrum Romanum. Nam infelici exitu eius belli, quod in Lucania ad Attellam geſtum fuit, deletis Gallis Mompenſerius imperator dolore ac ignominia tantæ cladis acceptæ perierat, & Virginius Neapoli in cuſtodia (incertum febre an ueneno) fuerat extinctus. Igitur vir militaris & impiger collectis ex clade veteranis militibus, negocium reducendorum Mediceorum ſuſcepit, prouectúsque deuio nocturnóque itinere in Senenſem agrum, vbi Petrus & Iulius paternos amicos ex familia Petrucia cum multis eorum clientibus in auxilium euocarant, copias coëgit, ſtatuítque ingenti curſu ad Florentiæ mœnia prouolandum. Ea res tanto ſilentio compoſita inſtructáque eſt, ut penè priuſquàm ab agreſtibus ſentirentur, in urbis conſpectum ſe dederint: quominus autem, ut conſtitutum erat, ante auroram peruenirent, pleniſsimus himber haud dubie à Diis Mediceo nomini iampridem infeſtis, intemperanter effuſus, & curſu & armorum pondere fatigatos prohibuit. Petrus tamen & Liuianus ingenti animo producta ala equitum proceſſere ad portam Catellinam, uíxque eam ciuibus trepidis, & improuiſo in metu ad arma diſcurrentibus, Paulus Vitellius clauſit, qui quum ex itinere Florentiam forte ueniſſet, Magiſtratibus in tanto periculo, eius militaris uiri conſilium atque operam implorantibus, nihil plus ad tumultum delatus præceperat, quàm ut mature & diligenter portam tuerentur. Eo modo ſicuti Mediceorum amicis, ut in præclaro & multo iam die arma capere & prodire nequaquàm audentibus, ad explicanda perficiendáque conſilia, tempus animúſque defuit, ita qui exterius appropinquabant, opportune occluſa porta, decepti repulſíque ſunt. Subſtitit & ſuſpenſo animo Hercules Bentiuolus, inter Florentinorum duces militia clarus, qui ſe Mediceis (ſi tumultus nequaquàm uanus, in urbe oriretur) minime defuturum antea fuerat pollicitus. Signiferi ſiquidem regionum de more, ſatis conſtanter & opportune ad ſigna contribules ſuos euocabant, & tormenta minora aliquot elata in portæ propugnaculum contra hoſtes ultra fontem ad teli

iactum

iactum prouectos, emitti cœperant. Quibus de rebus Liuianus & Petrus desperato susceptí consilii feliciore euentu, ita receptui cecinerunt, vt mirabili ordine conuersis equis, qui nouissimi in aduentu fuerant, agmen ducerent, & primi portæ periculóque proximi constanti regressu terga abeuntium ex modico semper interuallo sequerentur: neque quisquàm aut tum aut postea armatus erupit. At Florentini Mediceos nunquàm tantum facinus aggredi ausuros fuisse iudicantes, nisi clientes eorum aliqua intra vrbem inita conspiratione aduentantibus præclaram ex occasione operam promisissent, singulari cura adhibita inquirere cœperunt, an aliquis eius rei particeps inuitatione Mediceorum esset effectus: duobúsque ferè mensibus, posteaquàm ea acciderant, prodente quodam Antellio, ex leuibus minutísque indiciis accusati sunt, Bernardus Nerius, qui paulò antè magistratu abierat, & ii quos antea nominaui, Ridolfus, Tornabonus, Puccius & Cambius, qui in quæstione torti, conuictíque demum testibus, ita damnati sunt, vt multo maxima pars ciuium in ea iudicii seueritate, reorum exilio contenti fore uiderentur, nisi Franciscus Valorius in secta Hieronymi Sauonarolæ facile princeps, turbulento ferocíque ingenio magistratus à mitioris pœnæ decreto, totáque ciuili lenitate deiecisset. Erat is Bernardo Nerio maxime infensus ex uetere priuata simultate: hunc quum omnino oppressum cuperet, vlla pietate adduci non poterat, vt cæteris parceretur, vti in eadem causa pari periculo implicitis: quanquàm his, & ante alios Ridolfo & Tornabono, amicitia & familiaritate maxime esset coniunctus. Tantum enim capitali odio, cæcæque libidini dandum putabat, ut quatuor eosdem nobiles, ac sibi alioqui priuatim amicos ciues, qui inani voto tantum, nec dira quidem cogitatione peccauissent, supremo supplicio punitos conspicere mallet, quàm Nerium publicæ clementiæ beneficio, sæuissimæ morti ereptum & incolumen. Itaque reis in tanta angustia octouiralis iudicii more maiorum à suspectissimo magistratu ad vniuersæ ciuitatis solenne iudicium appellantibus, unus Valorius, in ciues ad leniorem sententiam proclinatos vehementer inuectus, peracerba crudelíque oratione habita peruicit, ut per octouiros inconsulto alio frequentiore senatu, de conuictis supplicium sumeretur. His eo modo in custodia securi percussis, quum cadauera ad funus tradita spectarentur, populus ea atrocitate supplicii adeò commotus est, vt liberrime obloquendo, Sauonarolæ imprimis, sectatoribúsque eius, & Francisco demum Valorio summa, & ea quidem vtrique fatalis, inuidia conflaretur. Mediceis uerò tantum abfuit, vt ea propinquorum calamitas, vetus studium authoritatémque minueret, vt plerique antea parum beniuoli, ultro in partes transirent, audactérque aduersus Hieronymi sectatores, à quibus Respublica impotenti quodam iure usurpata tenebatur, inimicitias ex professo, bellúmque susciperent. Tantáque rerum atque animorum commutatio, non toto uertente anno his dissidiis Florentiæ

conſecuta eſt, ut Hieronymus, qui modo ſingularis ſanctimoniæ, virtutiſque nomine animis ciuium imperitarat, & in numerum diuorum ut uiuens referretur, publico conſenſu meruerat, concurſu populi, Senatúsque decreto damnatus ſit, & in area curiæ fœdiſsimo ſupplicio concrematus. Oppugnarat enim liberiore cenſura è ſuggeſtu Alexandri pontificis actiones, quum antea etiam eius diras, quibus aquæ & igni interdicitur, non omnino metuendas eſſe, tam impia quàm inſana uoce pronunciaſſet. Verum dum ad teſtificandam conceptæ diuinitatis opinionem, ſe piram ardentem ultro ingreſſurum, tutantéque numine impune euaſurum eſſet profeſſus, neque id demum prouocatus periclitari uellet, ulterius diuinæ prudentiæ famam, & probitatis exiſtimationem ſuſtentare non potuit. Atque ita qui ab excellenti doctrina ac uitæ continentia & honeſtate facundiáque incredibili in admiratione hominum aliquandiu fuerat, omnibus contumeliis & cruciatibus affectus, miſerabile & fortaſſe indignum tanta uirtute, incerto leuíque populo ſpectaculum præbuit. In eo tumultu, quo templum diui Marci ferro & flammis eſt oppugnatum, ut Sauonarola caperetur, armati hoſtes in domum Franciſci Valorii impetum fecerunt: qua direpta, atque etiam interfecta eius uxore, dum ipſe à lictoribus in curiam duceretur, à propinquis damnatorum ante proconſulis ædes fœde trucidatus, ſæui ac inſolentis ingenii ſui pœnas perſoluit. Interea Ioannes quanquàm in repetenda patria bis iam, & ſua conſilia, & fratrum conatus omnes inproſpere cecidiſſent, nouam fortunam Venetorum auſpiciis tentare conſtituit. Fuerat enim antea cum fratribus Mediolani, ſpésque omnes in una maxime prudentia atque authoritate Ludouici Sfortiæ collocarat, à quo etiam Iulianus in amicorum numerum honeſto familiaritatis loco fuerat receptus: Erat enim tum Florentinorum hoſtis, cum inſigni ſtudio tranſmiſsis copiis Piſanos ad tuendam libertatem hortaretur. Sed poſtquàm Ludouicus non iniqua, ſed infelici ſuſpitione correptus nimiæ Venetorum potentiæ inuidere, conuerſáque voluntate pro Florentinis Piſanos oppugnare cœpit, intelligebant planè Medicei nihil ſibi illius amicitiam eo tempore profuturam, ipsósque ſubinde nulla cum dignitate fruſtra laboraturos, niſi alios principes, qui præclare Florentinorum hoſtes forent, omnino quæſiuiſſent. Defenderant Veneti iam tertium annum Piſanorum libertatem aduerſus Florentinos, tantísque opibus terra maríque ſtudium ſuum in ſeruanda ea ciuitate declararant, ut nemo iam Italiæ principum dubitaret Piſanos extrema rerum neceſsitate, & magnitudine eius beneficii adductos, ultro in ditionem Venetorum eſſe conceſſuros: quoniam ciuitas publice ac priuatim magnis & frequentibus incommodis fatigata atque oppreſſa multo ære alieno, diutius libertatem tueri poſſe deſperaret: & propterea Venetis præpotentibus benigniori búsque dominis, quàm Florentino populo multum rebellionis iniuria exacerbato, honeſtius ſeruitura videretur. Iam enim ueterem arcem,

quæ ad

quæ ad mare uergit, ut fidei pignus foret, Veneto præſidio cuſtodiendam tradiderant, excedentibúsque urbe Sfortianis militibus, omnem prope adminiſtrandi belli curam Venetis legatis & ducib. reliquerant: quibus de cauſis Ludouicus Sfortia nimiam ac ſibi mox formidandam Venetorum magnitudinem veritus, immoderatæ eorum cupiditati obuiam eundum eſſe exiſtimauit, ne præpotens terra marique populus ac immortali conſilio vigens, in diuerſo Italiæ litore, copioſiſsima atque opportuniſsima vrbe potiretur. Itaque in Florentinorum partes tranſgreſſus, eos copiis contra Piſanos apertiſsime iuuit. factúmque eſt paucis menſibus uirtute Vitellii, qui pugnaciſsimum exercitum in agrum Piſanum adduxerat, ut cunctis ferme oppidis fortiter expugnatis, Venetus exercitus intra urbem Piſas compelleretur. Ea res coëgit Venetos maiora parare præſidia, ut & ſuis iam prope obſeſsis & Piſanis laborantibus mature ſubuenirent. Hanc nactus occaſionem Ioannes, quum in Flaminia ingentes copiæ cogerentur, cum Venetis egit, ut ipſe cum fratribus in ſocietatem gerendi belli reciperetur, docuitque propter multas Alpinarum gentium clientelas, quas ipſi Medicei in eo Apennini tractu habere conſueuiſſent, facile Venetos exercitus in Etruriam eſſe tranſcenſuros, nec tum demum ſi ualida arma proferrentur, ſibi omnino defuturos amicos atque affines, qui occaſionem commutandæ Reip. fortiter arriperent, ſeſéque magno populi ſtudio adapertis portis in patriam reciperent. Iis rebus conſtitutis, Veneti Guidonem Vrbinatem regulum, & Baleones Peruſinos duces ſtipendio conduxerant, magnúmque peditum numerum conſcripſerant. Petrus pariter & Iulianus, Iuliusque Medicei, ſeſe & Liuianum Carolúmque Vrſinum veteres amicos cum ualida peditum & equitum manu Venetis in Flaminia coniunxerant. Inſinuatíque per Apennini ualles quâ Anemo fluuius decurrit, Maradium oppidum occuparant. Ex alia parte Veneti per Caſſentinates Alpes in eos Apennini vertices, qui Aretinos & Cortonenſes deſpectant campos, peruenerant. Gerebatur atrox bellum in Alpibus creſcentibus vndique auxiliis. Nam Ludouicus Sfortia Fracaſſum Sanſeuerinum & Galeacium vicecomitem Florentinis auxilio miſit: qui ductis ad Maradium copiis, iunctíſque cum Ranuccio Martiano uiribus, Mediceos & Liuianum arcem tormentis oppugnantes, in fugam coniecerant. Nec multo poſt Liuianus Lauerinam occupauit, quod eſt cœnobium in ſummis Alpibus ab diui Franciſci, qui ibi ſtigmata diuinitus recepiſſe dicitur, inſigni miraculo celebratum. Inde Bibiennam oppidum ſingulari ac felici audacia ingreſſus, ea iuga Apennini præſidiis firmauit: Caſtelláque aliquot ignobilia ui cepit. Nec Florentini ciues, qui eo tempore in Republica principes erant, Mediceorum metu, ulla in parte belli ſtudium remittebant: utpote qui non iam de poſſeſsione Piſarum, ſed de patria ac dignitate retinenda, ſalutéque ſibi dimicandum uidebant. Quum nullum ſibi veniæ locum relinqui putarent, qui Mediceos pepu-

liſſent,& propinquos amicósque eorum clariſsimos uiros crudeliter interfeciſſent. Igitur Paulum Vitellium recenti tum rerum feliciter geſtarum gloria florentem ex Piſano agro reuocant, & ad ſumma Apennini iuga exercitum ducere iubent. Is nauandæ operæ, decoriſque auidus, vertices anguſtiaſque omnes munitionibus præſidiiſque præſepſit,ſingulariqúe celeritate atque peritia,diſperſos uariis in locis aggreſſus hoſtes, eos multis illatis detrimentis deiecit, Guidonémque & Iulianum intra Bibiennæ oppidum compulſos obſedit, tantáque uirtute & perſeuerantia inter niuoſas cautes,ſummaſque locorum aſperitates bellum adminiſtrauit, vt nemo Venetorum ducum relinqueretur, qui non aliquam insignem cladem ab eo uel à Sfortianis militibus accepiſſet. Quibus de cauſis Veneti de ſuorum periculo certiores facti, Petilianum ſummæ tum authoritatis eorum ducem cum iuſto exercitu in Cæſenatium fines miſerunt, ut inde ſubſidia ſuis in Apennino laborantibus ducere maturaret. Cæterum ire properantem tot nunciatæ ſuorum clades, & difficillima itinera, quæ toto Apennino prælatis niuibus tenebantur, maxime retardarunt. Interim Guido Feltrius abſumpto omni commeatu, amiſsis aut debilitatis, corruptiſque macie omnibus equis, certa conditione à Vitellio impoſita, ut abire liceret, impetrauit. Inde à Vitellio Bibienna arctius oppugnata atque obſeſſa, Nam Liuianus in Guidonis locum ſucceſſerat.Sed Venetis ac Mediceis improſpere Vitellianorum uim ſuſtinere conantibus, Hercules Ateſtinus Ferrariæ princeps inducíarum paciſque medium eſſe obtulit. Eumque exitum habuit id bellum, ut Veneti Piſis præſidia deducerent, Piſanis in poſterum aduerſus Florentinos terra mariúe ne fauerent,certámque pecuniæ ſummam impenſæ belli nomine, à Florentinis acciperent. At Ioannes ter improſpere tentata reditus fortuna, excedere tantiſper Italia,& per externos populos, ut temporibus ſeruiret, peregrinari conſtituit. Cum dignitate enim Romæ eſſe non poterat, nam Alexandrum Pontificem & Venetos, adſcitis in ſocietatem Florentinis, execrabile illud, ac Italiæ funeſtum fœdus cum Gallis percuſsiſſe cognouerat. Indeq. Italiam omnem ſubito arſuram bello, non ſine fœda rerum omnium confuſione prouidebat. Itaque ab Alexandro commeatu facile impetrato,cum Iulio fratre,patruele, & duodecim equitibus, depoſita purpura, pari cultu cum cæteris, è Venetiis in Vindeliciam tranſcendit, peruagatuſque eſt eum Germaniæ tractum, urbibus florentem, ſingulari cum ſua, tum comitum omnium hilaritate. Nam cum perſonam diſsimularet, & unus ſingulo quoque die, qui ſpecie domini cæteris imperaret, ex corona ſorte crearetur, acerbitatemque præſentis fortunæ ingenti animo contemneret, nihil unquàm ſe expertum iucundius atque feſtiuius ea vitæ libertate prædicabat. In Vlmam demum Sueuorum urbem peruenit,ubi cum à magiſtratibus honeſte retineretur, non multo poſt, ipſo impetrante, ſub cuſtodia ad Maxilianum Cæſarem eſt deductus: Qui eum vir humaniſsimus

niſsimus perbenigne ſuſcepit. Erat enim Mediceum nomen ex inſigni Laurentii Coſmique memoria omnibus in terris celebratum. Cæſar cum cauſas ſuſcepti itineris cognouiſſet, conſilium eius magnopere laudauit, quòd domeſticæ calamitatis caſum ſapienter ferret, ſpatiumque temporis cenſeret interponendum, quo ex bellicarum rerum ſucceſsibus, ad repetendam patriam, Fortunæ benignioris occaſio præberetur, quodque interea ignobili ocio, non modo honeſtam atque vtilem peregrinationem, ſed erudito ipſius ingenio longe digniſsimam prætuliſſet, qua haud mediocriter ad perfectam humanarum rerum peritiam adeundis tot nationibus erudiretur. Dedit inſuper ei diplomata ad ſecuritatem itineris, ac epiſtolas, quibus eum Philippo filio Belgarum regi obnixe commendabat. Inſpectis itaque Circumrhenanis urbibus, peragratáque nobiliore Germaniæ parte, in Belgas ad Philippum peruenit. A quo planè regiè & luculētiſsimè eſt ſuſceptus. Inde in Morinos ad Oceanum perrexit, in Britanniam traiecturus, niſi comitum ingentes tum forte Oceani fluctus formidantium hortatu in Galliam deflexiſſet. Quum Rotomagi ad oſtia Sequanæ uerſaretur, Galli ſuſpicaces repentinique homines, exemplo Germanorum eum cepêre, neque eum quanquàm ſeſe detegentem, ac cardinalem eſſe profitentem dimiſſuri erant, niſi Petrus frater, qui tum Mediolani Ludouico regi aderat, literas ad id impetraſſet. Ab Oceano demum per totam Galliæ latitudinem Maſsiliam delatus, conducto inſigni nauigio Romam nauigare conſtituit. Aduerſantibus autem uentis, quum Liguriam præterueheretur, in terram deſcenſione facta, abiectóque nauigandi conſilio, Sauonam peruenit. Erat ibi tum Iulianus Ruuereus cardinalis, cum vltro conſpectum Alexandri pontificis ueteris inimici defugeret. Is & longi itineris labore, & maris nauſea vexatos, amicè liberaliſsimeque ſuſcepit: ita vt tum in una menſa tres exules ſint conſpecti, uehementer inter ſe de priuata & publica rerum fortuna conquerentes: qui non multis inde annis, tametſi ſpe diſpari, non diſsimili tamen ſorte, ad ſummum Chriſtianæ dignitatis faſtigium peruenerunt. Genuæ demum apud Magdalenam ſororem, quæ Innocentii nurus fuerat, aliquandiu commoratus eſt. Ibi de infelicitate Ludouici Sfortiæ certius cognouit, quem è Germania, conductis inter auxilia Heluetiorum octomilibus, dum Mediolanenſe imperium repeteret, & paſsim propenſiſsima populorum uoluntate reciperetur, Heluetii barbara perfidia Gallis tradiderant, fraterque eius Aſcanius cardinalis in fuga à Venetis fuerat interceptus. Quibus de cauſis inde profectus, quod tum is annus erat ſacer ſæcularis Iubilei celebritate, Romam contendit. Eo tempore Alexander Pontifex cunctas humanarum rerum ac diuinarum rationes in tota conſilii ſumma, ad amplificandas ſtatuendáſque opes Cæſaris Borgiæ filii contulerat. Galli ad id ſocii atque adiutores erant, utpote qui nihil intereſſe putarent, ſi Cæſar totius Italiæ minores regulos excinderet, modo ipſi in præſens ad

non dubias ſpes uniuerſi principatus, duobus maximis imperiis potiren tur. Sfortianis enim dominatu pulſis & in carcerem coniectis, aduerſus Aragonios bellum parabant. Ipſe interim Cæſar togatam Galliam in poteſtatem redegerat, Riariis primo pueris Catharina matre capta, Foro Liuii & Foro Cornelii ui eiectis; Fauentia demum expugnata, atque enecato Aſtore regulo: Malateſtis ſubinde & Sfortianis Arimino Piſauroque deiectis. Eodem curſu Guidonem Feltrium pepulerat Vrbini principatu: Varanios Camertes regulos uetuſtiſsimæ nobilitatis Iulium Cæſarem & Venantium ſtrangularat: & reliquos paſsim opibus illuſtres, in eo ambitionis æſtu furens inexorabili crudelitate perſequeba tur. Habebat tum caſtra ad Claternam decimo ab urbe Bononia lapide: territabátque Ioannem Bentiuolum, eius urbis potiundæ percupidus. Sed Ioannes ſuſpectis ciuibus interfectis, aut pulſis, ita ſeſe uti uetus & ſagax tyrannus muniuerat, ut eius periculi vexationem pecunia facile redemerit. In tanto rerum motu, Medicei nullam omnino occaſionem prætermittendam exiſtimantes, qua patriam repeterent, ad Cæſarem ſupplices ſe contulerunt. In eo enim prope certam ſpem reponendam putabant, tantis ſcilicet copiis inſtructo, & cuncta impotentibus armis cum ingenti omnium terrore quatienti. Iuuabantur enim mirifica fide, uehementique officio Vrſinorum ducum, qui Cæſari militabant. Ii erant Paulus, Iulius atque Franciottus affinitate & beniuolentia Mediceæ familiæ coniuncti. Tranſcendebat tum Cæſar in Etruriam, Apenni no ſupra Piſtorium ſuperato, ut Iacobum Appianum Populoniæ, Illuæque inſulæ poſſeſsione depelleret. Cæterum ad Campum oppidum quinto à Florentia lapide caſtrametatus, ita in his locis moram trahebat, vt Florentinis oſtentando Mediceos exules, non obſcure minitari videretur. Quod nequaquàm eo tendebat, vt Medicei præclara eius voluntate ac illuſtri beneficio reducerentur, uerum ut ciuitatem ad eas quas ipſe concupiſſet, nouæ ſocietatis conditiones repræſentata ueteri Mediceorum dominatione compelleret. Porrò Medicei tametſi non inani coniectura inducti, eius promiſsi fidem, apud fallacem Borgiæ animum minime conſtare prouiderent: nihil tamen intermittebant, quod in negocio ſemel ſuſcepto opportunum foret. Erant inter Cæſaris duces, viri maxime ſtrenui Raphaël Pactius, & Marcus Saluiatus Florentini, quibus popularis Reipublicæ ſtatus erat inuiſus. Ii fidelem fortemque operam Mediceis pollicebantur: neque enim ciuibus erant ſuſpecti, quoniam utrunque familiæ nomine, propter ueteris & funeſtæ coniurationis memoriam, minime Mediceis opem allaturum apparebat. Per hos itaque Florentiæ, ueteres amicos ſolicitare, cohortari, docere quo præſertim tempore, & quibus maxime artibus foret conandum, ut Curia occupata, populariſque Reipublicæ ſtatu euerſo, ſua dignitas ordini patritio redderetur. Vrſini nanque per ſe ſoli copias ſuas, uel ignaro Cæſare, ad urbis portas adducturi erant, ea ſpe, ut Cæſarem (ſi fortuna cœptis con

ſiliis arrideret) id facinus minime repræhenſurum putarent: quando Medicei grato liberaliq́ue animo ad omne obſequium erga Borgiam familiam parati fore uiderentur. Id uerò facile fiebat, quoniam Cæſar milites ab omni maleficio adeò ſeuere propoſito ſupplicii pœna continebat, ut abſque vllo belli uel iniuriæ metu, populus pariter ac miles, caſtra & urbem ſpectandi ſtudio libera quadam commeandi licentia frequentarent. Interim dum in urbe Medicei nominis ſtudioſi, conſilia timide cunctanterq́ue explicant, firmioreſq́ue uires ad tutiorem ſucceſſum pa trandi facinoris quærunt, allatæ ſunt literæ Alexandri pontificis, ad quem legati Florentini iniuriam deprecantes antea confugerant. Is ciuitatem omni metu liberabat, hortabaturq́ue Cæſarem ex compoſito ſingulari aſtu, ut amicitiam potentis populi uel maximis exulum pollicitationibus præferre uellet. Quæ eò pertinebant, ut Cæſar dum ſe haud facile exorari poſſe ſimularet, nec ſine aliqua decoris labe paternæ authoritari obtemperare poſſe videretur, Florentinis trepidantibus, cum ipſas Mediceorum ſpes, tum & ſuam ipſius fidem ampliore aliquanto pecunia uenditaret. Itaque accepta aliquot millium ſumma à Florentinis, qui ſæpe in magnis periculis ſalutem publicam auro redimere didicerant, finibus exceſsit. Medicei uerò, haud temere ſibi cauerunt, ne & ipſi ſub eius hominis fide, apud quem nullum unquàm fuit iuſiurandum, per fraudem compræhenſi, hoſtibus multo auctiore pretio traderentur. Sequenti anno, qui à ſacro ſæcularis iubilei fuit ſecundus, noua ſpes repetendæ patriæ Mediceis adfulſit, utpote quibus ipſa neceſsitas in conſuetudinem uerterat, in tanta bellorum uarietate nunquàm de fortuna deſperare, conſilia ad ſingulas rerum occaſiones applicare, experiri omnium uoluntates, in urbéque præſertim Florentia, recenti ſemper fama infracti erectiq́ue animi, & præclaris apud principes actionibus exiſtimationem tueri. Militabat apud Cæſarem Borgiam Vitellocius Vitellius bellica laude inſignis. Is incredibili odio Florentinos perſequebatur, quod triennio antè, Paulum fratrem ipſorum imperatorem Caſſentinate & Piſano bello, de Republica benemeritum, falſis inducti ſuſpitionibus, ſæuo præcipitiq́ue iudicio necauiſſent. Ductabat Vitellocius alas cohorteſq́ue ſummæ uirtutis. Nam primus omnium Italos pedites in aciem contra Germanos ad Surianum felici uirtute produxerat, trahebatq́ue ſecum non contemnendam clientium multitudinem ex Tiferna te agro, proximiſq́ue Etruriæ oppidis. Paulus quoque Baleonus Peruſiæ facile princeps, quem ab inimicis domo pulſum, paulò antè reduxerat, ſigna eius cum manu peditum atque equitum ſequebatur. Nec deerant Vrſini cum Mediceis, tum ipſi Vitellocio uariis cognationibus adſtricti. Cum hoc duce Medicei fratres percuſſo certo fœdere ſe coniungunt: adiuuante & pecuniam ſumminiſtrante Pandulfo Petruccio Senenſium tyranno arma parant, & in Etruriam proficiſcuntur. Per vnos enim Mediceos exules Florentia capi non poterat, quando ciuitas

magna & opulenta, niſi domi hoſtem inueniret, nullis externis uiribus ceſſura uideretur. Iam Cortona Aretioque recepti fuerant: oppugnabántque Aretii arcem, per totámque Arni uallem oppidis frequentem, metum protulerant. Quibus de cauſis Florentini trepidare, uix opem in tumultuariis conſiliis reperire, ſuſpectare intus inſidias, foris hoſtem timere, & ante omnia plurimum uereri ne Vitellocius, iuſtiſsimo exacerbatus odio, & Medicei, quorum amici cognatique fœde eſſent interempti, in ipſos, qui tum maxime Rempublicam tenuiſſent, crudeliter ſæuirent. Parum enim ſubſidii in milite, quo tum apud Piſas bellum gerebatur, uti ſæpe fuſo reiectoque, reponebant. Nec deerant qui exiſtimarent, Vitellocium nequaquàm tantum bellum priuato conſilio priuatiſque opibus ſuſcepiſſe: quoniam eum uirum conſtaret, modicis domi facultatibus, & Mediceos ex perpetuis ſuperiorum temporum impenſis ære alieno paſsim contracto, minime tantos ſumptus toleraturos, niſi à Pontifice Cæſareque occulte ſubminiſtrata pecunia iuuarentur. Neque enim erat credibile, eum qui mercede conductus, ſub Cæſare ſtipendia faceret, inuito aut ignaro duce ſuo tanti momenti bellum aduerſus ualidiſsimos hoſtes gerendum putare. Sed ea erat natura ingenii Borgiarum, ut initia bellorum contectis auſpiciis ambigua & incerta eſſe uellent, ut cum euentus cæptis reſpondere cœpiſſet, tum demum ex tuto adapertis ſenſibus, ad certam præſentemque fortunam conſilia omnia uerterentur, ut tum accidit. Quum enim Vitellocio nequaquàm fauere uideri cuperent, dignum aliquem ipſorum uotis belli exitum expectabant. Interea Florentini, vbi ſe periculoſo bello uehementer premi conſpiciunt, nec quibus uiribus infeſto hoſti obuiam eundum ſit, patres ſatis expedite deliberant, in communi conſilio, ad Ludouicum Gallorum regem confugiendum cenſent, authore Petro Soderino, qui in concione deplorato Reipublicæ ſtatu, ita ſpem in Gallorum auxiliis collocandam eſſe differuit, ut niſi ea mature impetrata forent, perditas & conclamatas res eſſe pronunciaret. Aduentabat tum Ludouicus in Italiam, ſecum adducens Federicum Aragonium, qui paulò antè Gallicis, Hiſpaniciſque armis pulſus Neapolitano regno exceſſerat. Itaque Soderinus, ſingulari omnium ordinum aſſenſu commendatus, eius legationis munus ſuſcepit, pleriſque id parum conſtanti animo detrectantibus, quaſi orbatæ fortibus uiris Reipublicæ, nihil de ſalute ſua ſollicitus ſubueniret. Is uti erat egregie prudens, & induſtrius, apud Regem tanta grauitate ciuitatis cauſam egit, ut planè demõſtraret Regi magno pere eſſe cauendum, ne euerſa aut commutata Florentiæ Republica, quæ antiquo recentique ſocietatis iure Gallico nomini eſſet fœderata, ipſe demum amittendæ Neapolis, Ciſalpinæque Galliæ periculum ſubiret. Erat Ludouicus ingenio ſuſpicaci & ſuperbo, utpote qui in ſumma regii nominis authoritate, ſe à quoquàm principe, ulla in re contemni aut lædi minime pateretur. Quibus de cauſis celeriter ad Alexandrum

Cæſaremq.

Cæsaremq. perscribit, ut à Florentinis sociis suis abstineant, Vitellocium eiusque copias, Florentinorum finibus excedere, restituereque occupatas urbes continuo iubeant : id nisi fieret, se Florentinorum iniurias non esse neglecturum, transmissisque copiis, quos armatos in Etruria reperiret, vti communes hostes bello persecuturum. Ad has literas, Himbaldum quoque clarum ducem cum ualido equitatu in Etruriam aduersus Vitellocium proficisci iussit. Horum Gallorum aduentu, monituque Cæsaris, Vitellocii impetus statim est repressus : qui tamen in eo uictoriæ cursu, priusquàm Apenninum Galli transirent, flagitantibus id magnopere Mediceis, facile ad Florentiæ portas prouehi potuisset. Sed præpostero impulsus consilio, eam conficiendi belli occasionem prætermisit, quod nihil in tergo sibi relinquendum diceret: & propterea ad oppugnandum sancti sepulchri Burgum inepte regrederetur, adeò ut nequaquàm obscure apud Mediceos constare uideretur, Vitellocium, ut proximum Tiferno oppidum ditioni suæ adiectum foret, priuatæ cupiditati potius quàm bellicæ rationi obtemperare uoluisse. Eo interposito temporis spacio Himbaldus in Aretinos campos peruenit, cui uti Cæsar præscripserat in regis gratiam à Vitellocio certis conditionibus urbes traduntur. Quibus demum receptis, Florentinus populus, uti omni solutus metu, adeò effuse lætatus est, ut incredibili assentatione & studio, Petrum Soderinum, uti patriæ parentem (quod nunquàm antea per leges in libera ciuitate tentatum fuerat) antiquato bimestri magistratu, administrandæ Reipublicæ dictatorem perpetuum crearint.

FINIS PRIMI LIBRI.

VITAE LEONIS DECIMI, LIBER SECVNDVS.

SECVTVS est annus qui fuit à partu Virginis supra milleſimum quingenteſimus tertius, Vrſinæ domus clade, & opportuna Alexandri Pontificis morte inſignis. Cæſar enim cum antea patris potentia, ſacríſque opibus fretus, magnum ſibi in Italia imperium ſæuo ac impotenti animo deſtinaſſet, omnibus prope pontificiæ ditionis regulis crudeli perfidia trucidatis, Romanos etiam proceres ita afflixerat, vt Columnii, exuti oppidis, actique in exilium, per Appuliam atque Siciliam vagarentur: Vrſini uerò, qui in Borgiarum amicitia fuerant, principũ ſuorum funeſtam ſtragem lugerent. Vitellocius enim Paulusque Vrſinus cum Franciſco Gra uinæ principe, Liberoctóq. Firmano (qui in exercitu Gæſaris ordines du ctabãt) apud Senogalliam in familiari ipſius colloquio compræhenſi ne catique fuerant. Baptiſta quoque Vrſinus cardinalis, qui uetere pontificis gratia uigere uidebatur à pontifice captus, in cuſtodia ueneno perierat. Rainaldus item Vrſinus Florentinus antiſtes ipſorum Mediceorum fratrum auunculus, & Aloiſius Liuiani frater, in arce Molis Hadriani ad non dubium uitæ exitum ſeruabantur. Quibus de cauſis Ioannes conquieſcendum omnino, & uitam, quæ omni præſenti ſpe eſſet potior, uel ſub ignobili ſilentio traducendam conſtituit. Nam Pontifex inopiæ metu rapax, atque illo immani ingenio ſæuus, ut Cæſari filio magnos alenti exercitus, & regio luxu liberalitatem paſsim oſtentanti, pecuniam ſuppeditaret, ditiſsimum quemque cardinalium ueneno ſuſtulerat, haud dubie in reliquos aulæ ſacerdotiis atque opibus inſignes, hæreditatis ſpe ſæuiturus, niſi admirabili Deorum prouidentia, homo in religionis cauſa probroſus, & quod omnium fortunæ interfuit, ad exitium Italiæ natus, ſibi mortem, ſupremã uerò Cæſari filio calamitatem peperiſſet: hilariore ſcilicet in cœna dum ad umbroſum Vaticani ruris fontem uenenum bibunt, lagena pocillatoris errore commutata, quam dira fraude opulentis aliquot Senatoribus honoris ſpecie parauiſſent. Mortuo Alexandro, & Cæſare exquiſitis antidotis uel in ipſo iuuentæ robore ueneni impetum vix ſuſtinente, comitia ſunt habita, quibus Franciſcus Picolomineus, cui Ioannes enixe ſtuduerat, ſummus pontifex ſuſcepto Pii Tertii nomine renunciatus eſt, eò admirabiliore omnium lætitia, quòd melior pars Senatus quamquàm pauciſsimis nixa ſuffragiis, cæteros cum factionibus, tum Cæſaris imperio ſeruientes, ex longa contentione peruiciſſet. Verum Pius ſenectæ uitiis, & mortifero cruris ulcere uehementer affectus, intra paucos dies interiit. Tum uerò inſtauratis comitiis, tanto ſtudio in unum Iulianum Ruuereum uota ſuffragiaque omnium ſunt conuerſa, ut pene priuſquam conclaue ingrederetur, Pontifex ſit dictus,

incredibili cum dolore Cæſaris,qui ad exemplum incertæ nutantísque Fortunæ,quum Hiſpanos cardinales vti clientes ſuos, iurare ſolenni ſacramento coëgiſſet, ſe neminem niſi Borgiæ familiæ ſtudioſum ſuffragio adiuturos,eum ſtatim primo comitiali die,ſub thiara ſalutari pontificem viderit,quem ipſe paterque Alexander uti grauiſsimum hoſtem perpetuo decem annorum exilio mulctauiſſent. Nec multo poſt à pontifice,qui Iulii Secundi nomen tulerat,Cæſar Borgia, copiis urbibusque atque omni dignitate exutus,quum impetrata libertate ab Oſtia Neapolim enauigaſſet,à Magno Conſaluo capitur,& in Hiſpaniam tranſmittitur. Vbi cum ex cuſtodia profugiſſet ignobili quodam prælio à Cantabris eſt interfectus.Cõtendebant tum opulenti reges Lodouicus & Ferdinandus de Neapolitano regno,quod antea inter ſe, pulſis Aragoniis, contentioſa partitione diuiſerant.Pontifex,uti ſacroſanctum principem pacis atque ocii authorem deceret, in neutram partem ſeſe inclinabat. Vrſini duces,quòd à Gallis ut in uana ſpe victoriæ Italici generis auxilia facile ſpernentibus, minus liberali ſtipendio inuitati fuiſſent, ad Hiſpanos non leui ad maturandam uictoriam memento tranſierant.Eius belli exitu, quo Galli ad Lirim profligati ſunt,Ioannes grauiſsimi doloris uulnus à Fortuna ſuſcepit.Nam Petrus frater,qui in procuratione, tutelaque Caſinatis ſacerdotii diu fuerat,& propterea,ut in Gallorum ditione eorum ducibus militarem nauando operam adeſſet, quum è ſtrage conſcenſo nauigio Caietam contenderet,in oſtio Liris, fluctibus obrutus interit. Auctus eſt & hic domeſticus dolor, Fabii Vrſini,Pauli filii preclari iuuenis immatura morte, qui ipſe ad Lirim ſagitta per galeam adacta,tumultuario in prælio ceciderat.Itaq.Ioannes,quum ſpei ſuæ rationes tranſuerſo rerum ſucceſſu conturbatas erigere uellet,cum Galeotto florentis ætatis atque fortunæ iuuene amicitiam contraxit. Is erat Iulii pontificis ex ſorore nepos,ſuauitate ingenii,forma corporis,uitæq. ſplendore cum ipſi Iulio, tum & uniuerſæ aulæ Romanoque populo iucundiſsimus.Hunc primum, tradito pileo,quem ipſe antea geſtaſſet, legerat in ſenatum, defunctoque Aſcanio Sfortia Vicecancellarium creat,qui eſt honos ſingularis in Senatorio ordine, ampliſsimæ ac opulentiſsimæ dignitatis. Per hunc Ioannes apud pontificem,ab elegantia eruditorum morum auctiorem gratiam promeruit, clariorémque ſubinde nominis famã apud omnes eſt conſecutus.Diſputabatur enim inter nobiles & minus ſeueros ſacerdotes, ex ipſo honeſtarũ actionum certamine,de benificentiæ & pietatis officio, de præſtantia nobiliorum artium, de finibus iucundiſsimæ uoluptatis.Quibus in rebus diſſerendis uel obeundis,nemo unquàm Ioannem,uel ingenii elegantia,uel temperie, uel humanitate ſuperauit.Nõ deſunt qui affirment Galeottum,ab his uſque temporibus,quum de auunculi iam planè ſenis minus firma ualetudine dubitaret,conſenſu iuniorum cardinalium Ioanni uix triceſimum ætatis annum attingenti,pontificatum deſpondiſſe:ita ut dicerent,æquum eſſe,

ut iam tandem iuniores qui uigore animi ſenibus præſtarent,ſummo re rum imperio digni uiderentur. Verum nõ multo poſt Galeottus in tanta arridentis Fortunæ felicitate,uix triennio terris monſtratus rapidiſsima febre extinguitur. Eum ſolenni funere elatum quum populus nequa quàm adulanter luxiſſet, Ioannes ipſe,qui in ſuprema uſq. uitæ momenta erga morientem omnibus tenerioris amicitiæ & Chriſtianæ pietatis officiis erat perfunctus, ita deſiderauit, ut quum lachrymas tardiſsime depoſuiſſet,ſi forte eius rariſsimi iuuenis memoria induceretur, uel lætiore in ſermone ueterem triſtitiam & lachrymas ad oculos reuocaret. Sequentibus uerò annis dum Iulius pontifex Bentiuolo Bononia pulſo, & Venetis aqua & igni interdictis,arma tractaret,eundem ſemper cum pontifice iunioribusque cardinalibus ſtudii atque amicitiæ tenorem eſt ſecutus. Florentiæ quoque interea aſsidue dabat operam, ut magis ac magis potentibus in Republica patritiis iungeretur. In ſuperãdis autem difficultatibus, promerendíſque ciuium animis plurimum ualebat Lucretiæ ſororis ingenium, quæ ſingulari prudentia, uirilíq. officio, nulli unquàm uel tenui rerum occaſioni deerat, qua excitari familiæ nomen, & uetera hominum ſtudia accendi poſſe uiderentur. Nupta hæc erat Iacobo Saluiato nobili opulento,& in Republica admodum potenti. Qui tametſi antea Sauonarolæ doctrinæ & religionis admiratione fuerat ſtudioſus,& libertatis nomen obnixe coleret,æquabilique ordine liberæ ciuitatis magiſtratuum iura tueretur : ſemper tamen Medicearum partium erat habitus: & tum maxime in Soderino illam perpetuæ poteſtatis imaginem ferre non poterat. Siquidem Soderinus popularem ſeſe conuerſa Reipublicæ ratione profitebatur. Accidebátque propterea, ut quanto maiorem gratiam apud mediocres infimósque homines parare conaretur,tanto ipſe apud nobiliores ciuium ordines uiuidiore, & (uti poſtea præclare docuit euentus) pernicioſiore inuidia deflagraret. Erat enim ualde oneroſum,& moleſtiæ pariter odiíq.pleniſsimum perpetuæ dictaturæ nomen, adeò ut cum in ſenatu de bellicis, ciuillibusque negociis ageretur,Patritii Mediceorúmque ſtudioſi contrariis ſuffragiis illius ſemper conſilio atque ſententiæ obuiam irent,quaſi ei ad eleuandam minuendámq.authoritatem conſpiratione quadam illuderetur:quod tanquàm prudentia longe potentiſsimus, ad Reipub. gubernacula ſedens, cúncta iudicio ſuo regere, cæteris ueluti nutum ſequentibus, exiſtimari uellet.Sed uir patientia æquitateque naturæ incredibili,eas indignitates Reipublicæ cauſa ita deuorare cõtemneréq. erat ſolitus,ut quum moderate atque abſtinenter omnia cotidiani duriſsimíque laboris munia obiret,anguſtiores in dies ſpes commutandæ Reipublicæ Mediceis facere uideretur,Ioannesque ipſe aliquanto ægrius atq. languidius in tam longa expectatione conſiſteret. Iam enim quinquies per decem & octo annos magnis conatibus repetere patriam fuerat adnixus,ſemperque inde repulſus abſceſſerat, ita attritis opibus, ac amiſsis aduerſo exitu ueteribus

bus clientelis,ut insignis cardinalis personã haud diu tueri posse uideretur.Sed tanta erat in eo uis ingenii liberalis, eruditi, & quo mortalium animi facile capiuntur,alienis moribus obsequentis, ut lectissimi totius aulæ cardinales & antistites eum obnixe colerent, & literati ante alios ad bibliotecam summæ uetustatis,quam Laurẽtius pater Latini & Græcis uoluminibus comulate referserat,assidue frequentarẽt.Nec deerant Romani nobiles,propter insigne & plane regium uenãdi studium, quo postea pontificatum adeptus,omnes haud dubie superauit.Domus quo que semper plena erat phonascis & musicis, quum in ea arte usque ad fœcunditatem ingenii peritissimus euasisset.Conspiciebatur etiam officina nobilium artificum,quando nullibi libentius pictores,statuarii,scal ptoresque gemmarum,& antiquitatis studiosi, monumenta artis deponerẽt,quàm apud Mediceos,qui gentilitia quadam hæreditate, cæteros omnes argutia & subtilitate iudicii præcellere dicerentur.In his enim di gnissimarum artium studiis, multus erat Iulianus frater cognomento Magnificus,à quodam uirtutum omnium concentu, mortalium iucundissimus:& Iulius patruelis equestris ordinis è Rhodia militia : qui propter eximiam animi moderationem,rerũmq. peritiam postea pontifica tum est consequutus.His egregiis artibus Ioannes quanquàm existimationem(cuius cura in exule debet esse potissima)mirifice sustentaret, sæpe tamen accidit, ut in mediis conuiuiorum apparatibus, obsonatores pecunia deficere.Et quoniam à nimia liberalitate exulantis fides ubique suspecta redderetur,necesse aliquando fuit, expositа in ornatum abaci argentea pocula,in macellis & foro piscario reliquisse. Hæc ingentis & regii spiritus uiri principaliq.uitæ deditum uehementer angebant:quod aut remittenda foret splendidioris uitæ consuetudo, unde nominis famam abunde tueretur,aut creditoribus tam benigne de se meritis omnino decoquendum . Verum tanta erat è uultu semper læto præsentis inopiæ dissimulatio, & aperta contemptio, ut certos eum semper crederes è cœlo prouentus expectare, quibus omnino præstanti fide debitæ pecuniæ soluerentur.Et certe Fortuna,quæ ei summum in terris imperium struebat,eius egestatem miris ac inexpectatis subsidiis sæpissime subleuauit . Quum uero à frugi monitoribus aliquando repræhenderetur,dicere solebat,insignes uiros cœlesti sorte fieri magnos,propterea nihil eis unquàm posse deficere,nisi ipsi animis omnino deficerent . Eo modo inique cum inopia colluctantem illa ipsa Fortuna, quæ spes eius & conatus omnes eluserat,ueluti pudore adducta feliciter erexit.Factus enim est inexpectata Iulii Pontificis liberalitate Bononiæ legatus,atque ei simul magnus exercitus, quo bellum aduersus Gallos gereretur, attributus.Is honos opportuno tempore collatus,& ad recuperandam patriam,& ad parandum pontificatum, & denique ad plenissimam rerum omnium felicitatem, ianuam pandentibus Fatis aperuit. Discesserat tum forte (ut altius repetamus) Iulius à fœdere ac amicitia

Ludouici, ſpetie quidem, quòd Alfonſum Ateſtinum, qui à Romanis pontificibus Ferrariam beneficiario iure optinebat, aduerſus ſe tuendum defendendúmque ſuſcepiſſet: quum ille terra à Gallis & Pado amne ab ſe profligatis Venetis in Paduſa ſalinas maximi prouentus vſurpaſſet, neque in his rebus uoluntati pontificis obtemperaret. Cæterum in prealtis animi receſsibus grauiores cauſæ põtificem cunctis ſenſibus peracrem, ſtrenuum, indomitum, uehementer excitabant, ut ſaluti Italiæ mature proſpiceret, diligentiſsimeque caueret, ne deletis Venetis impotenti demũ barbaro foret ſeruiendum. Nanque Ludouicus ubi uno fæcundo prælio Venetas opes contriuit, ac ademptis tot urbibus continentis gentem aduerſo rerum ſucceſſu cõterritam, intra plaudes, ipſasq. Venetias circumflui maris beneficio permunitas compulit, cunctis formidandus euaſerat: præſertim quum ad id bellum Maximilianus Cæſar nihil ferè præter legatos & Auguſti nomen attuliſſet. Nouerat Iulius Galli regis ingenium proferendi imperii maxime auidum: nouerat inexhauſtas Gallorum opes, videbat florentiſsimum Mediolanenſium imperium exactis Sfortianis Galliæ attributum: Liguros uerò ſuos, armis plane domitos, ac arce ceruicibus impoſita in ſeruitutẽ redactos. Porrò Venetos, quorum toto orbe terrarum, paulò antè ſumma & inueterata fuiſſet auctoritas, unius horæ momento, copiis, imperio, ac dignitate penitus eſſe ſpoliatos. Quibus rebus adductus (uti pium æquiſsimumque & uere Italum pontificem decebat) Venetos, ne ſe tantis fluctibus obrutos, plané demerſos, ac penitus extinctos uellet, ſuppliciter deprecantes, ſubleuandos cenſuit: Legatos eorum in Vaticano adiecta ſolenni precatione pro templi foribus expiauit, urbi eorum ſacra reſtituit, ictóque ſubinde fœdere, quo illi maris imperium eiurabant, & ſacerdotia ſancto pontificum arbitrio conferenda relinquebant, in amicitiam fidemque recepit. Conatus quoque eſt pertrahere in partes Alfonſum, ut eum à Gallis omnino diuelleret. Sed ille uti Veneti nominis uetus hoſtis, & diffiſus ingenio põtificis cum ſeſe Ludouico regi perſoluta pecunia, & ictis fœderibus applicaſſet, ne quid per uim ſibi impoſterum à quoquàm foret timendum, adhortationes ſimul ac minas pontificis, ſub tutela Gallorum longe tutiſsimus ſemper contempſit. Ab his initiis nouum bellum protinus exortum eſt, quo nullum uel atrocius, uel diuturnius in Italia poſt exactos Gothos, maiores noſtri, uel audiendo, uel legendo fuiſſe meminerant. His de cauſis, quas memorauimus, Iulius pontifex Alfonſum Ateſtinum, quòd ad alieni externíque regis auctoritatem ſe contuliſſet, quod ſpreta pontificia maieſtate, dicto audiens non eſſet, quanquàm ab ipſo ſummi honoris cauſa Romanæ eccleſiæ Vexillifer fuiſſet appellatus, uti contumacem & plane ingratum, hoſtem iudicat: in eum diras exercet, & hoſtiliter in eius fines copias inducit. Ipſe conſtitutis urbanis rebus, multaque coacta pecunia, ab vrbe proficiſcitur, Bononiamque contendit, ut in urbe copioſiſsima in-

tentus

tentus in omnes occaſiones ex propinquo bellum adminiſtraret. Ex iti nere autem ab eo diſcedunt Bernardinus Caruaial, & Federicus Sanſe uerinus,& plerique alii Hiſpani & Galli cardinales deprauati à Gallis,& ab amicitia pontificis diducti: qui quum Caſsia uia per Etruriam ſe itu ros (uti commodiore itinere) prædicarent, contra uoluntatem reuo cantis Pontificis, per Apuanos ſaltus Ticinum uſque delati ſunt, animo agitantes quibus rationib. indici conuentus poſſet: ut lacerata & conuul ſa multis criminationibus pontificis dignitate, alius uti optimus atque ſanctiſsimus Chriſtianis ſacris præficeretur. Nec malignis & exitioſis eorum conſiliis deerant Ludouicus & Cæſar, qui huiuſmodi concilio præter authoritatem, ſummam etiam uim tantis inſtructi copiis adhi berent. Porrò Iulius, uti uir acutus & impiger,ratus id quod erat, Lu douicum Alfonſo nequaquàm eſſe defuturum, ut undique magnis præ ſidiis res gereretur, Ferdinandum Hiſpaniæ regem nouo icto fœdere ſibi coniungit, ea lege, ut ipſe ei iura Neapolitani regni authoritate pon tificia confirmaret: ab rege uero in auxilium cum quadringentis equiti bus cataphractis Fabritius Columna mitteretur,qui tum erat præſtantis animi & ſpectatæ uirtutis imperator. Heluetios quoque ferociſsimam gentem, unde ſibi ſumpſerat prætoriam cohortem, agro Comenſium finitimos mercede conducit: ut cum duabus legionibus in fines Gallo rum Inſubrum irrumpant, & ab ea parte, quàm maxime poſsint Ludo uici copias diſtineant.In Thyrreno quoque mari parat claſſem, & cum ea Veneti Grillum Contarenum cum duodecim triremibus coniun gunt. Huic Octauianus Fregoſius, cuius pater & patruus Genuæ tenu erant principatum, præficitur, ut Genuam patriam repetat, & eiectis Gallis uindicet in libertatem.Additur Fregoſio M.Antonius Columna, qui cum ala equitum, & cohortibus è Lucenſi agro terreſtri itinere pro cedentis claſsis curſum adæquaret. His rebus conſtitutis,decretum eſt, ut eodem quoque tempore circiter nonas Septembres Veneti ſumma ui & celeritate copiis adauctis Cæſarianos inuaderent, qui ab Verona in Vicentinum & Patauinum agrum cuncta uaſtantes, ſeſe effuderant: Pontificius uerò exercitus,cui præerat Franciſcus Vrbinas fratris filius, in Mutinenſem agrum induceretur. Nec mora,ea urbs adiuuantibus Rangonis à pontificiis occupatur.Sed cæteros conatus omnes,& tot di uerſi belli apparatus Fortuna, tum Iulio infeſta & Gallis plurimum arri dens, protinus eluſit. Heluetios nanque uti homines venali militia gau dentes, quum in agrum Comenſem deſcendiſſent, Carolus Amboſius cum equitatu aduerſus eos profectus, oſtentata acie,& præbita pecunia facile repreſsit in patriam. Fregoſius uerò & Grillus, quum multis re bus ſuperiores ignaua cunctatione nauali prælio cum Preianne Gallo rum archipirata contendere dubitaſſent, ſummæ ſpei uictoriam fœdiſsi me corruperunt. Pari quoque exitu Venetus exercitus Gritto legato,& L.Maluetio duce poſt ſummotos & intra Veronæ mænia compulſos ho

ſtes adeò temere urbem oppugnauit, ut aliquot ibi amiſsis fortiſsimis cohortium præfectis, cum ignominia receſſerit. His aduerſis rerum ſucceſsibus commotus Pontifex (qui propter impetum æſtuantis ingenii, ira ac dolore extimulari facilius quàm animo frangi poterat) dum vehementibus conſiliis bellum renouat, in morbum incidit ab ipſo graui autumno in exacta ætate, multa uitæ intemperantia ualde ſuſpectum. Ex aduerſo autem fremere Ludouicus, qui ſecundis belli initiis animum natura ferocem aperte ſuſtulerat: lacerare famam pontificis: & palàm dictitare, ſe, qui uti optimo pontifici eiectis Bentiuolis tyrannis Bononiam tradidiſſet, eam protinus expulſo pſeudopontifice Bentiuolis uti optimis ciuibus eſſe redditurum. Nec mora, Carolus Amboſius cum ualido exercitu traiecto Pado, ad Mutinæ portas delatus, quum nihil ibi proficeret, quod ea urbs magnis Vrbinatis & Baleoni præſidiis tenebatur, ad tertium uſque ab urbe Bononia lapidem uaſtabundus copias promouit, præmiſitque Bentiuolos, ut ad portas nouandi rebus ſtudia ciuium excitarent: haud dubie impotenti illa ac immani audacia ſacroſanctum pontificem oppreſſurus, niſi eum qui armis defendi non poterat, Hiſpaniæ & Britanniæ Regum legati in caſtra ad Amboſium properantes, minis & grauiſsimis conteſtationibus protexiſſent. Denunciarunt enim conceptis uerbis & rogatis tabellionibus reges ſuos Ludouico, niſi à uexando pontifice protinus abſtineret, ruptis antiquis fœderibus hoſtes futuros. Eo quoque die ex Venetorum auxiliis equitatus traiecto Pado, & in his ualida Turcarum ala Bononiam peruenit: & Fabritius Columna, qui Fauentiam citato agmine præteruectus feſtinabat, adeſſe nunciatur. Quibus de cauſis Amboſius nefario incœpto deſtitit, in quo fuit occaſio conficiendi belli longe pulcherrima, ſi audax & impius, quàm grauis & Chriſtianus imperator eſſe maluiſſet. Verba etenim legatorum magnifacienda eſſe iudicabat, ne temere ſuo regi tantum bellum undique concitare uideretur. Audiebat etiam auxilia undique conuenire, & exercitum Vrbinatis, qui commeatus intercluderet, in tergo eſſe meminerat: ac ſimul certior fiebat Bononienſes, qui verecundia & maieſtate præſentis ægriq́ue pontificis adducti, Bentiuolos à porta repuliſſent, in officio & fide mirifice confirmari. At Iulius vno tempore animi ſimul & corporis ægritudine ſubleuatus, nihil ſeſe animo demittit. Amboſium omneſq́ue minores duces nominatim ſacris interdicit, exercitum auget: & quanquàm duriſsima hyeme (qua gelatus Padus curru lia tormenta ſuſtinuit) ad bellum proficiſcitur, feruidiore quidem animo quàm deceret ſenem inualidum, & ſummæ ſanctitatis perſonam ſuſtinentem, niſi eos impetus in optima cauſa religionis arroganter à Gallis uexata dignitas excuſaret. Cæterum quum nobiliore conſilio Ferrariam haud magnis eo tempore præſidiis atque munitionibus firmatam inuadere debuiſſet: inde auerſus perfidioſis artibus Alidoſii cardinalis, Concordiam & Mirandulam ad Gabellum amnem expugnauit: haud

ſatis

ſatis decora præmia pro tantis apparatibus atque laboribus : nihil præſertim Amboſio ſeſe ex hybernis explicante : qui importuno tempore amoribus & luxui deditus, paulò poſt inertiæ apud Ludouicum accuſatus, defenſionem præoccupante morbo, Corregii moritur. Capta Mirandula, Iulius haud dubie frigoris duritie ſuperatus, uti uictor Bononiam eſt reuerſus. Nec multo poſt eius copiæ apud foſſam Giliolam ab Alfonſo, qui eas diſsipatas in hybernis, & ſecurius epulantes adortus fuerat, cæſæ fuſæque ſunt. A' parte alia Amboſio mortuo Gallici belli curam ſuſcepit ipſe Triuultius vetus & ſummus imperator. Is ſingulari peritia,grauitate,fortunáq.ad conficiendum bellum progreſſus,ſemper opportune caſtrametando, ſemper firma acie ductando agmen, ita Iulium exterruit, ut retro Rhauennam recedendum putarit. Vrbinatem uerò adoleſcentem, quod Fabritius finito ſtipendio diſceſsiſſet, in eas difficultates compulit, ut reiectum ad Bononiæ mænia, inſtando premendóque tormentis, caſtris, magnáque parte exercitus exuerit. Ea uictoria, admirabili ducis conſilio parta,ſine uulnere militum Gallorum,Bononiæ portas Bentiuolis aperuit,quum Alidoſius legatus neque præſidia ex fidelibus paraſſet, neque commeatu muniſſet arcem, & ipſe ex conſcientia ſcelerum inuoluto capite profugiſſet. Fuit adeò fœda fuga pontificii Venetíque exercitus, ut ſi Triuultius ueſtigiis inhærere uoluiſſet, haud dubie pontificem cum imbelli turba ſacerdotum eſſet oppreſſurus. Sed uir pia grauitate,uictoriæ modum impoſuit. Alidoſium uerò ex fuga Rhauennam delatum, quum in ſago militari, abiectis honoris inſignibus mula uectus, ut ſe expurgaret, ad Iulium in arcem pergeret, ſors ſcelerum ultrix, Vrbinati prætereunti forte obtulit. Et ab eo confeſtim nihil contra molientibus cuſtodibus corporis,trucidatur. Impurus certe ſacerdos, & mortalium nequiſsimus,quíque eam Iulio & Vrbinati, infido peruersóque ingenio, cladem peperiſſet. Iulius & fratris filii facinus, quamuis ab omnibus probaretur, & alumni ſacratíque uiri cædem ægerrime ferens, magnis itineribus Romam contendit. Tum uerò Ludouicus & cardinales qui à Iulio diſceſſerant, ſucceſſu rerum elati, quin concilium indicerent, minime dubitarunt. Nihil enim in affectibus mortalium magis ſpiritus efficit inſolentes, quàm ipſa victoria. Nomine igitur Ludouici & Cæſaris atque item cardinalium uictus pontifex ad concilium, quod ad Kalendas Septembres futurum eſſet, euulgatis ſuper ea re tabulis, euocatur : Piſis ſedes deligitur. Vbi cenſoriis legibus deſcriptis, ſacerdotum omnium mores eſſent corrigendi & ſtatuenda multa quæ ad dignitatem Chriſtiani nominis pertinerent. Erat concilii princeps Bernardinus Caruaial inter cardinales genere, literis & multis legationum honoribus clarus, cæterum natura admodum uentoſus, & perditus ambitione. Huic Sanſeuerinus uerſutus ingenio, pontificatum deſponderat, adulandóque & propinquas ſpes oſtentando, eum gloriæ & ſummi imperii dulcedine prorſus infla

uerat. Alii uero tum Galli, tum Itali, rectius & diſsimulantius, nec à minore tamen inſania ad pontificatum anhelabant. Is enim eſt mos in concilio ſolennis, præſertim cum duo inter ſe contendunt (ſicuti Conſtantiæ Baſileæque accidit) ut pontifex ſeſe pontificatu abdicet, & priuatus interſit: Vt unus creetur, qui ſit omnium ſuffragiis uirtute & pietate longe clariſsimus. Propterea nihil pontificibus concilii nomine magis inuiſum, ſuſpectum, & periculoſum exiſtimatur. Igitur Iulius ubi uidet ſe à Gallis ui aperta & tantis inſidiis oppugnari, à Ferdinando Rege uti uere catholico, & ab Henrico Britanniæ rege iuſtitiæ & religionis amantiſsimo auxilium implorat, ſacroſanctum imperium nefariis uexatum armis & uiolatam pontificiam maieſtatem queritur, ius conuocandi concilii apud ſe non apud deſertores impioſque cardinales eſſe demonſtrat: monet ut caueant ne Ludouicus ubique uictor, impotentibus armis totius Italiæ imperium arripiat. Nec mora illi defendendas iniurias legitimi pontificis ſingulari ſtudio pietateque ſuſcipiunt, reprimendam iuſto bello Gallorum immanitatem cenſent, ab utroque commeatus, pecuniæ, armaque parantur. Henricus ut in Aquitaniam traiiciat, Ferdinandus ut Cantabriam & Nauarræ regnum inuadat: quod tum erat ſub tutela Gallorum, ſed ueteri Hiſpaniæ imperio antiquitus attributum. Interea legiones duæ Hiſpanorum veteranæ ex Africa in Italiam traſuehuntur duce Nauarro, qui in Mauritania atque Numidia magnis rebus geſtis eximii ducis nomen, ex gregarii militis fortuna fuerat conſecutus. Ipſe pontifex ubique copias conſcribit, Romanos proceres & duces utriuſque factionis alarum & cohortium præfecturis exornat. Ante omnia ingenti animi magnitudine, aliud ſolenne concilium Romæ in Laterano celebrandum edicit, Piſano fidem abrogat, eius urbis euerſæ uaſtitatem tenuitatemque deridet, anguſtum conueniendi terminum à cardinalibus in quartum menſem iure optimo redarguit, & toto terrarum orbe euocatis Romam ſacerdotibus, omnia tuta, pacata, commoda, in communi & libera gentium omnium patria pollicetur. Huius præclari & ſalutaris conſilii author ante alios extitit Antonius Montanus nuper in ordinem ſenatorium cum honore pilei delectus, qui ab eximia fide, ac excellenti legum peritia neque ſpecioſius, neque ualidius Piſani concilii initia opprimi aboleríque poſſe prædicabat. Erat Iulius animo maxime infenſus Petro Soderino, qui contempta maieſtate pontificii nominis, ut Gallis obtemperaret, concilio ſedem præbuerat. Is propter eximiam prudentiæ ciuilis opinionem, Florentiæ ex uexillifero dictator perpetuus (vti diximus) erat effectus, qui honor nemini antea contigerat: ita ut ſibi magnam apud patricios inuidiam ex eo perpetuo magiſtratu conflauiſſe uideretur, uixque par erat ſuſtinendæ inuidiæ, niſi ſe ipſum Gallorum amicitia, & præſentibus eorum opibus tueretur. Hunc quum ſæpe Iulius per legatos amiciſsime monuiſſet, ut his rebus, quæ ad ſacrorum contentionem & concilii nomen pertinerent, abeſſe uellet:

uellet: ne qui ſedem locumque inimicis ſuis incaute fortaſſe præbuiſſet, ab ſera demum pœnitentia contumelioſiſsimi & execrabilis facti, quo cuncta plane eſſent ruitura, author extitiſſe diceretur: ſed ingentes Gallorum opes, atque ea præſertim recens uictoria, aures Soderino præcluſerant. Itaque acuti uehementiſque ingenii pontifex, uti erat in ulciſcendis iniuriis acriter exardens, excidium ei comminatur, & ad declarandum odium, Ioannem Medicem legatum Bononiæ conſtituit, Soderino maxime metuendum, ut pote qui unus ampliſsimas haberet facultates ad euertendum eum ſtatum ciuitatis, quem Soderinus ex inimiciſsimis Mediceo nomini, clientibuſque ſuis antea conſtituiſſet. Optimates enim (ut diximus) aut magna ex parte ex propinquis Mediceorum cenſebantur, aut ex his erant, qui propter dictaturam, inimici Soderino facti, eius decretis atque ſententiis in Senatu aduerſari, eiuſque potentiam haud obſcurè labefactare conſueuerant, dulciſsimaque erat apud populum memoria Medicei principatus, & Laurentii præſertim, qui ſingulari uirtute atque modeſtia ad clauum reipublicæ ſedendo, ciuitatem in maximam authoritatis & rerum omnium amplitudinem perduxiſſet. Interea cardinales ad concilium Piſas peruenêre, quibus aderat præſidio Odettus, cognomento Lotrechius quadringentos equites cataphractos ſecum trahens. At Florentini optimates, ubi nunciatum eſt aduentare Gallicum equitatum, qui Piſis hyemaret, uti de retinenda ea urbe ſolliciti, Soderinum adeunt, imprudentiam eius incuſant, qui eam urbem uix per quatuordecim annos ferro famèque domitam dudum recepiſſet, incaute admodum incertæ fidei cardinalibus externiſque hominibus eſſet conceſſurus. Nec mora coacto ſenatu, omnium fere ſuffragiis legati ad Lotrechium, & ad cardinales decernuntur: qui denuncient, nequaquàm placere populo Florentino, ut copiæ militares intra fines recipiantur, propter acerbiſsima in ſe Piſanorum odia, qui nulli omnino occaſioni, ut amiſſam libertatem recuperarent, defuturi eſſe uiderentur, ſacerdotes enim Piſis Florentino præſidio ſatis tutos & incolumes & liberos futuros, ſi tranquille ac religioſe de diuinis rebus, potius quàm de humanis contentionibus diſputare decreuiſſent. Id decretum Soderini exiſtimationem, qua plurimum apud ciues uale re Gallis uideri uolebat, uehementer imminuit. Quam ob rem conatus eſt & fœdiore quidem conſilio, ut magis Gallis faueret, eum conuentum Florentiam omnino reducere, ubi ceu in ampliſsima urbe nihil eſſet neceſſe armatis præſidiis tueri ſacerdotes, quando nulla à quoquàm timenda iniuria uideretur. Id à Gallis probabatur, & cardinalibus etiam mirifice placebat: utpote qui propter urbis dignitatem concilio clariorem famam acquiri facile intelligebant. Sed iidem optimates amici Mediceorum qui de præſidiis impedierant, & huius quoque conſilii, uti inutilis & importuni mentionem uno ſubſelliorum ſtrepitu ſuſtulerunt: quaſi ciuitatem cum omnibus Chriſtianis fœdere coniun-

ctam, & pontificio nomini ſemper amiciſsimam, ſi diſsidio ſacerdotum & Schiſmati in ea locus præberetur, & nouo ſimul bello, ac diris mox & execrationibus iure alienati iratíq. pontificis obiectaret. Itaque quum Piſis ſine præſidio ſeptem cardinales cum paucis epiſcopis deſertiſsimo conuentu habito cuncta infauſte aduerſus Iulium molirentur, grauis etiam tumultus in ponte Arni (caſu an conſilio incertum) inter Gallos & Piſanos, gladiis utrinque diſtrictis exortus eſt. In quo nonnullis utrinque vulneratis, ipſe Lotrechius ſummum uitæ periculum adiit, ſeruatus haud dubie adcurſu filii prætoris, qui ad dimouendam turbam in confertos equum adegerat. Qua ex re tantus repente timor omnibus eſt illatus, ne per proditionem Iulio dederentur, ut mox Piſis excedendum putarint, atque inde continenter Mediolanum ad renouandum ibi concilium effuſo curſu ſe receperint. Fuêre qui exiſtimarent Soderinum non ſua uoluntate locum dediſſe concilio, ſed uehementi impulſu Franciſci fratris cardinalis, qui erat Gallicæ factionis: & præclara ſimulatione ab his qui diſceſſerant impetrarat, ut ipſe apud Iulium relinqueretur ueluti conſiliorum omnium certiſsimus ſpeculator. Erudito nanque uerſutoque ingenio propter incertos rerum exitus, pilei dignitatem grauibus periculis implicare noluerat, ſed tacitus callido ſenſu quorſum uis conuentus euaderet, in utrunque caſum conſilio paratus expectabat. Non abſurda etenim ratione ad pontificatum poterat aſpirare, ſi forte Iulio ſede pulſo, ipſe ueluti medius Iulianorum ſimul amicitia, & Gallorum ope, & totius demum Etruriæ ſtudio ſubnixus, ſeſe candidatum diſsidentibus cardinalibus oſtendiſſet. Hic uir enim acutus & excellens, niſi inſignes animi uirtutes incredibilis auaritia defœdaſſet, dicere erat ſolitus. Nihil homini petenti excelſa, & præſertim in hac aulæ fortuna uerſanti, uel uſu melius, uel expeditius eſſe, quàm duabus omnino ſellis ſedere, ſi abſque certa offenſione fieri poſsit: quoniam nihil unquàm ex toto in alterum aleæ euentum ſapienti periclitandum eſſe uideretur. Suſcepta legatione Ioannes, & amici pariter & clientes eius, in ſpem haud dubiam recuperandæ patriæ cogitationes erexerunt. Ipſe cum exercitu longe omnium ornatiſsimo initio hyemis ad oppugnandam Bononiam eſt profectus. Imperii nomen penes Raymundum Cardonium fuit uirum hercle nobilem: ſed ciuili potius quàm militari gloria florentem. Cæterum uires & conſilii ſumma in Fabritio Columna, Petróque Nauarro plurimum eminebant, quos uti militiæ magiſtros Cardonio Ferdinandus addiderat. Quum in Galliam togatam ex Picæno Vmbriáque eſſet peruentum, Nauarrus à uia Flaminia dextrorſum in Ferrarienſium fines diuertit, & Baſtiam hoſtilis agri propugnaculum ualidiſsimum tormentis adortus expugnauit, fortiſsimis defenſoribus cum duce Veſtidello ad unum interfectis. Inde ad Bononiæ mœnia exercitus eſt perductus, & à porta quæ Florentiam ducit, oppugnatio cœpta. Erat in fama terroréq. hominum Nauarrus, qui ab admirandis artibus

turrium

turrium atq. arcium euersor esse dicebatur, quoniam Neapoli duas arces excauatis subter cuniculis, & succenso intus tormentario puluere stupentibus cunctis ui furẽtis ignis in altum eiectas radicitus excidisset. Is ad eam muri partem, cui coniunctum erat Baracani sacellum Mariæ uirgini dedicatum, cuniculos agebat: non longe uero cum è summis collibus, tum productis ad uineas tormentis mœnia quassabantur. Contra Bentiuoli ualidas Germanorum & Gallorum manus introduxerant, cli entes armauerãt, & apertis occultisq. præsidiis tota urbe collocatis, sese aduersus hostium uim & ueterum inimicorum egregie tuebantur. Erat populus Bononiensis ingenti metu perculsus, & in primis uiri patritii eo periculo uehementissime terrebãtur, quod aduersus sacrosanctum pontificem, atque eundem quidem qui paulò antè ab omnibus ciuitatis liberator fuisset appellatus, ingratissime & scelestissime rebellassent, arcem ab eo conditam euertissent: & denique statuam ipsius æneam templi fastigio detractam, & uariis fœdatam ignominiis, ad extremum in tormẽta conflauissent. Quibus de causis Ioannes legatus ne Bononienses ueluti desperata uenia animos desponderent, & propterea obstinatius defensionem pararent, ubi per occasionem poterat, optimis ciuibus significabat, pontificis animum egregie delinitum: omnibusque ueniam esse proposita: quoniam pro comperto haberet, nihil earum contumeliarum publico factum cõsilio, sed temeritate potius ac impetu plebis cum semper imperitæ tum in omni nouarum rerum motu absq. ulla iudicii ratione gestientis, omniáque proinde probe excusata atque expiata fore, si uel oppressis uel eiectis tyrannis, externarumque gentium omnino pulsis præsidiis cum certissima etiam spe præmiorum ad ueterem bonisq. omnibus exoptatam libertatem rediissent. Erãt enim apud legatũ plerique uiri nobiles, qui à Bentiuolis capta urbe & occupata republica, in castra se contulerãt: & in his Alexander Pepulus, Hercules Marescotus, & Camillus Gozadinus, qui propinquos & pontificio nomini amicissimos, ut se à sæuissimo dominatu quatuor tyrannorum in tanta diui nitus oblata occasione liberarent, hortabantur. Siquidem quatuor liberos Ioãnes exilio moriens reliquerat: Hannibalem, Alexandrum, Galeacium & Hermetem. Sed Alexander sicuti religione ciuiliq. humanitate maxime erat insignis, ita Hermes uti uir militaris crudelitate cæteros anteibat. Quassabatur maioribus tormentis murus ab ea parte qua à propugnaculo & porta sancti Stephani dextrorsum sese inflectit, & in eo quoque tractu ad Baracanum (ut diximus) sacellum cuniculos agebat Nauarrus, quibus Galli & Germani pari conatu & diligentia excauatis subter domos cõtrariis cuniculis occurrebãt. Præerat præsidio Alegria dux vetus & impiger, & cunctis Italiæ bellis exercitus, aderantque fortissimi alarum legati Faieta, & Vicontius, cui à terribili audacia magno diabolo cognomen fuit, & cum his duo Bentiuolorum clientes summæ fortitudinis, ac ingentis corporis centuriones, Spinacius & Agamem-

non,qui cum audacium gladiatorum cohorte in periculoſis muri locis ante alios uerſabantur.Forte ad propugnaculum dilacerato muri latere,haud difficilis uiſus eſt Hiſpanis militibus aſcenſus.Itaq.repente expediti nonnulli priuato conſilio ignaris ducibus ſuperata foſſa, locum ſubeunt,& celeriter in propugnaculum euolant, occurentesq́. Gallos cataphractos egregie ſuſtinent:& mox repulſos adempto alæ uexillo præcipites agunt. Erat iam in ſummo Hiſpanicum uexillum ſociis pariter atque hoſtibus conſpicuum : eratque propterea in urbe tumultus ingens, & magnus fiebat undique in eum locum ab omnis generis hominibus concurſus. Foris uerò ita alacritas inopinata cunctorum animos ceperat,ut ſpes occupandæ urbis non modo militi, ſed ducibus ipſis oblata uideretur.Sed quoniam cœpta ſine certo conſilio fortuna plerunque deſtituit,non multo poſt inde Hiſpani impetu maioris tormenti, quod ab Alegria in propugnaculum ab idoneo loco fuerat directum,cum miſerabili cæde exturbati,& in foſſas præcipitati ſunt.Neque foris tum paratæ erant legiones, ut murum inuaderent:quoniam neq.duces iuſto prælio quicquàm eo tempore tentandum cenſuerant : ut pote qui iam prope perfectis cuniculorum operibus tutiorem occaſionem expectarent : & pro comperto haberent tales intra quaſſatum murum ab hoſte erectas eſſe munitiones, eóque ordine militari cohortes in acie cum tormentis ad tuendum locum eſſe conſtitutas,ut nulli perito rerum bellicarum dubium eſſet, quin uel ſemel per ruinas ingreſsis multo maximæ peruadendi in urbem difficultates relinquerentur.Igitur multis rebus fruſtra tentatis,reliquæ ſpes omnes ad cuniculos reciderant:in quorum opere adeò multus erat Nauarrus,ut propter felicem & ſpectatam multis in locis induſtriam cæteri duces, & ipſe præſertim Ioannes legatus urbem aut nullo aut uno maxime eius uiri conſilio atque artificio capi poſſe exiſtimarent. Nec defuiſſent mirificis operibus euentus, niſi omni humana ui potentior Deorum immortalium uoluntas ab ea inſigni urbe preſentem cladem auertiſſet.Factū enim eſt Deiparæ uirginis præſenti auxilio,quum ſuum ſacellum egregie tueretur, ut ſubditis ignibus,exardentéq.intus repente tormentario puluere, totum Baracanum radicitus conuulſum, flammarum uiolentia in ſublime iaceretur : ſed adeò compoſite cōcideret,ut directis & exæquatis ad libellam angulorum lateribus, Deæ manu repoſitum eſſe crederetur. Mirum enim dictu, miles inter fumum & ruinas procidentis propugnaculi irrumpere paratus,interiora urbis & poſitas in acie hoſtium cohortes, per hiatus effracti & patentis muri,in eo ſubitæ rei momēto late conſpexit:& mox tanto miraculo tardatus excluſuſque eſt. Ab ea die Bononienſes magis ac magis captis religione animis ſacellum collatis undique donariis in luculentiorem formam exornare,adiectaque teſtudine & ſacra porticu proferre cœperunt.Dum hæc ad Bononiam geruntur Heluetii hortante pontifice, & magna pecuniæ præmia ſtipendii nomine ſummitente,

bellum

bellum (uti ſuperiore anno fecerant)in Inſubria renouarunt:à Verbanó que lacu deſcendentes,fugatis undiq.Gallorum præſidiis ad Mediolani uſque mœnia delati ſunt.Hiſdem quoque diebus Veneti Brixiam recepêre opera Aloisii aduocati militibus per Garzette amnis fornicẽ, qui urbem illabitur,introductis.Nec defuêre Veneto populi ſtudia: ſtatim nanque equitibus Gallis cum Aluda præfecto interfectis,aut captis,lilia gallica ubiq; deraſa,& Veneti leones tota urbe repoſiti: cœptæq.proferri munitiones ad arcem,ut egreſſus in urbem uenturo hoſti ab ea parte præcluderetur.Tantis undique circumiectis & prementibus ex propinquo hoſtibus, Galli diffiſi opibus ſuis haud dubie Ciſalpinæ Galliæ imperio ceſsiſſent,niſi eos in ipſi belli conſiliis hæſitantes ad ſpem ingentium victoriarum unius iuuenis ducis inuictus animus erexiſſet. Hic eſt ille Gaſto Foiſeius imberbis adoleſcens,antè imperator quàm miles,antè triumphator,quàm à uictore exercitu acclamatus imperator. Cuius uirtutem adeò intemperanter Fortuna extulit & extinxit, ut cum nullo mortaliũ utroque uultu uelocius atq. vehemẽtius luſiſſe uideatur.Gaſto cõiunctis undiq.copiis contra Heluetios profectus circa Mediolanũ ita eos equeſtribus præliis fatigauit:ut ab agmine uexillísque diſcedere nõ auderent,quum inermes & diſperſi pedites,à cõfertis cataphractis equitibus facile cæderentur. Quibus præliis Baiardi & Baronis Contini ſingularis virtus enituit.Sed Continus quum maiore animo quàm conſilio hoſtes perſecutus in villam irrupiſſet,circumuentus ab hoſtibus interiit. Cæterũ Heluetii uicti aſperitate hyemis,annonæ penuria ſubacti,& frequentibus equitum præliis ſæpe cum incõmodo laceſsiti, quum neque tormenta,neque equites,neque ullum omnino iuſtæ expeditionis apparatũ attuliſſent,uti ſuperiore anno fecerant,cuncta in reditu diripientes, uexillo domum uerterunt. At Gaſto Foiſeius repreſsis Heluetiis nihil cunctandum ratus, ut Bononiam obſidione liberaret, nulla interpoſita quiete,quum nullam à milite uel duræ hyemis,uel difficilium itinerum, uel priſtinæ defatigationis excuſationẽ reciperet, eò magnis itineribus contendit: tanta celeritate incitatis ad feſtinandum omnibus copiis, ut neq.uiæ militares admodum lutulentæ,neque inflati amnes, neque longiſsimæ noctes quicquàm impedirent, quo minus tormenta ænea, non modo legionibus in curſu,ſed ipſis etiam equitibus æquarentur.Accidit autem id quo nihil ætate noſtra admirabilius in re bellica fortaſſe contigit:ut nihil prorſus ſentientibus Hiſpanis interdiu inſtructáq.acie uiginti amplius cohortes,& ſex mille equites,& magnum tormẽtorum & carrorum numerum trahens,Bononiã ſit ingreſſus:quum Fabritius & Nauarrus uigilãtiſsimi homines,tot ſæpe equitum turmis per agrum Tranſrhenanum emiſsis, nihil de eius aduentu unquàm præſenſiſſent.Etenim Foiſeius nuncios omnes & literas,& totam denique ſui famam incredibili celeritate præcurrerat:& tantus erat ampliſsimæ urbis ambitus, ut uix à tribus portis ſine periculo unis caſtris poſſet obſideri. Poſtero igi-

tur die Græcus eques à pontificiis exceptus, quum interrogaretur, ex cuius ducis ala esset, & quæ Gallorum, Bētiuolorumque consilia & apparatus in urbe essent, dixit se cum ala Biarner (qui ipsius Gastonis erat legatus) pridie cum exercitu urbem ingressum, nihilque propterea, uti nouū militem de Bononiensibus rebus habere compertum. Quibus uerbis ad duces Ioannemque legatum sedulo delatis, & subinde emissis inquisitoribus, cognitum est per agrestes Foiseium cum magnis copiis aduentasse: & perpetuo cursu intrasse urbem, ut cum Hispanis absque ulla dubitatione prælio decertaret. Itaque in consilio decernitur, retro castra ad forum Cornelii esse reducenda, ne cum ualidissimo exercitu ante mœnia populosissimæ urbis contra disciplinam iniquissima loci conditione dimicare cogerentur. Fuêre qui existimarent Foiseium omnium longe pulcherrimam potiundæ uictoriæ occasionem, quam insigni celeritate peperisset, eius diei mora corrupisse: quādo ea tantum nocte fuerit quiescendum, & in albescente statim cœlo tribus portis erumpendum in hostes, qui ignari ipsius aduentus à multa niue tum forte cœlo delapsa, in tentoriolis torpentes & gelidi, nequaquàm tantarum copiarum impetum laturi fuisse uiderentur. Sed Foiseius suadente Alegria nequaquàm præpopero, sed graui admodum consilio ante omnia cognoscenda sibi hostium castra, consilia, uires, ac incitandos Bononiensium animos, & nouum quem aduxisset exercitum, tantis interibus fatigatum, bidui quiete omnino recreandum esse iudicarat. Itaque Fabritius atque Nauarrus, cura primi & magis impediti agminis Cardonio attributa, tormenta sine tumultu reducunt, atque omnibus belli artibus dissimulato metu, & ostentata ultro cupiditate conferendæ manus, retro abeunt, ita utrinque à uia media militari cōplanato itinere, ut instructa acie, & equitatus peditī, & uterque tormentis in medio receptis, præsidio essent. Erupêre in abeuntes Galli equites, cibariàque relicta in tabernaculis diripuêre: quos intemperantius secutus, & postremis imminentes, Malatesta Baleonus impiger adolescens, qui nouissimum cogebat agmen, subito adortus late cæcidit & repulit. Foiseius hoc uno contentus, quòd Bononiam obsidione liberasset, repulsosque hostes tota pene illa ueteri bellicæ uirtutis extimatione spoliasset, multis de causis Hispanos sibi in præsēs relinquēdos, & Brixiam omnino conuolandum esse existimauit, ut per arcem urbem reciperet, priusquàm ea uel oppugnata uel obsessa dederetur, uel urbs ipsa maioribus Venetorum præsidiis confirmari posset. Ergo eadē alacritate raptato exercitu, propositis ad excitandos milites ingentibus præmiis Pado superato Brixiam contendit. In itinere autem admirabili quadam felicitate, Fortuna, quæ in Foiseio adiuuando ornandoque una maxime celeritate gaudebat, Paulū Baleonum obtulit: qui cū aliquot cohortibus & ualido equitatu Brixianis rebus præsidio ire maturabat, ignarus earum rerum quæ Bononiæ acciderant, & nihil minus timens quàm Gallorum occursum: quos è superiore Insubria profectos, uix dum Bononiam

noniam peruenisse crediderat. Itaque ad turrim quæ Magnanimi dicitur,non longe ab Athesi tumultuario atque inopinato congressu antecedentium equitum pugna committitur, ita ad tubarum cantum euocatis & coactis utrinque militibus, ut ardentius pro eo numero concurri dimicarique nequiuerit.Sed Gallis cessere Veneti, nequaquàm animis ac uiribus pares,ut pote qui nihil tale timentes,ueluti in insidias præcipitati,armatis instructísque hostibus occurrissent. Capitur Guido Rangonus,cæteri ferme omnes terga uertunt. Paulus tamen intrepide à tergo instantes prementésque sustinet,præbetque spatium suis sese explicandi, qui per nota uada fluminis Athesis euadebant. Superuentu vero Foiſei & recentis alæ, Paulus cum globo suorum ad amnē se proripuit, eóque tranato seruatus est.Hic insperatus nouæ uictoriæ prouentus (ut est natura mortalium,quæ improuisis uehemētius afficitur) Foiseio incredibilem attulit uoluptatem: simúlque iuuenem gloriæ auidum magis ac magis accendit, ut interceptis his auxiliis ad opprimendos Brixiæ Venetos maiore adhibita festinatione maturaret. Nec feroci ingenio alta atque ardua meditanti Fortuna defuit. Nam ubi Brixiam peruenit,aduocata militum concione,eos alacriter est cohortatus, ut postquàm ad locum præmiorum fæcundissimo successu peruenissent, secum paululum adniti uellent,impigréque pugnare,ut mox tantorum itinerum incommoda ditissimæ urbis spoliis resarcirent: his magno studio acclamantibus, & quò uellet se irrupturos sublata manu significantibus, cataphractos dimissis equis ante pedites in prima acie collocat,hos iūctim subsequi Germanos & Vascones iubet, atque ita arce torrenti similis in urbem prorumpit,stratoque Veneto præsidio,quod sese obiecerat,ac ingēti omnis generis hominum multitudine crudelissime trucidata,urbe potitur.Tum uere uidere licuit quanta feritas atque sæuitia auarissimis uictorum militū animis esset insita,nulli nanque ætati uel sexui,nullis templis, nullis uel sacratis corporibus crudelis ira pepercit. Captus est Andreas Grittus summæ uirtutis ac authoritatis Venetus legatus.Ipsum uero Aloisium aduocatum, qui ad Venetos defecerat, ex fuga retractum & carnifici traditum Foiseius auidis oculis in frusta dissectum spectare sustinuit. Septem diebus in eius urbis direptione consumptis, Foiseius ad hostes feroci citatoque agmine in Bononiensem agrum est reuersus. Terruerat iam omniū animos cum felicitate rerum gestarum, tum una maxime celeritate,qua uehementer usus, ubique hostium consilia præuerterat,ita ut hyberno tēpore geri posse bella docuisse diceretur,quum antea milites semel in hyberna deducti, ueluti sacris occupati feriis, nunquàm inde,nisi iam plane adulto & florēte uere, educi cōsueuissent. Habebat tum castra Medices legatus ad Butrium,& quum Foiseius Brixiam contenderet, in consilio fuerat agitatum, an traiecto Pado cum parte copiarum Brixianorum periculo foret occurrendum.Sed cunctatius deliberantes festinantis Foiseii geminata uictoria ab ea dubitatione

laboréq.penitus abſoluit. Quibus de cauſis ipſe legatus & duces Iulium pontificem continuo monuerunt, ut maiora præſidia, quanta maxime poſſet celeritate compararet, ſi Italiæ imperium à ui Gallica omnino defendendum arbitraretur. Iam enim omnes reliqui Itali principes & libe ræ ciuitates, ereptam iri ſibi libertatem à ualida & ſuperba Gallorum gente metuebant, & ipſe ante alios Maximilianus Cæſar uetus Gallorũ hoſtis ad eas Foiſei uictorias ita uehementer exhorruit, quum uir grauis & acutus iampridem Gallorum fortunam & gentis opes agnouiſſet, ut cum Venetis inducias pepigerit, & ſe totum haud ſimulãter ab amicitia Ludouici regis auerterit. At Iulius animo prorſus inuictus, Troilum Sabellum, & Gentilem Baleonum equites undique conducere, & Ianum Capociam Romanum cohortes conſcribere iubet, conuenítque cum Hiſpano Venetóque legatis, ut ſex millia Heluetiorum communi impẽſa, mercede conducantur, ut ex Heluetio ſtatario pedite phalãgem, quæ Germanis opponeretur, Hiſpanorum cohortibus adiungerent, Mittiturque Venetias Mattheus Sedunenſis cardinalis, uir Heluetius, ut inde per Rhæticas Alpes gentem ſtipendiorum & belli auidam magnis polli citationibus euocaret. Interea Foiſeius aucto & omnibus rebus abunde inſtructo exercitu, per Bononiẽſem agrum ad hoſtes eſt profectus, adeo promotis caſtris, ut præmiſſo leuis armaturæ equitatu, atque ex propinquo oſtentata acie, pontificios ad certamen prouocaret, Conſederant in uia Flaminia Fabritius atque Nauarrus, & copias in eos colles qui ſunt ad dextram haud multum ardui opportunis in locis erexerat, & tormentis tantum hoſtes impetebant, eo conſilio, ut ſi Galli ab innata alacritate inducti, uti tot recentibus elati uictoriis inſtructa acie ſubiiſſent, iniquiſsimo loco dimicare cogerentur. Sed tanta conſpectis Gallis Hiſpanos pugnandi cœperat auiditas, ut æquo uel iniquo loco manus conſerere minime recuſarent, inuaſerátq. non minor religio eorum animos quàm alacritas: nam ad legatum concionantem centuriones & milites accurrebant, poſtulantes, ut authoritate pontificia nominatim ab omni noxa luſtrarentur. Tantusque erat concurſus ſacram purpuram manu tangere cupientium, ut nimia pietate ſigna deſeri & diſſolui ordines periculoſa cõfuſione uiderentur. Legato & ducibus præ gaudio manabãt lachrymæ, quum in Hiſpanis rapinis & cædibus aſſuetis tantam religi
Superſtitionẽ onis curã, tantúmq. contẽpta morte pugnãdi ardorẽ ineſſe cõſpicerent. At dum duces obſecrãdo atq. obteſtãdo milites retentarent, ne tam propinquo hoſte toti ordines omnino ſoluerentur, legatus prælata argentea inſigni cruce in nomine trini numinis uniuerſos ab omnibus crimi nibus expiauit, promiſitque æternæ uitæ præmia his omnibus, qui pro tuenda Chriſtiani pontificis dignitate dimicando cecidiſſent. Ferunt Foiſeium iuuenili ferocia numerum atque apparatum hoſtium facile contemnentem ea die prælio decertare cupiuiſſe, ſed Hiuonis Alegriæ monitu fuiſſe retardatum, qui aduerſus ſibi notos & inuictos ueteranos

& Gallicæ

& Gallicæ militiæ peritiſsimos duces, temere ex iniquo loco minime in uadendos eſſe prædicabat. Dirempto equeſtri leui prælio Foiſeius directis itineribus ſub Foro Cornelii ad læuam promouit caſtra, eo conſilio ut ad expugnandam Rhauennam maturaret, ratus aut ceſſuram urbem non multum muro ualidam magnis uiribus oppugnanti, aut ſi hoſtes auxilio ire pergerent, adfuturam occaſionem uniuerſo prælio dimicandi, quam ſibi cunctis artibus parandam arbitrabatur, quando collatis ſemel ſignis nihil omnino de uictoria dubitaret. Erat enim rebus fermè omnibus ſuperior, tormentorumque præſertim apparatu, quæ non uti apud Hiſpanos tardiſsimis boum iugis, ſed inſuefactorum ac agilium equorum ceruicibus trahebantur. Habebat & leuem armaturam equeſtrem dimidio ampliorem, & multo etiam exercitatiorem. Sed præcipuum robur erat in Germano pedite ueterano, omni armorum ornatu conſpicuo, qui duodecim quingenariis cohortibus, & exercitus & caſtrorum frontem obtinebat, cuique nulli milites ſtabili & campeſtri in acie pares futuri viderentur. At legatus & pontificii Hiſpaniique duces de itinere & de toto Foiſei conſilio coniectura iudicantes, M. Antonium Columnam ſummæ ſpei Romanum ducem Rhauennam mittunt. Eius alæ equitum adiungitur Petrus Caſtrius leuis armaturæ equitum præfectus, & cum eo fortiſsimi centuriones cum cohortibus Paredes & Salazarius. Quibus ire dubitantibus ſinguli duces & ante alios legatus iureiurando pollicentur, ſe quum periculum urgeat, neque eam urbem neque ipſorum præcipue ſalutem eſſe neglecturos. Porrò Foiſeius Rhauennam delatus, prolatis ſtatim tormentis, tanta ui quaſſare mœnia eſt adortus, quanta maxime ab ullo alio duce, qui interfuerant, vllibi factum ſuiſſe meminiſſent. Dirutis nanque muris, & nonnullis hoſtium in opere & defenſione uerſantibus ad ingeminatos tormentorum ictus interfectis, triplici acie inſtructa murum ſubiit, tanta alacritate & contentione militum, ut quiſque, quo magis in oculis ducis eſſet conſpicuus, ante alios efferendo ſeſe prægredi conaretur. Diuiſus enim erat labor inter nationes, ut ſublata penitus inuidia, omnes honore ſimul atque periculis æquarentur. Denos quoque equites cataphractos ſingulæ turmæ ex fortiſsimis iuuenibus tribuerant, qui ante pedites dimiſsis equis grauioribus protecti armis ſubibant. Certatum eſt aliquot horis utrinque uehementiſsime. Non deerat enim ſibi in tanto rerum diſcrimine Antonius & cæteri duces, qui ab idoneis locis tormenta maiora minoráque inceſſanter emittebant, & è ſummis ruinis ſulphureos globos ſaxáque & ingentes trabes prouoluebant. Sed magno uſui erat eximiæ magnitudinis ænea colubrina, quæ ab angulo propugnaculi in latus ſubeuntium agminum ſæpius emiſſa, multos miſerabili ſtrage edita uiolenter abripuit, & foſſam fœde laceratorum militum cadaueribus repleuit. Deſiderati ſunt plerique uiri fortes, & in his Spineus tormentorum magiſter, uir ſummæ authoritatis ac induſtriæ, & Satillonus inter

præfectos equitum clariſsimus. Ex his uerò qui in muro propugnabant, periêre duo Dentitii fratres Neapoli honeſtiſsimo loco nati, quum alter in locum tormento interfecti & iacentis ad pedes fratris, ad non dubiam mortem ac laudem intrepide ſucceſsiſſet. Foiſeius cum detrimento repulſus, ubi didicit Fabritium atque Nauarrum cum omnibus copiis aduentare, qui exaudito tormentorum frequenti reboatu, & animaduerſo Rhauennatium atque præſidii periculo caſtra promouerant, à Rhauenna propere diſceſsit, ne intercluſus, ſi diutius hæreret, ſibi ne ceſſe foret ancipiti prælio decertare. Fata quoque quæ omni humana ratione uehementius impellunt, eum haud dubie uel inuitum in eos campos pertrahebant, qui eſſent & ab eius interitu, & ab inuſitata, cunctiſque prope gentibus funeſta clade nomen habituri. Educto exercitu validam manum in tergo conſtituit, quæ erumpentes è Rhauenna hoſtes conuerſa fronte ſuſtineret. Peruenerant pontificii ad Roncum uſque amnem, qui Vitis antiquitus fuit, quum biduo ferè continenter & in agmine & in ponendis caſtris equeſtri prælio decertaſſent. Erat in fronte amnis, iuxta cuius aggerem Nauarrus peditatum omnem depreſſo loco collocarat, eumque præſepſerat paruis curribus, quibus ingentia uenabula erant præfixa. Equitatum in tria diuiſum agmina Fabritius Paduius, & Caruaial idoneis in locis inſtructa acie conglobarant. Toti uerò leuis armaturæ equitatui præerat Daualus Piſcarius Fabritii gener, qui ab his infauſtæ militiæ primis ſtipendiis, ſummorum poſtea ducum gloriam æquauit. Relinquebatur Foiſeio exigua ſpes parandi comeatus, quum magis ac magis à Ferraria Padóque diſcederet: propterea uel ob id etiam maturius confligere properabat. Venerat ad eum Alfonſus Ferrariæ princeps præcipua belli cauſa, ut quam debebat regi de ſe bene merito præſens operam præſtaret, ornatiſsimamque alam & magnum tormentorum apparatum adduxerat. Huic & Seneſcalco Normanniæ cura primæ aciei fuit demandata, ſecundæ & tertiæ præfuêre incliti duces, & ante alios Alegria atque Palicia, qui erant omnium & ætatis honore & rebus geſtis longe clariſsimi: Ipſe Foiſeius, ut imperatorem decuit, nullum ſibi certum locum deſumpſit, ſed cum turma nobilium prouectus ad ſingulos ordines animo maxime excelſo & ſermone alacri modo Germanos & Italos, modo Gallos & Vaſcones hortabatur, ut intrepide cum his congredi uellent, qui tantum cum Pœnis & Mauris inermibus in Africa pugnare aſſueti, uix primum ueteranorum militum impetum eſſent laturi: peruentum iam eſſe ad laborum finem, & parata eſſe præmia, quæ non modo meritis, ſed ipſorum etiam uel immodicæ cupiditati ad ſatietatem æquarentur, ſi opinionem quam ipſe de omnium uirtute, facto ſæpe periculo cumulatiſsime concepiſſet, uti uiri fortiſsimi minime fefelliſſent. Erat Foiſeius imberbis adhuc, & præclara facie maxime decorus, ſed micantibus oculis à generoſa militarique ferocia ualde terribilis, & quod ſpes ipſas & ſtudia militum uehementer

hementer excitabat, dux etiam fortunatus ab omnibus habebatur. Incitatis ad prælium militibus, tormenta unius præcipue Alfonſi conſilio amnem, loco mare uerſus à caſtris hoſtium inferiore, ſunt traducta, quæ mox ille ita magno in obliquum circuitu prouexit, ut in latus & terga hoſtium citatis iumentis uerterentur. Interim Germani ſubitario ponte, Vaſcones & reliquus peditatus humilibus uadis amnem tranſibant; equitatus turmatim ab omnibus locis in aduerſam ripam abſque ullis incommodis euadebat. Leuis autem armatura equeſtris, utrinque latus effuſa ita pugnam ciebat, ut proſpectum, uti planis accidit in locis, ſpeculantibus ducibus adimiret. Iam pilæ Gallicæ ingenti ſtrepitu maioribus tormentis emiſſæ, multa ſtrage equorum atque hominum edita, per medias acies prouolabant. Iam Gallicus equitatus fermè omnis, peditatus uerò magna ex parte, flumen tranſierat. Iam denique prope ipſum ardentis prælii diſcrimen erat peruentum, quum Fabritius acri iudicio uictoriæ diffiſus, Nauarrum uehementer eſt obteſtatus, ut ſeſe tandem inde expediret, & cum dimidiato hoſte potius quàm cum integro congredi uellet, neque amplius cunctaretur, ſed peditatum confeſtim uerſus amnem in hoſtes educeret, ſe quoque ſtatim eò cum uniuerſo equitatu illaturum ſigna, atque ita diſiunctos & in tranſitu hærentes ac impeditos in flumine facile conciſuros. Sed Nauarrus fatali pertinacia, ſalutari conſilio nequaquàm animum inflexit, utpote qui ſub aggere depreſſo tutóque loco conſtitutis legionibus ſibi omnino expectandos hoſtes, non ultro inuadendos importuna ratione decreuerat, ita ut exitiali propoſito deſeruiret, nihil tanta & miſerabili equitum clade commoueretur. Confiſus etenim mirifice militum uirtuti & carrorum item munimentis, in animum cæca obſtinatione peruerſum induxerat, ſe deletis etiam equitib. uno incolumi peditatu uictoria haud dubie, nequaquàm communicata cum ſociis laude, potiturum. Adiuuit etiam obſtinati hominis inſaniam ſuorum tormentorum reſpectus, quæ perite collocata, emiſſaque ſtrenue Gallicum peditatum, ueluti clades alternante fortuna, perquàm effuſe proſternebant. Fabritius fremens & gemens, ubi totum equitatum animaduertit ingenti ea clade perturbatum, & multos duces in oculis crudeliter interfectos, ne inglorius caderet, cum globo reliquorum equitum in confertos hoſtes incurrit: ubi cum ad interitum ſuorum aliquandiu pugnaſſet, ab Alfonſo captus eſt, & à Gallorum iniuria, id ipſo obnixe deprecante, egregia fide ſeruatus. Eadem conſilii fortuna Padulium excepit, quum alas ſecundæ aciei per campum ſoſsis & uepribus impeditum nequaquàm conferto, ſed diſsipato agmine, ueluti deſperato meliore exitu, protinus induxiſſet. Captus eſt & Daualus Piſcarius fuſa uniuerſa leui armatura equeſtri, multis ſuſceptis vulnerib. egregie repugnans. Cardonius uerò ipſe inuſitata tormentorum clade conſternatus, uix mentis compos inauſpicati imperii relictis inſignibus, & cum eo Caruaial tertia acie fermè integra, & Antonius ſimul Leua, qui

poſtea raræ felicitatis dux euaſit, continenti curſu profugêre. Tum uerò appropinquantibus Germanis Nauarrus inſigni quidem, ſed nimis ſera uirtute, legionibus ſuis prælii ſignum propoſuit. Strauerant ſolo prona corpora ſuopte ingenio milites, ut præteruolantes ferreas pilas euitarent. Itaque ſeſe atque haſtas protinus erexêre, tantáque animorum alacritate Germanos inuaſere, ut nunquàm ab ulla hominum memoria aut ferocius aut acrius ſit concurſum. Accidit autem ut ante ordines progreſsi duo longe omnium nobiliſsimi duces, armis criſtiſque conſpicui inter ſe ex prouocatione decertarint, Iacobus Empſer Germanus, Hiſpanuſque Zamudius, ſed cadente Germano utraque acies ſtatim procurrit, cæſique ſunt utrinque fermè omnes noti Centuriones, uixque Germanus confertiſsima ſua phalange, Hiſpanorum uim ac audaciam ſuſtinebat, quum inclinati plerique ſcutiſque protecti, ſubter hoſtium haſtas inermia femora breuibus gladiis fodiendo, cædendoque ad mediam fermè aciem peruenirent. Non procul inde Vaſcones occupata uia, quæ inter aggerem ac ipſum flumen intererat, Italicas cohortes, iam multo à tormentis detrimento accepto perturbatas, clamore edito ſunt adorti. Sed ubi emiſsis ſagittis ad manus eſt deuentum, uti haſtatis & denſa acie præmentibus impares, facile ſunt repulſi. His opem tulit Alegria cum recenti ala equitum ſupra inſitam uim domeſtico etiam dolore concitatus. ardebat enim incredibili cupiditate ſumendi ſupplicii de Ramazotto eiuſque cohortibus, à quibus ſuperiore anno ad Ferrariam Melious filius pugnaciſsimus iuuenis ſeditione militari fuerat interfectus. Sed irrumpentem & cohortes lata ſtrage edita proſternentem, Fortuna maligno omine perſecuta, nouo & acerbiore quidē dolore obruit, quum in eius oculis Viuerroës alter filius ſuo impetu transfixus haſtis hoſtium fuiſſet, & exanimis in proflunentem præcipitatus. Nec multo poſt & ipſe fortiſsimus & infelix ſenex in lugubri uindicta funeſtáque uictoria confoſſus interiit. Ramazottum ingenti ſecuris ictu proſtratum & ſemianimem ſeruauêre proximi Hiſpani, qui ex ſecunda acie, duce Samanecco ab alia parte Gallos Italoſque pedites reiectos uſque ad tormenta ita cæciderant, ut illi pauentes & ſaucii in latus Germanorum fœde perturbatis eorum ordinibus uerterentur. Iam Germani à fronte cum hoſte pugnantes, iuſta quidem ira ſed tam exitiali quàm neceſſaria cum ſociis auertendo pellendóque ne eorum incurſu acies laxaretur, in latus certabant: erátque ob id incerta adhuc & dubia Gallorum uictoria, niſi Foiſeius uniuerſum equitatum iam undique plane uictorem, Hiſpano pediti circunfudiſſet. Nec in tanta rerum aſperitate ſeſe deſerunt Hiſpani, uti decuit ſummæ fortitudinis ueteranos, quanquàm continenti cum Germanis prælio fatigati, non modo promptiſsimum quenque militum & Centuriones & vexilla, ſed quod maxime uires debilitat, & ſpiritum intercipit, uictoriæ ſpem ipſam amiſiſſent. Admirabili etenim conſenſu & ſingulari pugnandi peritia, ordines atque animos conſeruant,

uant, delatíque in uiam hinc aggere perpetuo, illinc flumine permunitam acerrime depugnando ſeſe recipiunt. In ea receptus difficultate Nauarrus, ſeſe ultro telis obiectans, ne tantæ cladi ſupereſſet,uti poſtea dicere ſolebat,intercipitur. Eo capto, & iam undique parta uictoria Foiſeius profligatis & fugientibus inſtandum eſſe clamitans, & undique ad delendas reliquias equites cogens,dum intemperantius cum turma nobilium abeuntes perſequitur, à nouiſsimis circumuentus, & ab equo deturbatus iugulatur, neque ſe Foiſeium & Hiſpanæ reginæ fratrem eſſe profitenti barbarus & iratus miles pepercit. Stratus eſt & iuxta Foiſeium amplius uiginti vulneribus illatis, eius patruelis frater Lotrechius, qui poſtea inter Gallos cum imperio militari ſummam auctoritatem eſt conſecutus. Foiſeii importuna mors,haud dubie inſaciabili cædendi hoſtis cupiditate quæſita, ſicuti pleniſsimam de hoſte uictoriam corrupit, ita Hiſpanis anguſta & ob id firma fronte inſequentes Gallos facile repellentibus, euadendi ſpacium dedit,uictoreſque ſimul à difficili pugna ad paratam prædam protinus auertit. Cecidêre utrinque fere æquata clade, cum calonibus & lixis ad uiginti milia, ſed in primis flos militum & ducum fermè omnis interiit, quorum fortunæ uarios euentus ſigillatim in hiſtoriis diffuſe retulimus. Interea Medices cardinalis haud dubie prouidentia Deorum ad pontificatum reſeruatus, quum multis circa eum interfectis,turpi fuga minime ſaluti conſulendum eſſe iudicaret, poſtquàm cohortando, & cadentium animas ſuperis commendando, cum pii, tum conſtantis legati munus impleuiſſet, in Gallos equites duos incidit, quorum alterum purpuræ & pileo ſuperbe inſultantem Plateſius eques Bononienſis, qui lateri comes hæſerat, tragula per iugulum transfodit, alterum pauentem eodem telo ſauciatum, equo deturbauit. his mox ſucceſſere Epirotæ equites, è quorum manibus ſuperuentu Federici Gonzagæ Bozoli ſtatim eripitur,cui demum honeſtiore nomine tanquàm nobili duci atque Italo protinus eſt deditus, & ab eo adiecta cuſtodia deductus ad Federicum Sanſeuerinum, qui concilii nomine pro legato in caſtris & in acie armatus, & proceritatem ingentis corporis,& præclarum in ea cauſa ſtudium oſtentarat. Ab hoc Medices quum honeſtiſsime tractaretur, & propter ueterem familiaritatem omni cum uerborum honore ac officii pietate coleretur, facile impetrauit,ut Iulius Medices qui ex prælio cum Antonio Leua Ceſenam profugerat,tuto ad ſe ueniret. Erat enim prope ſolus, tot familiaribus uaria ſorte profligatis. Iulius ubi accepta fide in caſtra peruenit, Sanſeuerino etiam concedente, continuo Romam ad Iulium Pontificem eſt tranſmiſſus, ſcilicet ut patruelis legati, qui ex publica clade in hoſtium eſſet poteſtate,ſalutem ac dignitatem pontifici & cæteris cardinalibus obnixe commendaret. Iulius cunctis rebus & conſiliis detrimentiſque hoſtium ſedulo exploratis, non tantum ut domeſtici officii munus impleret, ſed ut certiora de hoſte ad pontificem deferret, mutatis ad celeritatem iumentis

ſibi properandum eſſe exiſtimauit: ſtatimque ubi applicuit, à pontifice in ſenatum eſt introductus, ut cladem utrinque cum cæſorum numero, tum magnorum etiam ducum funeribus haud dubie æquatam eſſe teſtaretur, & propter aduerſos falſoſque rumores, utpote qui facile primus ex hoſtium caſtris ueniebat, totius pugnæ euentum recenſendo eorum qui ex hoſtibus periiſſent ſigillatim,& ex ſociis qui ſe fortiter atque feleciter recepiſſent,nominibus recitatis,multorum animos abunde confirmaret.Erant enim plerique adeò mente conſternati,ut Iulio ueluti deſperatis rebus ab Oſtia triremibus fugiendum eſſe trepide ſuadarent. Quoniam non ſolum à Gallis uictoribus,qui adhuc ſine certo duce procul abeſſent,ſed ab inteſtino hoſte,cum toti ſacerdotum ordini exitium, tum urbi direptionem, & inquilinis omnibus perniciem timebant. Robertus enim Vrſinus & Petrus Marganus ſummæ nobilitatis & opinionis Romani iuuenes, à pontifice ſcelerata conſpiratione defecerant,pecuniam à Gallis acceperant, ut urbe ſacroſanctum pontificem exturbarent, quando facile ab his utriuſque factionis perditi ſeditioſique homines ad patrandum facinus concitari poſſe uiderentur. Quæ omnia uel ob id magis ac magis erant metuenda, quoniam paulò antè grauiter ægrotante pontifice, Pompeius Columna Reatinus epiſcopus,& Anthimus Sabellus turbidiore conſilio Romanos ad libertatem uocarant,concionatique in Capitolio aduerſus ſacerdotum imperium uti ſæuum ac impotens, nulloque iure legitimum: ita pleroſque nouarum rerum cupidos & ueteres tantum Romanæ uirtutis ſpiritus gerentes inflamarant, ut niſi conclamatus ferè pontifex repente reuixiſſet, omnia crudeli tumultu conturbari manifeſte potuerint. Cæterum Iulius in calamitate ſemper ſeipſo maior & excelſior inuicto animo ingenti liberalitate copias reparat, Cardonium per agrum Picenum euadentem hortatur, vt reliquias colligat, inermes ſpoliatos & equis exornet, præbitáque pecunia copias in vnum cogat. Porrò Vrbinatem in gratiam recipit, & ſcribere milites iubet, qui propter Alidoſii cædem à patruo, eoque pontifice diductus, deprauatuſque à parum ſanis familiaribus, ſeſe Gallo regi certa ſtipendiorum conditione applicare cogitarat. Ante omnia quoque Venetias ad Sedunenſem Heluetium cardinalem ſcribit,ut non amplius ſex tantum millia, uti antea eſſet decretum, ſed quantam poſsit eius gentis multitudinem pecunia conducat. Adiuuant rem Veneti conſilio, opibus, ingentíque ſtudio, ut mature in Italiam deducantur. Interim Galli ad Rhauennæ mœnia reductis caſtris,atq.urbe in deditionem accepta,ut Foiſcio & amiſsis ſub muro ſociis parentarent,contra fidem barbara feritate miſeros Rhauennates inuadunt, inermes ubique trucidant, domos templaque diripiunt, & in primis diui Vitalis templum, quod erat perantiquis Ghotorum donariis ex auro & argento ſumptuoſiſsimè exornatum. Ipſe uerò Medices legatus Petrúsque Nauarrus captiui Bononiam mittuntur. Nauarrum tranſeuntem pueri & multitudo opificum

opificum ſpectandi ſtudio effuſa, indignis uerborum contumeliis affecê re. Nec legato ipſi defuêre improbi noti ciues, qui attrocibus uerbis inſultarent, quibus tamen omnibus rediens facile poſtea ſumma illa naturæ lænitate pepercit. Sed Bentiuoli fratres eum propter ueterem amicitiam, quæ cum Mediceis Ioannis ipſorum patris, & magni Laurẽtii tempore floruerat, ita ſuſcepêre ut nihil præter libertatem deeſſe uideretur. Non multo poſt Foiſeii funere a Bononienſibus regio ſumptu ac apparatu poſt longam pompam, extructa in templo inſigni pyra, celebrato; Medices legatus cum Nauarro, & plerique alii captiui nobiles Mediolanum perducuntur. In itinere autem cum eſſet Mutinæ, Blanciæ Rangonæ benignitatem ſenſit: ea erat Bentiuolorum ſoror, eximiæ liberalitatis fœmina, quæ omnibus ex mundo muliebri neceſſariis ad cultum ornamentis ſumptuoſe eum repleuit. Vnde ipſe mox effectus pontifex, uti in referenda gratia plane gratiſsimus, eius liberos & honore pilei & prætorii præfectura, & magnis militiæ ſtipendiis exornauit. Mediolani uerò exceptus in Sanſeuerini cardinalis ædibus, à Vicecomitibus, Pallauicinis, Triuultiisque patritiis ita colebatur, vt uix uictor in prælta Fortuna uel humanius uel liberalius nullo prætermiſſo humaniore officio tracta ri poſſe crederetur. Quum eſſet Mediolani, atque ibi cardinales concilium è Piſis reductum, uti inflati uictoria criminoſiſsime celebrarent, & ſæpe Iulium pontificem pro templi foribus ad dicendam cauſam citarent, ſanis hominibus pariter imperitis effuſe ridentibus, ea pſeudoſyno dus ludibrio haberi eſt cœpta, ita ut Bernardinum Caruaialem ambitio ſius ad pontificatum anhelantem, pueri ſubſannando per iocum papam uocarẽt, nec ab armatis Gallis, & irate perſequẽtibus, quo minus ſacerdo tibus illuderent, omnino terrerentur. Ad labefactandum autem reliquũ eius concilii nomen forte Iulius Medices ab Roma ſuperuenit, qui legato patrueli breues epiſtolas & diploma pontificis deferebat, quibus præ clara conceſſa facultate, expiare milites rite poſſet, qui, uti erant, quoniam in acie contra pontificem ſtetiſſent, ſacris interdicti, & omnibus diris ad inferos deuocati, ſeſe luſtrare Chriſtiano ritu & ueniam à pontifice petere malebant, quàm obtemperare paucis ac ambitioſis ſacerdotibus, qui priuatis odiis & parum honeſtæ cupiditati improbe ſeruientes, & exercitui falſa ſpecie religionis decepto, & fortiſsimis ſimul & incautis ducibus ſingularem calamitatem peperiſſent. Itaque prolato euul gatoque diplomate tantus præfectorum & ſigniferorum, militumque omnis generis, qui certatim à diro crimine abſolui cupiebant, ad legatum factus eſt concurſus, ut uix conficiendis tabulis ſcribarum manus ſufficerent. Quæ res & familiarium egeſtatem mirifice ſubleuauit, & præ damnata concilii cauſa, Iulii pontificis authoritatem latiſsime confirma uit. Ob id factum, quod omnium concilii ſanctionum fidem penitus eleuabat, grauiter commoti cardinales, de Medice uehementiſsime conquerebantur, quoniam maximi regis, qui iure optimo concilium indi-

xiſſet, dignitatem deſpicere uideretur, quum priuatis actionibus & ſyn graphis in aliena poteſtate conſtitutus,uti capite diminutus,captam præ claro ordine ſynodum oppugnare contenderet, nec uereretur eorum iram adeò inſigni iniuria prouocare, in quorũ eſſet poteſtate,quíq.captiuo duriores conditiones imponere facile poſſent,& ex arbitrio totam eius rei contumeliam uindicare.Sed ab inſigni pietate uehemens Gallorum militum conſenſus legatũ uel tacentem egregie defendebat,ii enim ultro cardinales ipſos elatis uerbis obiurgabant,tanquàm minus religioſe Chriſtianorum & ſimplicium omnium mentes votaque ſanctiſsima, falſis perſuaſionibus turbare niterentur. Interea Galli duces quum omnem futuri belli metum una ea inſigni uictoria ſuſtuliſſe uiderentur, adnitente quæſtore Normanniæ,ſed contra nequicquàm reclamante Triuultio,peditatum fermè omnem dimiſerunt.Quæ res ſicuti ab exitiabili auaritia initium cœpit,ita luctuoſum admodũ bello finem parans,Gallos ab Italia nullo prope negocio exegit. Nanq. Heluetii à Iulio pontifice & Venetis multis obſecrationibus atque ſtipendiis ad arma exciti, ſublatis repente ſignis per Rhætiã ad Tridentinas Alpes properabant. Erant enim tum uicatim Gallo regi maxime infenſi, quod ille poſt partas(uti dicebant)ipſorum ſanguine uictorias,ingrate atque auare ſtipendia ſolita ſuſtuliſſet,deſpectàq.uirtute Heluetia,Germano pedite ad ſuæ gentis ignominiam uti cœpiſſet.Nouo quoque ab his ſuſcepto bello impenſe fauebat Maximilianus cæſar Gallorum opes tantis partis uictoriis haud dubie reformidans.Nam ſuper inducias Venetis conceſſas,à concilio Piſano abrogata omni ſua priſtina procuratione diſceſſerat, & edicto monuerat Germanos, qui in partibus Gallorum erant, ut domũ inGermaniam redirent,itèrq.Heluetiis & comeatum per agrum Rhæti cum amice præbuerat, ac demum Tridenti & Veronæ omnem eorum multitudinẽ abſq.ulla dubitatione receperat. Quo terrore Palicia perculſus,ad quem interfectoFoiſeio militaris imperii ſumma redierat, aduocare duces, cogere undiq.ad ſigna milites,à Florentinis auxiliares equites poſtulare,& parare undique præſidia maturabat. Sed alæ & cohortes tot præliis uehementer attenuatæ, & peditatus Italicus quæſtorũ auaritia,togatorúmque iudicio importuna dimiſſus,reuocatíque edicto Cæſaris bona ex parte Germani, & dilapſi undique Epirotæ, Galli, Vaſcones,& qui uno nomine Volones dicebantur, infrequentia ſigna reddiderant.Cum his tamen copiis Palicia non tam uiribus quàm famæ rerum geſtarum confiſus,ad hoſtes in Mantuanum agrum contendit.Interea cardinales quum nihil de Heluetio Venetoque bello in ampliſsima recentíque uictoria dubitarent,propter inuſitatam aduentantium hoſtium celeritatẽ timore præpediti,cõcilium repente diſſoluunt,ut illud inauſpicato Piſis cœptum,& tum Mediolani improſpere renouatum,in ulteriorem Galliam transferrent. Mediolano itaque profecti multis de cauſis,& iubente Rege,ſecum Medicem legatũ in Galliam ducunt. Ven

tum

tum erat ad Carium uicumin Ticinenſi non lõge à Pado ad eam ripam quæ ex aduerſo pertinet ad Baſsinianam,ea Auguſta Battienorum antiquitus fuit.Ibi Medices forte oborta uel ſimulata leui ægritudine facile à cuſtodibus impetrauit,ut ea nocte Carii cõquieſceret, dum cæteri cardinales, magníque eorum comitatus cum turba omni miniſtrorum & militum nauigiis pertranſirent.Id ſpacii nactus Medices per abbatẽ Bongallum familiarẽ ſuum,qui poſtea Nepeſinus fuit epiſcopus, perquiſiuit an in eo vico aliquis eſſet uir nobilis,cui tuto ſalutem ſuam commendaret.Huic diuinitus forte oblatus eſt Raynaldus Zactius miles ueteranus equeſtri natus familia, qui magnas in agris paternis agreſtium hominũ habebat clientelas. Itaque abbas hominem ſecreto cum lachrymis ſuppliciter eſt cohortatus, ut ſummæ nobilitatis, ſummæque ſpei cardinalem,cõiectum in eas miſerias & qui haud dubie ad perpetui carceris penam in Galliam traheretur,è manibus barbarorum eripere uellet,qui te mulenti aut intempeſtiue uagari,aut ſomno oppreſsi cuſtodias negligenter obire conſueuiſſent. Raynaldus qui ſuopte ingenio Gallico nomini erat infenſus,propter memoriã magni Laurẽtii &Mediceæ familiæ,quæ apud omnes erat uenerabilis,facile liberandi hominis negocium ſuſcepit:ea tamen conditione ut nihil ſe perficere feliciter poſſe fateretur,niſi eius uiciniæ Viſimbardum aduerſæ factionis,ſed tamen ab ſe nequaquã alienum iuuenem,in partes patrandi facinoris adduxiſſet.Id ſi ab illo impetraretur, ad eum in hoſpitale diuerſorium ſe unum ex pueris ſtatim miſſurum,qui pro teſſera cuncta parata eſſe renunciaret. Cum hac ſpe abbas ad Medicem eſt reuerſus.Nec mora Diis bene iuuantibus obſecranti Raynaldo, quanquàm ægre & cunctanter, annuit Viſimbardus. Itaq.ad abbatem nuncius propere mittitur.Verum ei abbatem in turba quærenti,non Mediceus,ſed alter genere Gallus abbas cuſtodiæ præpoſitus oſtẽditur,cui ille in eodem nomine deceptus miſerabili errore cuncta parata eſſe denunciat,adeo ut tam probe conceptis cõſiliis Fortuna immitis inuidere uideretur. Sed Gallo contracta fronte & ſua lingua ſe nihil parari iuſsiſſe extemplo reſpondente, errorem puer agnouit, & præſenti quodam commento inducto inde ſeſe protinus explicuit,ita tamen,ut ſuſpitionis aculeum relinqueret apud eum, uerba & uultum pueri cogitatione reputantem. Ob eam rem abbas non multo poſt maturius quàm ſtatuerat profectione indicta, eductoque agmine ad Padum contendit,fruſtra moras alias atque alias nectente cardinale, ut Raynaldo ſpacium cogendis agreſtibus opportunæ præberetur.Iam totum agmen ad flumen peruenerat, multísque tranſmiſsis, ipſe plané inter poſtremos anterioribus mulæ pedibus nauigii proram attigerat, quum à tergo exauditus clamor, & aduentantium conſpecta acies mulam auertit.Ita ſuperuẽtu Raynaldi penè ſine uulnere fugatis Gallis,legatus eripitur.Nec multo poſt abiecta purpura,militari ſago indutum,traiecto noctu Pado,ad caſtellum Ligurum deduxêre.Id erat Bernabouis Maleſpi-

næ Viſimbardo ſanguine coniuncti Ibi nouum quoque diſcrimen adiit. Nam uir ille uti erat Gallicæ factionis ne fortunas ſuas in diſcrimen deuocaret,monendum & conſulendum ſuper ea re Triuultium exiſtimauit,fremente fruſtra & fidem implorante Viſimbardo. Tum uerò legatus in periſterio fœde cuſtoditus de ſalute libertatéq. deſperare cœpit, & uehementer Fortunam incuſare,quæ tanta acerbitate ſpes omnes eluderet,& ſibi immerenti alios ſuper alios inſatiabili malignitate laqueos pararet.Sed Triuultius grauis & uere Italus imperator,quum iam Galli à ponte Mincii tanta præmente hoſtium multitudine eſſent deiecti,& in effuſam fugam planè coniecti,Maleſpinæ reſcripſit res eò eſſe deductas, ut non eſſet de cardinale,qui Fortunæ beneficio ſemel euaſiſſet,magnopere cogitandum . Itaq. Bernabos ſe ipſo factus humanior legatum noctu dimittit, eúmq. ſeruorum perfidia ſimulat effugiſſe. Ille ad uicū Iriæ adiuuante quodam ſacerdote , & coëmptis per eum pernicibus iumentis,Placentiam peruenit:atq.eo tutius,quòd tum forte Placentini, perditis Gallorum rebus,Iulio pontifici deditionē faciebant. A Placentia demum traiecto Pado Mantuam eſt profectus,ubi in Andina uilla,ſumma benignitate eū Franciſcus princeps cōgeſtis opportunis munerib. abunde recreauit. Interea Palicia ad Vallegium Mincii ponte depulſus , copias omnes amiſſa Cremona Ticinum reduxit : affueréque illico Heluetii,& cum his Paulus Baleonus,qui optime inſtructam legíonem & quadrigentos cataphractos , bísque totidem leuis armaturæ equites & magnum tormentorum apparatum adduxerat . Itaque mœnia ad arcem tormentis quati cœpta,Sed nihil magis Gallos exterruit,quàm cohortes ratibus in proximam & cōiunctam urbi inſulam traductæ:per eas enim intercluſo ponte lapideo,euadēdi Gallis facultas eripi uidebatur.Itaque Palicia nihil ſibi amplius Ticini morandum arbitratus, ut equitatum in quo tocius Galliæ ſalus & decus ſpesque omnes ſitæ erāt,ab omni diſcrimine conſeruaret,ponte lapideo ſigna educit , ſtatímque hoſtes à porta noua ſimul & ab arce deſerta irrumpunt , & cum Germanis per totam urbis longitudinem , ad pontemque maxime dimicant, eos enim Galli, ut ipſi ſine periculo abirent , omnium poſtremos reliquerant , haud dubie à tanta multitudine trucidandos. Sed Germani admirabili conſtantia ſeſe recipientes , quum egregie ſuſtinendo haud magnis acceptis detrimentis,ad alterum Graualoni pontem,qui erat ligneus, peruenìſſent, diffractis aſſeribus equorum pondere ad multorum exitium pons eſt interruptus,atque eo modo Germani Galliique omnes,qui tranſire nequiuerāt,cæſi captíq.ſunt. At Palicia Pado ponte ſuperato quem Triuultius cautiſsimus ſenex opportune conſtruxerat , rectis itineribus in Galliam contendit , quoniam Henricus Britanniæ rex , ſuſcepta defenſione Romani pontificis,ingentem claſſem cum ualidis copiis in Aquitaniā tranſmiſiſſet.Eo modo paucis diebus Mediolanenſe imperium Galliseſt ereptum,& Maximiliano Sfortiæ uti legitimo principi,Iulii pontificis Ve-

netique

netique ſenatus auſpiciis,& una maxime Heluetiorũ uirtute reſtitutum. Ab hac uictoria Cardonius excitus, collectis undique Hiſpanis,& reparato equitatu in Galliam Togatam redire maturabat, Vrbinasque ipſe præmiſſo Troilo Sabello,qui oppida atque arces reciperet, cunctis pro penſiſsima uoluntate ad priſtinam fidem redeuntibus Bononiæ appropinquabat. Quibus de rebus Bentiuoli omni ſpe præſidii, Gallis Italia pulſis,omnino deſtituti,magnopere ſibi timere cœperunt,Bononienſésque ipſi à pontificiis copiis ſingularem cladem expectabant: Nam maturæ ſegetes erant in agris,&iam frumenta ſuccidebantur. Quibus amiſsis ſi obſiſtere & Bentiuolorũ in fide permanere uellent, nulli erat dubium, quin breui populus omnis inopia commeatus & dira fame cõficeretur. Gerebat tum ſummum in urbe magiſtratum Franciſcus Elephantutius. Is animaduerſo rerum diſcrimine amice & grauiter Bentiuolos in ſenatum uocatos eſt cohortatus, ut prudentium more Fortunæ cedere potius uellent,quàm obſtinate perſiſtendo his periculis ciuitatem obiectare,quæ ſupræmam omnibus calamitatem eſſent allatura: Poſſe ipſos ſpe integra,ſi patriam incolumem ſeruarent,alio tempore conuerſis rebus ab ea ipſa,quæ tum deprimeret, Fortuna ſubleuari: At ſi patriã perdere pergerent, eos non modo reditus ſpem,ſed fortunarum omniũ & ſalutis protinus amiſſuros. Iam enim Caſtellii Bentiuolorũ inimici ædes ſuas prætorio propinquas armatis compleuerant, & maiores tumultus in dies propter multorum ſimultates in urbe timebantur. Ob eas res & propter Elephãtutii orationem,quæ ex ore totius populi & patritiorum emitti uidebatur,Bentiuoli tutiore ac honeſtiore conſilio ſuſcepto neceſſitati parent,pacatóque agmine cum omnibus impedimentis & clientibus ſuis urbe excedunt. Quibus rebus cognitis Medices legatus Bononiam,ut ibi rempublicam,ſicuti ſui erat muneris adminiſtraret, propere ſe contulit,& cum ſingulari omnis generis hominum gratulatione reductis exulibus eſt receptus. Nec multo poſt in urbe Mantua ad conſtituendam in Italia pacem conuentus indicitur. Ibi affuêre duces, principumque legati,& ante alios Mattheus Langus Gurcenſis cardinalis pro Cæſare ſummæ authoritatis in Italia procurator. Quo præcipuo diſceptatore de conditionibus belli & pacis,& de toto iure imperiorũ & fœderum agebatur. Proinde legatus Medices eò Iulianum fratrem miſit: actúmque eſt propenſiſsima omnium uoluntate de reducendis Mediceis. Quoniam Florentini authore Soderino Lucam Sabellum Alexandrúmque Triuultium duces ſuos cum alis equitum auxilio Gallis miſiſſent. Aderat pro Florentinis Ioannes Victorius Soderini frater, qui negabat id fœdus,quod cum Ferdinando rege antiquitus eſſet,ulla in parte à Florentinis fuiſſe uiolatum, Abunde id demoſtratum eſſe recenti Rhauennati bello,quum Florentini in neutram inclinantes partem, Gallis ſimul ac Hiſpanis & commeatum & receptum pari benignitate prebuiſſent. Nec referre quòd pro defendẽda Inſubria ex peculiari fœdere

Gallis auxilia miſerint,quando pari lege eadem Ferdinando regi pro tu endo regno Neapolitano prebere tenerentur.Sed quum hæc una maxi me pecunia facile poſſent expiari, Victorius ſcienta uiris & æqui potius quàm his artibus inſtructus,quæ ad tractandas res grauiſsimas neceſſa-riæ exiſtimantur, totam ſpem rei componendæ fœde corrupit, quum dubitanti auaroque animo tenacius qnàm oporteret pecuniis parcen-dum arbitraretur,nec externis & militaribus ingeniis propter lubricam eorum fidem,uti cautus iuriſconſultus uel data pecunia confideret.Itaq. dimiſſo conuentu Florentini hoſtes iudicantur, Medicíque legato Hi-ſpanorum copiæ tribuuntur, quas Cardonius in Bononienſem agrum adduxerat:Iulius ipſe pontifex propter memoriam Piſani concilii Sode rino infenſus, erga Mediceos præclarum ſtudiũ hoſtendebat,quãquàm Vrbinas eius imperator occultis de cauſis ad eam expeditionem neque tormenta neque eas equitum alas conceſſerat, quibus præerant Vitellii & Franciottus Vrſinus Mediceis ſumma neceſsitudine coniuncti. Sed illi non impetrato commeatu, deſertis alis ad præſtandam eo bello ope ram,cum legato proficiſcuntur.Apennino tranſeuntibus Hiſpanis, Ra-mazottus cohortes ſuas adiunxit,qui ex montanis bellicosísque homini bus quodam beniuolentiæ iure potius quàm imperii magnam & peri-tam locorum multitudinem armare ac educere erat ſolitus.Pepuli quo que Bononienſes patritii, quorum in Alpibus ſingularis erat authori tas,copiis & commeatu,itemque frequentibus operis ad ſternendas ui-as,& iumentis quibus tormenta traherentur,Mediceos liberaliter adiu-uabãt.Soderinus ubi hoſtes aduentare certius cognoſcit,patritios uiros circiter uiginti, quos Mediceis fauere arbitrabatur in curiam uocatos, in cuſtodiam tradit,legatos ad Cardoniũ mittit, ei munera ampliſsima & ſtipendia militibus pollicetur,ciuitatemque promittit eoſdem hoſtes & amicos habituram uti ipſi fœderati reges ex arbitrio præſcripſerint, modo ab iniuria abſtineant, reiectísque Mediceis præſentem reipubli-cæ ſtatum minime conturbent. Interea Prati oppidi mœnibus tor-menta admouentur, & uicinæ urbes ad defectionem ſolicitantur.Con-traxerat in opidum Lucas Sabellus magnam ſed inconditam armatorũ agreſtium multitudinem,& oppidi portas pernicioſo cõſilio multa con geſta materia glebaque præſepſerat.At Hiſpani quum ægre murum per forarent,altero preſertim maiore tormẽto forte perfracto,uíxque binis armatis aditus in oppidum eſſet patefactus,ad propugnaculum recondi to in ſinu ſcalas admouent: Singuli ſenſim magno & difficili aſcenſu in murũ euadunt,explicatóq. uexillo,& alacri clamore edito duobus pro-pugnatoribus interfectis alios in fugã uertũt.Interim Sabelli milites,qui ad perfoſsũ murũ Hiſpanis irrũpere conantibus haud ſegniter ex æquiſ ſimo loco repugnabãt,ubi ſupra ſe hoſtes in muro diſcurrẽtes conſpexê re,repentino metu conſternati, ſingulari ignauia locum deſeruerunt.Ita totus exercitus nullo accepto incommodo ad cædem & ad prædam ce-

leriter

leriter eſt introductus. Sabellus nequicquàm pauidos & fugientes in aciem cogere conatus, cum paucis in arcem profugit. cætera omnis agreſtium & oppidanorum multitudo, quum effugere obſeratis portis nequiret, armaque proiiceret, crudeliter ab Hiſpanis eſt interfecta, tanta ſæuitia in inermem turbam & ad Deorum templa refugientem ferro graſſantibus, ut Gallorum & Germanorum crudelitatem ac auaritiam in Brixiana clade ſuperarint. cæſa enim ſupra quinque milia hominum inermium dicuntur. Legatus tamen flendo,& notos quoſque milites de precando, Iulianuſque item frater & Iulius patruelis multos conſeruarunt, quum neque pecuniæ neque periculis ullis parcerent, & ſeſe vulneribus obiectare minime dubitarent, modo ante omnia matronarum & uirginum pudorem aduerſus militum libidinem tuerentur. Rebus, uti Prati geſtæ fuerant, Florentiæ nunciatis,ſicuti magnus timor populum inuaſit,ita optimates Soderino infenſi animos attolere cœperunt.Porrò Soderinus omnes copias intra urbem recipit, ſenatum aduocat, uariis dictis ſententiis legati iterum ad Cardonium decernuntur, qui hominem ingenti promiſſa pecunia expugnent: dicebant enim Florentini ex uetere proloquio nihil eſſe ſatius ac expeditius, quàm duriſsimis reipublicæ temporibus una uel immenſa pecunia patriam omni periculo liberare. Cardonius admiſsis legatis,quanquàm erat ingenio ciuili atque eo admodum uerecundo, conditiones tamen ampliſsimas & propoſita premia ita propenſis auribus admittebat, ut illa præclara animorum expugnatrix Sacra pecunia & fidem ſimul & decus ipſumque pudorem elidere uideretur. Sed legatum Mediceoſque omnes omnium fidem implorantes, Padulius ante alios & Andreas Carrafa,quorum eximia erat authoritas, apertis ſermonibus adiuuabant, quum intereſſe putarent ad Cæſaris & Ferdinandi regis dignitatem & totius Italiæ quietem cunctos opprimere, qui Gallorum partes ſequerentur. Mediceos enim ſi reducerent, qui antea à Gallis fuiſſent expulſi, eos & ueteris iniuriæ & præſentis beneficii memoriam animo nunquàm eſſe depoſituros. Interea Florentiæ perculſo & nutante ſenatu, Antonius Franciſcus Albitius, & Paulus Victorius præſtantis animi iuuenes ad Soderinum aſcendunt, monent hominem ut dictatura abeat & curia excedere velit,ne, ſi pertinacius reſiſtat & diutius cunctetur, ſibi ipſi imprimis & ciuitati ad interitum noceat: ſi id æquo animo & pacato fecerit, neminem ei eſſe nociturum, ipſoſque præcipuos fore corporis cuſtodes, & quò uelit incolumen educturos. Expalluit ad ea uerba Soderinus, & quum ſibi magnopere timeret, inimicorum conſiliis obtemperauit, utpotè qui ciuili prudentia potius quàm præſenti aliquo uehementis animi uigore rempublicam adminiſtrare erat ſolitus. Terruerant etiam hominem manifeſta prodigia, quæ ei paulò antè & dictaturæ finem, & afflictis Gallorum rebus reipublicæ commutationem præclare denunciarant. Tacta erat de cœlo porta quæ ad Pratum oppidum ducit, fulmenque ita è marmo-

reis Galliæ regum insignibus aurata lilia deterserat, ut in alterius clientelam ciuitas haud dubie cessura uideretur. Lapis quoque ingens qui intra curiæ limen ad primos scalarum gradus ædificii structuram sustinebat, ictu fulminis ita loco est propulsus, ut non turbine uiolento, sed fabrili artificio dimotus esse crederetur. In summa uerò curia cubiculum ipsius ubi lectus erat, fulmen intrauit, adeò blande pererrans, ut solam urnam feriendo disiiceret, qua ciuium nomina ad creandos sorte magistratus educebantur. Itaque Soderinus post decimum dictaturæ annum summa æquitate ac innocentia gesta republica, dum Gallico nomini apertius studet, & despecta nobilitate nimis se popularem ostendit, exutus dignitate curia educitur, flensque & salutem sæpe suam ambobus obnixe commendans, in domo Victorii seruatur. Inde non multo post mutato habitu per Vmbriam ad Hadriaticum contendit, conscensóque nauigio Ragusium in Dalmatiam est profectus. Eodem die Iulianus Medices euocantibus amicis, obuiamque eunte Cosmo Pactio antistite Florentino urbem ingressus, summa totius populi cum acclamatione suscipitur. Templum primo Deiparæ uirginis, quod est religione in urbe celeberrimum, adit, demum non in Mediceas ædes, sed in Albicianam domum se confert, ibi singulari humanitate & comitate Domini & Magnifici nomẽ repudiat, seseque ciuem omnibus æqualem atque omnium fratrem esse profitetur. Ad demulcendos uerò ciuium animos, qui Soderino fauere consueuissent, ne aristocratia protinus induci uideretur, Ioannem Baptistam Ridolfum in republica eximiæ sapientiæ uirum, popularemque & libertatis maxime studiosum, in locum Soderini in annum uexilliferum creant. Ioannes interim legatus ad templum diui Antonii suburbanum peruenit, effusique sunt ad eum salutandum cuncti ciues, ac ab his demum in paternas ædes est deductus, decimum & octauum post annum, ex quo ui Caroli octaui Gallorum regis adnitentibus ueteribus inimicis, fuerat expulsus.

FINIS SECVNDI LIBRI.

VITAE LEONIS DECIMI, LIBER TERTIVS.

MEDICEIS in patriam receptis, & ab his ex ærario ſtipendio militi perſoluto, donatiſque ducibus, optimates ad ordinandam rempublicam conſilia atque animos reuocarunt, quoniam Ridolfus cuncta regerat ex ampliſsima formula ſtatus popularis, qui & nobilitati ſingularem contumeliam dictatore Soderino ſemper attulerat, & omnem Mediceorum authoritatem conuellere uidebatur. Itaque armatus omnis populus de more ad concionem uocatur. Vexillifer Ridolfus cum magiſtratibus in ueſtibulum curiæ deſcendit, aſſenſu & clamore populi quindecim uiri reipublicæ conſtituendæ, quum nomina præcones recitarent, extemplo creantur: ab his demum ſeptuaginta totius ciuitatis longe grauiſsimi & Mediceis amiciſsimi uiri ſunt delecti, quorum perpetuo conſilio reipublicæ gubernacula traderentur. Ex eo etenim numero decemuiri, qui belli & pacis, & octouiri, qui uitæ & necis ſummam haberent poteſtatem, creantur. Vexilliferatum, uti erat antiquitus, bimeſtrem tantum fore impoſterum decernunt. His conſtitutis rebus & cohorte præſidio curiæ impoſita, contra uim ſedicioſorum ciuium; Iulianus ſago depoſito, & ſumpta ciuili toga nihil ſeſe ad principalem fortunam cunctis una modeſtia gratiſsimus efferebat, & reipublicæ munera paterno exemplo ſine ſatellite innocentia fretus obibat. Vix tres elapſi erant menſes, quum à nonnullis in cædem cardinalis & Iuliani conſpiratum eſt. Principes fuêre Auguſtinus Caponius corpore ac ingenio inerti iuuenis, in quo nihil prorſus laudares præter familiæ nomen, & Petrus Paulus Boſcolus, honeſtis quidem literis exornatus, ſed iudicio turbidus & læuis, uti his ſæpe accidit qui ab exuberantia atræ bilis inſaniæ proximi, dum præſentia non probant, immoderata & inaudita inani cogitatione perſequuntur: dolebat ſibi ereptam iri libertatem, quum rempublicam ad Mediceorum arbitrium recidiſſe conſpiceret: quanquàm illi per optimates æquiſsimos uiros cuncta urbana commoda honores & magiſtratus inter omnium claſsium ciues æquo ordine partirentur. Boſcolus Bruti uirtutem & gloriam ferebat in cœlum, ſéque Brutum fore teſtabatur, ſi ſibi fidum magni conſilii participem Caſsium reperiret. Nec mora Caponius, qui multa à Boſcolo ex hiſtoriis de Caſsio præclara audierat, libenter in eius nomen eſt adoptatus. Sed quum de tempore & loco cædis ageretur deque aſciſcendis ſociis, quorum præſidio tuti atque defenſi negocium conficerent, forte Caponio intranti Pucianam domum, ſyngrapha ſinu decidit, in qua breuiter erant annotata nomina amicorum, qui idonei ad id patrandum facinus uiderentur. Ea ſyngrapha beneficio Deorum collecta, & per Coctium Senenſem delata ad Medi-

ceos,periculum depulit. Captus nanque Caponius quum in tormentis egregie tacuiſſet, prolata demum ſyngrapha, nequaquàm inficiatus manum, cuncta propalauit. Eadem confeſſus eſt & ipſe Boſcolus,qui Nicolaum Valorium inſignem ciuem nominarat, atque ita de ambobus ſupplicium ſumptum. Valorius autem in Volaterranam turrem eſt relegatus: quoniam, tametſi Boſcolum de tam nefario conſilio inſano fremitu proloquentem ſæpe uti inſanum caſtigarat, nihil tamen uti optimus ciuis debebat, ad magiſtratus de ea re detuliſſet. Iiſdem ferè diebus quibus ea coniuratio feliciter eſt oppreſſa, Iulius pontifex, re pontificia ad ſummam authoritatem perducta, ex leui ſed tenaci febricula fluente ſenſim aluo moritur. Cuius morte nunciata Ioannes cardinalis lectica uectus, propter innatum ab ima ſede abſceſſum, Romam modicis itineribus ad comitia contendit. Tanto autem populi ſtudio poſtremus omnium conclaue eſt ingreſſus, ut proculdubio conſtanti omnium ſalutantium omine pontifex euaſurus eſſe crederetur: Auxerat eius ſpei famam Eraſmus Germanus ſubtiliſsimus mathematicus,qui pridie quàm Medices urbem intraret,in corona nobilium neminem fore pontificem ex his cardinalibus qui in Vrbe eſſent audaciſsime prædicarat.ferebant etiam Marſilium Ficinum, qui eximiæ authoritatis fuiſſet aſtrologus,ex fortunata & regia geneſi, ei ſacrorum principatum, quum adhuc eſſet puer, nec planè ſacris initiatus, omnino detuliſſe. Cæterum ubi in conclaue ſtatim eſt receptus,in partes ſuas ſibi iampridem conciliatos iuniores cardinales pertraxit. erant ii regiis ac illuſtribus maxime familiis nati, ætate opibuſque florentes, & imprimis Ludouicus Aragonius, Sigiſmundus Gonzaga,Marcus Cornelius,& Alfonſus Petrucius,quibus acceſſerant Bendinellus Saulius, & Matthæus Sedunenſis. multi etiam ex ſenioribus ea lege ſuffragia promittebant, ut & ipſi quum exirent candidati, paribus ſuffragiis iuuarentur. Erat tum ſenatus princeps Raphaël Riarius, qui ætatis honore, ſacerdotiis atque opibus cæteros omnes anteibat, quanquàm ei deerant literæ atque eæ uirtutes, quæ multo luculentius quàm ipſæ diuitiæ honeſtum ſacerdotẽ ad Chriſtianam laudem exornant. Is in magnam ſpem adipiſcendi pontificatus ab aura populari & tot circunfuſis adulatoribus facile peruenerat. Sed eum ambientem & ſingulos prehenſantem, cum ipſi iuniores eludebant, qui Ioanni candidato paratis firmiſque ſuffragiis præſto aderant,tum etiam ei ſenio res plerunqne fidem fallebant, quum quiſque ſpes ſuas aleret, & priuatis rationibus compoſitis ad ſummi faſtigii fortunam enitendum arbitraretur. Petebant enim fermè omnes, uti quiſque erat aut ſtudio principum, aut urbana gratia, aut opibus & doctrina maxime conſpicuus. Ita dum quiſque ſenior ante omnia ſibi uni præcipue ſtudet, & propterea cunctatius aliis ſuffragatur, Ioannem iuniores pontificem efficiunt, qui rei Chriſtianæ imperium dare potius quàm accipere una perpetua conſenſione decreuerant. Acceſsit ad eum ante alios Franciſcus Soderinus

rinus,qui uti erat inimicus admodum capitalis propter Petrum fratrem Florentia pulſum, ab initio eum omnibus adhibitis machinis oppugnarat,moxque perſpecta iuniorum conſtantia,uti cautiſsimus ſenex in gratiam opportune redierat. Acceſsit & ipſe Raphaël, & cæteri demum omnes,adeo ſedatis propenſiſque animis,ut nequaquam ſimulanter effuſe lætarentur,quòd eum pontificem legitimis & longe ſimpliciſsimis comitiis creaſſent, qui nobilitate familiæ, morum grauitate, exquiſitiſque literis, & ſingulari naturæ lenitate, non cardinales modo, ſed cunctos ferè mortales anteiret. Fuêre qui exiſtimarent uel ob id ſeniores ad ferenda ſuffragia facilius acceſsiſſe, quòd pridie diſrupto eo abſceſſu qui ſedem occuparat, tanto fetore ex profluente ſanie totum comitium impleuiſſet, ut tanquàm à mortifera tabe infectus, non diu ſuperuicturus eſſe uel medicorum teſtimonio crederetur. Cunctis ad pedis oſculum procumbentibus LEONIS Decimi nomen ſibi deſumpſit, utpote qui propter innatam excelſo regióque animo clementiæ uirtutem, non expreſſo quidem titulo, ſed erudita alluſione magnanimi cognomentum affectaret, duorum ſuperiorum ſecutus exemplum, quibus Alexandri & Iulii auguſtiſsima nomina placuiſſent. Non defuêre qui dicerent Claricem matrem pleno iam utero leonem ingentis magnitudinis & miræ lenitatis in Reparatæ templo Florentiæ omnium maximo ſe parere ſine gemitu ſomniaſſe. Quod poſtea ſomnium ex fabulis nutricum quum puerorum ingeniis inhæſiſſet, accipiendo nomini cauſam haud dubie præbuerit. Neque Leo mox homines fefellit, quum Petrum Soderinum è Raguſio in Vrbem euocaſſet, eoque ſummo cum honore ſuſcepto Conteſinæ ſororis filio Aloiſio Ridulfo ex Soderini fratre filiam in matrimonio collocaſſet. Pepercit & ipſi Valorio, quem propere Volaterrano carcere eductum libertati patriæque reſtituit, haud dubie Caponio etiam & Boſcolo ueniam daturus, niſi paulò antè octouirali iudicio damnati periiſſent. Eandem quoque animi magnitudinem & clementiam erga Caruaialem & Sanſeuerinum pſeudocardinales protinus oſtendit, qui quum audita morte pontificis è Gallia Romam ad comitia peruolarent, nauigio in portum Piſanum delati, atque ibi retenti in libera cuſtodia fuerant, ne,qui modo tantas turbas conciuiſſent, nouis altercationibus quieta comitia perturbarent. Eos enim Iulius iuſta hercle ira præferuidus iam ſenatu motos omnique prærogatiua ſuffragii & galeri dignitate penitus exutos, quòd concilium aduerſus ſe concitatis regibus indixiſſent, ſi qua ſorte eos caperet, in campo Flore tanquàm ſceleſtos & impios concremare decreuerat. Itaque Romam perductis, & in ſenatu ſine purpuræ inſignibus ſuppliciter ueniam petentibus facile ignouit, priſtinumque eis honorem & ſacerdotia reſtituit, quum acta Piſani & Mediolanenſis & Lugdunenſis concilii penitus abrogaſſent,Lateranenſeque concilium uti legitimum & iure optimo indictum ſolenni aſſenſione comprobarent. Leo etenim ante omnia Iulii conſilia hiſdem

prope ueſtigiis ſubſequutus, concilium in Laterano cœptum multis de cauſis celebrandum perficiendumque eſſe iudicabat; ut ſaluberrimis ſci licet decretis conſtituta republica Chriſtiana, omnis ſchiſmatis ſeditionique materia tolleretur. Coronatus eſt Leo pontifex ad Lateranum trigeſimo die poſt creationem, qui fuit Aprilis undecimus, Rhauennate clade infauſtus, ut conuerſo omine ab tanta priuata lætitia & publica hilaritate ex atro longe omnium candidiſsimus redderetur. Vectus eſt etiam in pompa illo eodem equo Thraicio in quo ad Rhauennam captus fuerat, quem ab hoſtibus pecunia redemptum ita adamauit, ut poſtea uſque ad extremam ſenectutem ſumma cum indulgentia alendum curarit. Fuit autem is dies omnium qui à Gothicis temporibus Romanæ urbi felicius illuxerint, longe clariſsimus: nunquàm enim ullum uel ampliore uel ornatiore hominum concurſu ſpectaculum celebratum fuiſſe uel legendo uel audiendo meminerant. Protectæ erant auleis regiones, ridebant ianuæ ciuium feſta fronde & floribus, feneſtræ ſtratæ tapetibus ornabantur, in omnibus biuiis triumphales arcus occurrebant, ad ueteris Romanæ magnitudinis exemplum picturis & ſtatuis mirum in modum exornati, Cardinalium & Antiſtitum comitatus uſque ad humiliora ſeruitia ſerico & purpura, multoque item auro præfulgebat, Ipſi cardinales ſacras aureas & pictas induti ueſtes militaribus equis uehebantur. Prætulit Romanæ eccleſiæ vexillum Alfonſus ipſe Ferrariæ princeps, qui ad componendam controuerſiam, & ad præſtandum officium benignis literis accitus aduenerat. Affuit & Franciſcus Vrbinas urbis præfectus. Rhodiæ uerò militiæ uexillum armatus detulit Iulius Medices; ita ut cum neque ipſe neque ullus omnino uel ſapiens crederet, in tanta ſenatorum & ſeniorum turba, quod in abditis fatis erat, eum mox Romæ regnaturum: & forte ea die coronationis ad felix auguriũ mortuo Pactio Coſmo, antiſtes Florentinus uixdum exutis armis eſt effectus. Sparſa eſt à quæſtoribus per omnes regiones larga manu aurea argenteáque pecunia, tanta Leonis liberalitate, ut ipſi centum milibus aureis eam pompam pontifici conſtitiſſe faterentur. Coëmit mox à Maximiliano Cæſare amplius triginta milibus aureis Mutinam urbem, uti moriens paulò antè Iulius faciendum eſſe monuerat: Videfruſtiumque arcis præfectum auari & peruicacis ingenii hominem Germanum, qui Cæſaris iuſsis nequaquàm parebat, per Rangonos ui ac inſidiis circumuentum expulit. Adiecit demum curam omnem componendis regum controuerſiis, quum legatos undique in omnes prouincias emiſiſſet. Sed tanta mole Gallis vndique concitatum erat bellum, ut neque tot naues & terreſtres apparatus ſumma ſuſcepti impenſa facile retardari, neque dira illa flamma iratis regum animis diu concepta ullis uel ſanctiſſimis precibus reſtingui poſſe uideretur. Ferdinandus paulò antè Ioannem Nauarræ regem Cantabria expulerat, redeuntemque cum magnis Gallorum auxiliis, & Pompelonem regiam urbem oppugnantem iterum

rum ſuperarat, fremente Ludouico qui eum regem ſibi affinem & in clientelam à Galliæ regibus antiquitus receptum omnino reducendum eſſe cenſuerat. Britanni quoque interea duce Dorſetio Aquitaniam qua Cantabriæ iungitur ad Fontem Rabidum expoſito exercitu terra marique effuſe uaſtauerant, Galliique & Britanni ambuſtis utrinque excelſis aliquot nauibus mari ſæpe contenderant. Ludouicus ipſe expeditionem in Italiam audita morte pontificis impigre parabat: ab Henrico magni exercitus ingentes claſſes, ut ipſe in Galliam traiiceret, effuſis paternis theſauris ornabantur. Contra Iacobus Scotiæ rex à Gallo pecunia inductus, ita copias parabat, ut diſcedente Henrico totius Britanniæ regnum inuaderet. Ante alia Veneti à ſociis impudentiſsime decepti, exclu ſi Brixia, & contra ius & æquum & recentis fœderis leges omnibus iniuriis exagitati, ad Gallum recurrerant, cum eo qui ex hoſtibus ipſorum nomini infenſiſsimus extitiſſet, fœdus percuſſerant. Quibus de cauſis Leo quum nihil ſibi uel tutius uel honeſtius eſſe poſſet, Iulianum fœdus ſeruare, & eoſdem ſocios quos ille habuiſſet adiuuare conſtituit: ne ſi medius inter diſsidentes intempeſtiuæque pacis arbiter eſſe uellet, & à uictis pariter & à uictoribus ab utriſque deſpectus non modo odium & incommodum, ſed ſingularem etiam infamiam pararet. His initis ſuſceptiſque conſiliis ad prouehenda demum exornandáque optimarum literarum ſtudia longe omnium liberaliſsime animum conuertit: qua una peculiari laude Coſmus proauus & pater Laurentius priuatis uiris potius quàm principib. fortuna ſimiles, ſummam ſibi & poſteris claritatem peperiſſent. Ante omnia ab epiſtolis ſingulari iudicio ſibi deſumpſit Petrum Bembum & Iacobum Sadoletum, qui cæteros omnes literatos Romanæ eloquentiæ laudibus anteibant. Vaticanæ uerò bibliothecæ Beroaldum iuniorem præfecit, in ſcribendis odis Horatiana iucundita te præcellentem. Gymnaſium uerò accitis undique grauiſsimarum artium profeſſoribus ita inſtauraúit, ut neque Bononienſi, neque Patauino, uel doctorum præſtantia uel auditorum concurſu concedere uideretur. Auguſtinus Sueſſanus philoſophiam, & Chriſtophorus Aretinus medicinam profitebantur. Hieronymus Butigella iuris ſcientiam doce bat. In humanioribus ſtudiis eruditione ſtilo & eloquentia Parrhaſius Coſentinus erat inſignis. In Græcis literis eminebat Baſilius Calchondy les, eius Demetrii filius, qui ipſius pontificis in adoleſcentia fuerat præ ceptor. Singulos uerò uel mediocris etiam nominis poëtas, & exquiſitis nobilioribuſque artibus inſtructos tanta benignitate ſuſcipiebat, ut omnes iam excitatis animis ad excolenda literarum ſtudia uehementer accenderentur, quum ab tanto armorum ſtrepitu, quo neglectis literis Iulii aures magnopere gaudebant, tandem uirtuti locus patefactus eſſe uideretur. Qua ſpe feliciſsime concepta, ab eruditis id carmen in arcu triumphali ad Hadriani pontem eſt inſcriptum, quo ſuperiorum pontificum mores cum Leonis laude lepidiſsime notabantur.

Olim habuit Cypris ſua tempora, tempora Mauors
Olim habuit, ſua nunc tempora Pallas habet.

In eo quoque arcu, qui erat ad biuiũ uiæ triumphalis, præclariſsimo totius populi ſtudiò & hoc eximiæ grauitatis & gratiæ carmen cubitalibus literis fuit inſcriptum.

Vota deûm Leo vt abſoluas, hominumq; ſecundes,
Viue pie vt ſolitus, viue diu vt meritus.

Florebat enim tum Roma præſtantibus ingeniis, copia incredibili rerũ omnium, & à clementiore cœlo inuſitata aëris ſalubritate, ita ut Leo tantæ uirtutis ac amplitudinis pontifex, auream ætatem poſt multa ſæcula condidiſſe diceretur. Interea dum inito ſtatim põtificatu enixe dat operam, ut inter diſcordes Europæ reges in ſpem pacis induciæ fierent, Ludouicus aduerſus Maximilianum Sfortiam exercitum omni bellico apparatu abunde inſtructum, in Italiam miſit. Is enim qui regio, militariq. animo indomitos ſpiritus gerebat, ſeſe Neapoli, Mediolano, Genuáque fœde pulsũ ferre nõ poterat, adeoque uehementi repetendæ Italiæ deſiderio erat concitatus, ut Cantabriã dudum Hiſpanorum armis occupatam Ferdinando concederet, & Venetis icto fœdere Cremonam polliceri minime dubitaret, contulerant enim ſeſe Veneti ad Galli regis amicitiam indignitate contumeliæ accenſi, quòd poſt eiectos Gallos Brixia impudenter ab Hiſpanis intercepta, ſibi ex fœdere minime redderetur. Ferdinandus quoque uel ob id quod forte infirma erat ualetudine, Cantabrici regni poſſeſsionem omni infamiæ, quæ ſibi à ſociis conflaretur, præferendam iudicarat: ut pote qui felici prudentia omnes conſilii rationes, una maximè præſenti utilitate metiri erat ſolitus. Verum non defuêre qui crederent Ferdinandum non tam cupiditate retinendæ Cantabriæ quàm amittendi Neapolitani regni metu adductum, eas occulte inducias cum Gallo pepigiſſe; quoniam accepiſſet Iulium pontificem liberiore uoce frementẽ, comminãtemque iactare ſolitum ſe nunquàm animo conquieturum, donec expulſis omnibus Barbaris, qui aliena impotenter occuparent, Italiæ liberator, uero inde parto cognomine, dici mereretur. Itaque Leo poſtquàm aſsiduas Chriſtianæ pietatis cohortationes, minus ſanis auribus undique recipi animaduertit, quanquàm paci quietíque ſtudere maxime decorum putabat, ſuæ tamen dignitatis eſt arbitratus Iuliani fœderis rationes tueri, ſpecioſaque & moderata imitatione ſtudium ſuum proferre, ut qui Gallis erant hoſtes, animos minime deſponderent, nec Galli ſuis viribus & Venetorum amicitia præpotentes, in dubia præſertim belli fortuna, acerbius quàm deceret offendi uiderentur. Quam ob rem implorantibus opem Sfortianis, quum pecunia maxime indigerent, uiginti quinq. milia aureorũ numûm Morono legato dinumerat, quibus Nouariam citato itinere comportatis, oppor tune militi ſtipendia perſoluuntur. Eò ſe tum contulerat Maximilianus cũ octo milibus Heluetiorum, unam ſpem atque eam quidem exiguam

ancipiti

ancipiti euentu in Heluetiorũ animis reponens. Siquidẽ illi iidem campi atque illi iidem Triuultius atqe Tramulius uti fatales belli duces ſpectabantur,qui perfidiæ Heluetiæ & paternæ calamitatis memoriam ad animum extrema ſuſpenſum cura reuocabant. Aderant quoq. ſecum eadem ſigna atq. iidem fermè centuriones eorum maxime pagorum, qui eius proditionis ignominia quondam notati,ueteranorum Italorum digitis & nutibus tacite monſtrabãtur. Ad hæc mala Sacramorus quoque uicecomes,qui Mediolani obſidendæ arci erat præpoſitus,perfidioſa le uitate cum ala equitum ad Gallos transfugerat, regreſsúsq. Mediolanũ omni militari præſidio nudatum,peruicerat apud ciues,ut in Gallorum uerba iuraretur. Liuianus quoque adducto Venetorũ exercitu,Cremonæ partim metu partim egregia popularium uoluntate fuerat receptus. Et Cardonius atque Piſcarius,in quibus ſumma ſpes ſuſtinendi belli collocari debuerat, certiores de induciis facti, nihil ſe uel in hanc uel in illam partem ab ſtatiuis ad Trebiam caſtris commouebant. Iam aliquot diebus Tramulius prolato tormentorum apparatu adeo uehementer mœnia quaſſauerat,ut late proſtratis adapertísq. mœnibus Heluetiæ legiones in ſtatione conſpicerentur, quæ nunquàm adduci potuerant, ut portam clauderent ipſis etiam hoſtium caſtris oppoſitam,tantaque ſuperbis eorum ingeniis innata erat de Gallorum gente contemptio,ut ultro etiam prouocarent irriderẽntq. hoſtes, quod tantum inanis operæ fruſtra ſuſcepiſſent, ut aditus in urbem pararetur, quando adapertis portis,ad iuſtam dimicationem fortibus uiris,ſi animus ſuppeteret,eſſet irrumpendum. At Gallorum duces ne periclitãdo uires cum peruicaſiſſima gente exploratam ab optima cunctandi ratione uictoriam in diſcrimen adducerent,reductis ſilentio caſtris ad ſecundum lapidem receſſerunt:uel ob id etiam, quoniam Altoſaxum cum recentibus auxiliis Comenſi uia aduentare cognouerant. Is ſuperiore anno cum Galli Ciſalpina Gallia pellerentur, Heluetiorum fuerat imperator, uir ingenti animo corporeque multis in locis bellicæ uirtutis gloriam conſequutus. Eodem quoque tempore Heluetii de Altoſaxi auxiliorumque aduentu certiores fiunt:coguntur in conſilium centuriones atque ſigniferi, diſputatur uariis ſententiis, an excipienda ſint auxilia occurrendo cum expeditis cohortibus eodem itinere,ne à Gallico equitatu in patentibus campis opprimantur. Tum uerò Mottinus inter Helueticos duces animi promptitudine militiæq. peritia inſignis, de inuadendis hoſtibus diſſerere cœpit,quaſi Altoſaxi gloriæ inuideret, ad quẽ opportuniſsime auxiliorum ſuperuentu,ſeruatorum fratrum, atque inſtauratæ & excitatæ ſpei ad certam uictoriam fama omnino inclinatura uideretur: Quid cunctamur,inquit, commilitiones in hac parum decora deliberatione? quaſi toties uictos & nihil tale timentes, ſi in eos diluculo erumpamus minime ſimus deleturi? Perrumpemus hercle & cũcta obuia ſternemus; dum ambigunt & cõſultant,an Altoſaxo ſit occurrendum,uel manẽdum

in caſtris,quæ ut in nullo metu exiguóque temporis ſpacio minime munierint,præſtabo me huius periculi facile principem,ne conſilium ab audacia potius quàm à uirtute ſumptum putetis;Et meo certe ductu nihil cum auxiliis communicata laude, uictoriam nobilem atque opulentam referetis.Nec mora, centuriones fermè omnes feruidis & alacribus ingeniis ſublata manu Mottino fauent:pleriq.etiam eo ardentius, quo ueteris ignominiæ notam, proditi ante trẽdecim annos Ludouici aliquo fideli illuſtríq.facinore delere cupiebant. Itaque de tertia uigilia triplici agmine,ſine equite, ſine tormentis ſummo ſilentio irrumpunt, à tribus locis uno ſimul tempore Gallica caſtra adoriuntur, ſemiinſtructas acies peditum atque equitum proſternunt,Germanos ægre,fortiter tamen & mutua quidem cum cæde ſuperant. Nec Tramulius atque Triuultius inuicti antea duces,quicquàm uirtute uel conſilio ualent, quum & ſubitus hoſtium incurſus,& fœda fugæ facies, & conturbata diuerſis in locis caſtra,omnem uel cõſtantis iudicii uim,uel ferendæ opis ſpacium inter diſſonos morientium clamores eriperent.Heluetii cæſo late peditatu,& equitatu undique pulſo,tormentis & caſtris puncto temporis potiuntur. Cecidêre ad X.milia hoſtium,& in his uiri inſignes Monfalco Gallus equitum præfectus, Aloiſius Beomontius Hiſpanus qui cohortes ductabat,Alexius Buſichia leuis armaturæ equeſtris dux nobilis.Nec ea uicto ria apud Heluetios, quanquàm longe omniũ nobiliſs.luctu caruit.Nam medium agmen à tormentis magnum acceperat detrimentum. Atque ipſe ante alios Mottinus colubrinæ pila diſcerptus interierat. Ipſi quoq. Germanorum præfecti Floranges atq.Gemeſius, quum ſtrati multis ac ceptis uulneribus iacerent,ad curſu Roberti Sedanii patris,qui cum inſi gni cataphractorum turma in uictorum & cædẽtium coronam penetrarat,haud dubiè ſeruati ſunt.Hac audita de Gallis uictoria, Leo pontifex aliquanto præclarius ſtudium ſuum proferre cœpit, egítque cum Raymundo Cardonio,ut Octauianus Fregoſius Genuam reduceretur,quoniam Adurnii Fliſcíq. Iano Fregoſio paulò antè pulſo, Gallorum ſigna ac imperia ſequebantur.Subſtiterat Raymundus ad Trebiam,neque ſatis conſpicuus Gallorum hoſtis,neque ſyncerus aut utilis Sfortianorum ſocius,quum uarias nectendo moræ cauſas,id unum contenderet, ut induciæ tantiſper aliqua uel inani diſsimulatione tegerẽtur, dum Fortuna huc aut illuc proclinata,belli ſucceſſum aperiret. Itaque Leoni ſingulari ſtudio cohortante,atque omni ope contendente,Raymundus & Piſcarius in Ligures expeditionem ſuſcepêre, paucisque diebus Octauianus ſine uulnere Genuam eſt introductus. Nam Hieronymus Adurnus & Otthobonus Fliſcus ſummæ æquitatis atque uirtutis homines,deprecãtibus ciuibus, ne patriam in diſcrimen adducerent, & uillas ſumptuoſæ amenitatis exuri paterentur, ciuili potius quàm militari quæſita laude, ſponte abierant: Octauianus aſſumpto ducis nomine imperatáque.ciuibus pecunia,trium menſium Hiſpanis ſtipendium perſoluit. Et ad obſi-

dendas

terra mariq.arces cõſilia omnia uiresq. cõuertit.Hiſpani uerõ adiunctis ſibi Germanorũ copiis ad euaſtandam Venetiã ſunt profecti,quibus ex fœdere pontifex Troilum Sabellum Mutiumque Columnã & Vrſinum Mognanium cum aliquot equitum alis adiderat. Interea Henricus Britanniæ rex & Maximilianus Cæſar ingens bellum in Belgio Gallis intulerunt: Traiecerat Henricus iuuenili alacritate ad decus bellicæ laudis uehementer inflammatus ſupra centum milia Britannorum adducens, ut quæ maiorum ſuorum ditionis quondam fuiſſent,armis repeteret,ab eo præſertim qui ſacroſanctum pontificem impiis armis uexauiſſet. Is enim ſuſcepti antè belli fuerat prætextus,nobiliſsimoque inde parto cognomine,pontificiæ libertatis aſſertor atque defenſor appellari & præſcribi in literis magnopere gaudebat. Addiderat Maximilianus Germanorum legiones & ualidam Belgarum equitum manum:obſidebatur trinis caſtris Teruanna Morinorum,& uehementiſs. tormentis oppugnabatur,quum Galli ingenti coacto equitatu,ut cõmeatum obſeſsis importarent,occaſionem conſerendo prælio præbuerunt. Itaque ad Ghingatam uicum inita eſt pugna non cæde, ſed inſigni ac maxime ſpecioſo equitum concurſu memorabilis: nam utrinque ueteranæ atque ampliſs. alæ ſtrenuique duces in eoſdem forte campos erant perducti, in queis multis antè annis Gallos,Aloiſio XI.bellum gerente,Maximilianus tum pene puer ingenti prælio ſuperaſſet. Non tulit impetum tantæ impreſsionis Gallicus equitatus, tametſi ab initio egregie concurrerat: Nam & Henricus cũ uiginti millibus ſagittariorũ,& Maximilianus cum robore legionum aduentabant. Itaque eadem loci fortuna propellente,Galli in fœdam atque præcipitem fugam acti,adeò ut nuſquàm minore cum incommodo,uel maiore cum ignominia conflixerint. Captus eſt ante alios Rothelinus nobiliſs. dux. Nec multo poſt Teruanna deſperatis auxiliis Britanno ceſsit,copiæque ad oppugnandum Tornacũ, quæ eſt urbs ampliſs. Neruiorum,ſunt perductæ. Dum hæc in Belgis fiunt, Iacobus rex Scotorum,naturali odio & pecunia maxime Gallica impulſus, dum ſperat ſe totius inſulæ Britanniæ regem futurum, parum decoro ac exitiali conſilio,abſenti Henrico bellum intulit. Fuerat relictus ab Henrico in tutelam regni Surreius regulus fide & uirtute bellica inſignis. Is Iacobo populanti Angliæ fines ad Tuedum amnem occurit. Certatum eſt maioribus quàm unquàm antea odiis,uiribus uerò lõge maximis. Nam pro gloria,pro ſalute, pro totius inſulæ imperio remotiſsimæ utrinque gentes excitæ,ad enatum repente bellum ſumma feſtinatione concurrerant. Scotorum acies tota pedeſtris fuit:nam Iacobus fatali quadam audacia,ut nullam ſpem ſalutis in fuga ſuis relinqueret,ipſe primus omiſſo equo pedes in acie conſtiterat,Surreius contrà,utrinque alas equitũ cornibus ſuis adiecit. Non tulêre Scotorum haſtatæ phalanges ſaggittarum uim, quæ ab hoſte ingentibus ligneis arcubus excuſſæ,armatos pariter atque inermes uulnerabant. Confixus eſt & ſagitta rex ipſe,ferreo guttu-

rali facile penetrato, quo cadente Scoti maiore animorum peruicacia, quàm bellica fortitudine dimicantes, cæſi ſuperatíque ſunt. Nam & haſtati Angli pedem Hauardo duce Surreii filio in perturbatos intulerunt, & Dacreus equitatui præfectus, circunductis turmis, fuſorum & in fugã ſpectantium magnum numerum occidit. Periêre cum rege decora animorum obſtinatione repugnantes, Huntleius, Crafordius, & Monteroſius nobiliſs. duces. Ea nunciata clades Ludouicum, quanquàm animo infractum, magnopere conterruit. Nam tametſi opulentiſs. regni facultates alendo bello abunde ſufficerent, ſingulari tamen cura angebatur, quòd pedite careret. Nam uetere Gallorum inſtituto in uno equitatu ſummam gloriam, repudiata pedeſtri militia, reponebant, utpote qui conductitio uel Germano uel Heluetio pedite omnibus bellis uti conſueuiſſent: quorum alteri Henrici Maximilianique ſtipendiis præoccupati eſſent, alteri iam ex profeſſo Gallorum hoſtes, fœderatíque cum Hiſpanis atque pontifice in Heduos penetrarunt, ut eam Burgundiæ partem, quæ quondam Caroli Belgarum principis fuerat, in poteſtatem redigerent, aditusque facillimus occupatis montium clauſtris pararetur ad inuadendam interiorem Galliam, unde præda omnis generis & ſpolia ampliſsima peterentur. Itaque Ludouicus multiplici rerum ſuarum periculo magnopere commoueri, ſæpe æſtuare animo conſilioque arbitrari ante omnia ſibi diuinitus ea infligi uulnera, & alias ſuper alias parari clades, quòd ſacroſanctum pontificem diro conſilio atque impiis armis fuiſſet perſecutus. Cæterum id bellum opinione omnium faciliorem exitum habuiſſe eſt uiſum: Tramulius namque, qui ab Italia pulſus in Heduos cum tumultuariis copiis adcurrerat, ut arces aditusque præſidiis firmaret, quum uiribus impar tantam Heluetiorum multitudinem ſuſtinere non poſſet, eos impetrata pace in patriam repreſsit, ita ut uel iniquis & maxime pudendis conditionibus eam parare ex uſu præſentis neceſsitatis minime ſibi indecorum fore arbitraretur: tot enim tantaque premia iam intra Galliæ fines effuſis & toties uictoribus largiſs. ſponſione eſt pollicitus, quanta nec diuicto rege, ſubactáque Gallia referri aut ſperari poſſe uiderentur, non ignarus Ludouicum nihil earũ rerum depulſo periculo præſtiturum. Hac aſtuta fallaciq. pactione Heluetiis deceptis, ipſisque in patriam redeuntibus, Ludouicus in Belgio ea ratione bellum geſsit, ut obſeſſa ab hoſtibus Tornaco nobiliſsima Neruiorum urbe, nihil ſibi commodius fore exiſtimaret, quàm ſeruare atque augere copias, cunctari in proximis locis, nullam prælio occaſionem dare: inclinabat enim ſe autumnus illis in regionibus, hyemi quàm æſtati ſimilior; nec differri poterat in Britanniam traiectus, quoniã uergente in brumam tempore grauior in dies & ſæuior Oceanus eſſe conſueſſet. Itaque Britanni, quum nemo Gallis opem ferret, Tornaco potiti, iam læto duplici uictoria Rege, relictis præſidiis ad tuendas urbes, in Britanniam redierunt. Per eos quoque dies Venetis tãquàm Gallorum

ſociis

ſociis ad Vicentiam clades eſt illata. Proceſſerant Cardonius & Proſper Columna uaſtabundi uſque in proximum Venetiis littus, nuſquam prodeunte in aciem Veneto duce, ita ut à Margario aggere pilæ tormentis maioribus emiſſæ, ad ipſam uſque urbem peruenirent. Non tulit ignominiam Liuianus, quum exuri late agros barbara feritate conſpiceret. Nam Germani præſertim Hiſpaniq́ue nec nobiliſsimis quidem uillis parcebant. Eos ergo omnis generis præda onuſtos ex obliquo adortus, præciſis undiq́ue itineribus ita cõterruit, ut deſerere impedimẽta, & metu ſummæ cladis per abruptos montes Veronam euadere cogitarent. Sed Liuianus ingenio ferox atque præproperus, dum abeuntes intemperantius perſequeretur, adeò incaute ac infeliciter conflixit, ut quum uix primam Germanorum ac Hiſpanorum impreſsionem, obuertente aciem Piſcario, Veneti pedites ſuſtinerent, totus exercitus fœde perturbatus cæſusq́ue ſit. Periêre in receptu parum decoro uel dum fugam ſuorum ſiſterent, illuſtres alarũ duces numero ſeptem, & in his ante alios Sacramorus Vicecomes, quem defeciſſe ad Gallos docuimus, & Hermes Bentiuolus, præterea cohortium præfecti ſigniferiq́ue inſignes uiginti tres: cecidit & lixæ manu cõfoſſus Andreas Lauredanus legatus, Paulum uerò Baleonum prolapſum in paluſtrem locum mitior fortuna hoſti captiuum præbuit. Ipſe quoque Liuianus tranato Meduaco amne, in cuius uorticibus plerique tentato infeliciter uado perierant, celeriter pugna elapſus Patauiũ peruenit. Ea clades eo grauior Venetis & luctuoſior fuit, quòd paucorum dierum interuallo ad Nouariam, & in Belgio Britãniáque aduerſo partium ſucceſſu dimicatum fuiſſe didicerant, nec iam habebãt unde copias repararẽt, tot præſertim equitib. cataphractis & tot ducibus ueteranis in unius maxime prælii calamitate amiſsis. His cognitis rebus Leo pontifex, tametſi eam cladem Venetis, quòd Gallos in Italiam euocaſſent, merito accidiſſe prædicabat, nihil tamen ea uictoria lætabatur. Dolebat enim Italico nomini certum exitium, certamq́ue ignominiam externorum armis parari: ob id ſecreto Venetos per Franciſcum Foſcarum legatum hortabatur, ne animo deficerent, ſuamq́ue priſtinam infractæ uirtutis atque conſtantiæ exiſtimationem tueri uellent: ſe etenim nunquàm hoſtem futurum ipſorum reip. quam minime proſtratam, ſed integram & florentem uidere cõcuperet. Quòd auxilia aduerſus eos miſiſſet, id eſſe datũ Iulianis fœderibus, & recentibus ipſorũ conſiliis, quibus euocandos in Italiam Gallos cẽſuiſſent, quorum aduentu turbari ſperata pax & diuina humanaq́. rerũ confuſione permiſceri uiderentur. Ad hanc ſinceri animi uoluntatẽ facta addidit, quibus ſingulari collato beneficio Veneti iuuabantur. Nã uir iudicio longe grauiſsimo ita partibus ſtudendum arbitrabatur, ut eum publici decoris Italicæq́ue dignitatis nunquàm obliuiſci, uel inimici etiam præclare perſpicerent. Sub idem tempus magno aſſenſu atque ambitione populi Romani Iulianus Leonis frater, Romana ciuitate donatus eſt, editiq́ue

ſunt in eius honorem ludi ſcænici, temporario theatro in area Capitolina extructo, ubi per biduum ſumma celebritate actus eſt Plautinus Pœnulus, uariáq. ſubinde poëmata iucundiſsimi argumẽti per ingenuos ſummæ nobilitatis elegantiſsime decantata, adeò exquiſito atque opulento rerum omniũ apparatu, ut antiqua aurei ſæculi fœlicitas, ipſius pontificis erudita liberalitate reuocata uideretur. Ad referendam uero gratiam eximii ſumptuoſiq́ue erga ſe ſtudii, vectigal ſalis imminuit, amplifi cataq́ue triumuirali conſeruatorum urbis poteſtate, præmiis ac immunitatibus publice priuatéq. Romanos eſt proſecutus: quam ob rem ſolenni decreto omnium ordinũ populus ad teſtificandum gratiſsimi animi ſtudium, marmoream ſtatuam in Capitolio dedicarit cũ hac inſcriptione. Optimi liberaliſsimiq́ue pontificis memoriæ. S. P. Q. R. Per eos quoque dies Iulium patruelem, Innocentium Cibo, Laurentium Pucci um, & Bernardum Bibiennam in cardinalium ſenatum cooptauit. Primum galerum, quem ipſe geſtaſſet, ſanguini atque familiæ tribuit, quaſi diuino ingenio iam præſagiret, qualis quantuſque in republica Chriſtiana is eſſet futurus, quem ſuo fatali pileo digniſsimum iudicaſſet. Secundus Magdalenæ ſorori, quæ Innocentii mater erat, datus eſt, atque item Innocentii Octaui pontificis memoriæ, cui initium ſummæ dignitatis acceptum referebat. Tertium, uirtus, ætatiſq́ue honor, & egregia in primis fides, quæ in Puccio in omni fortuna ſemper effloruit, promerẽure: eius etenim Ianoctii frater fuerat, quem Florentiæ ſecuri percuſſum fuiſſe ſuprà meminimus. Quartus in Bibienna perpetui laborioſiq́ue obſequii & fidelis induſtriæ iucundæque familiaritatis præmium fuit. Nec multo poſt Iuliano fratri in ſpem ſobolis Philiberta Caroli Allobrogum principis ſoror matrimonio iuncta, quam demum uti ſine dote expetitam, vltro regiis exornatam muneribus, præmiſſo ad Niceam inſigni comitatu, Romam acciuit. Laurentius uero Petri Medicis qui in Liri amne periit filius, Florentinæ reipublicæ eſt præpoſitus. Exiſtimabat enim pontifex, diuiſis honoribus & conſtituta domo, ita ſuis & Mediceo nomini prouidendum, ut non magnopere in poſterum fortunæ uis ſuſpectanda uideretur. Eadem hyeme, quæ ſecuta eſt, cohortante undique per legatos Leone pontifice inter Gallos & Britannos bellum eſſe deſiit, breuique ab induciis pax quæſita authore Rotelinio, qui in libera cuſtodia Londinii ſeruabatur. Deceſſerat paulò antè Anna regina, ſummæ religionis & caſtimoniæ mulier. Itaque cælibi Ludouico ſupra ſolenne pacis ac amicitiæ fœdus, Maria Henrici regis ſoror eximiæ uenuſtatis uirgo deſpondetur. Qua in Galliam perducta, Ludouicus incredibili ſumptu & mira ludorum uarietate nuptias celebrauit. Sed dum ætatis & ualetudinis, quæ ei tum erat tenuiſsima, penè oblitus intemperantius (ut ferunt) procreandis liberis operam daret, concepta edaci febricula non multos poſt dies, interiit. Statimq́ue ei ſuffectus eſt Franciſcus gener, qui ætate, ingenio, formáque uel præter regium nomen

totius

totius Galliæ iuuenum longe florentiſsimus habebatur. Is acceptis imperii inſignibus, ingenti animo expeditionem in Italiam ſuſcepit deſtinatam paratamque antea à Ludouico, qui moriens ampliſsimas copias omni bellico apparatu inſtructas, obuerſaſque ad Alpium iter, opportune reliquerat. Euocabant Gallos Veneti in primis, ut Brixiam Veronamque reciperent, atque item Octauianus Fregoſius, qui clàm percuſſo cum Franciſco fœdere à ueteribus amicis fœderatiſque diſceſſerat, iuſtis certe & grauibus de cauſis, uti ipſe prædicabat, uerum nequaquàm grato aut fideli ingenio, ſi Leonem, qui cuncta detulerat, reſpiceret, quem diu per legatos & literas monentem, ne flagitioſe deficeret, prolixa diſſimulatione fuerat ludificatus. Itaque Liguribus & Venetis, ut aduentantes Gallos exciperent, arma parantibus, Leo cum ſociis regibus coit, fœdus renouat, exercitum ex delectu fortiſsimarum Italiæ gentium cogit, profitetur ſe Mediolanenſis imperii defenſorem, uel ob id maxime inductus, quoniam Heluetii flagrantiſsimo ſtudio decretóque publico, non iam uti mercede conducti, ſed planè propter concepta odia, tanquàm ueri Gallorum hoſtes propulſandi belli negocium ſuſceperant. Prouidebat quoque acutiſsimus pontifex, ſi Gallus Inſubrum imperio potiretur, nequaquàm futurum, ut Galli ab ipſa præſertim uictoria inſolentes, à Placentia Parmáque abſtinerent, quas urbes ab reliqua Sfortianorum ditione interfluente Pado abſciſſas, Iulius pontificiæ ditioni, pulſis Italia Gallis, adieciſſet. Verebaturque ne rex iuuenis bellicæ gloriæ auidus ſemel tranſgreſſus Alpes, Italiæ opulentia atque amenitate caperetur, ob idque exemplo Caroli Octaui maiora concuperet, faueret eius cœptis Fortuna, ut demum per partes Italia omnis, uti nunquàm publico iuncta conſilio, ſeruire cogeretur. His de cauſis pontifex Iulianum fratrem pontificii exercitus imperatorem appellat: ei de manu, ſolenni adiecta precatione, uexillum & ſceptrum tradit, & ab Vrbe in Galliam Ciſalpinam maturare iubet. Sequebãtur eum utriuſque factionis Romani proceres & promiſcue ex omni fermè Italiæ regione militaribus factis illuſtres. Nequaquàm enim apud hominem ſummæ æquitatis ullum in honore erat factionis nomen, quum ea pernicioſæ inſaniæ ſtudia execrari damnareque eſſet ſolitus, adeo ut ſpectata tantum uirtus in omni ducum & militum genere, præmiis & laude digna cenſeretur. Fuêre qui exiſtimarent Iulianum, quod Etruſcarum rerum principatum Laurentio fratris filio facile conceſsiſſet, uehementer aſpirare ad Mediolanenſe imperium, uel ob id maximè, quoniam Maximilianus Sfortia paulò mente commotior, dum fœdo amictu, illotoque ore inſaniæ morbum præferret, paterno imperio indignus putabatur. Id facile ſe aſſequi poſſe ſperabat Iulianus: Nam Heluetii, in quorum tutela erat Maximilianus, multo auro, adiecta præſertim authoritate pontificis, corrumpi poſſe uidebantur, & Franciſcum regem, ſi primos eius impetus egregie ſuſtineret, facile per conditiones conceſſurum apparebat, quod armis re

cuperare nequiuiſſet, ei preſertim, cui matris ipſius ſoror nuper in matrimonium eſſet collocata. Nec Carolus Allobrogum princeps ulli occaſioni in eam rem multis de cauſis erat defuturus. Veneti quoque, modo Cremona in ſocietatis & belli præmium eis obueniret, exiſtimari poterant egregie conquieturi, utpote qui nouum & inſititium accolam habere mallent, quàm præpotentem & flagrantis ingenii regem, cuius amicitia ab leui momento planè fragilis, recenti exemplo Ludouici ſingulare incommodum afferre poſſe uideretur. Ad hæc etiam conſilia Cardonius Hiſpanus imperator egregiam uoluntatem atque opem attuliſſet, nam uir ſuopte ingenio perhumanus & facilis, ac ubi præmia proferrentur, enixe officioſus, Leoni ingentia pollicenti præſtantique haud dubie erat obſecuturus: eadem Octauiano Liguri placitura intelligebant, uti præcipuo Sfortianorum hoſti, & Iuliano uetere amicitia coniuncto: ſed dum hæc expenſa & deliberata initis rationibus explicantur, illudente Fortuna Iulianus febre non tam ualida, quàm pertinaci, ſed quæ ei demum ſuprema extitit, Florentiæ corripitur, eo decumbente exigua cum ſpe maturæ certæque ſalutis, imperium militare ad Laurentium transfertur. Is tum Placentiæ caſtra habebat, & in proximo urbi pago Cardonius è Venetia accitus exercitum continebat. Interim Proſper, in quo ſumma erat authoritas gerendi belli, cum equitatu ualido ac Heluetiis legionibus ad Alpes contendit. Nam perſuaſum habebant, præcludi poſſe clauſtra Alpium ſi Coctiis & Pœninis ſaltibus inſeſsis, æquiores tranſitus occuparent. Sed Franciſcus, authore ducéque Triuultio, qui aſsidue per id tempus omnes aditus per inacceſſas montium crepidines fuerat contemplatus, inuſitatum iter currulibus tormentis aperuit, ad dextram inter maritimas & Coctias Alpes, per imas ualles Argentarii fluminis inſinuando agmina, atque euadendo in præruptos uertices excelſiſsimorum montium, adeò ut tormenta ſæpe ductariis prætentis funibus ſuſpenſa per trocleas, legionum manibus traducerentur, quum profundiſsimæ ualles intercíderent, nec tantæ molis apparatus iugis aut militum humeris educi poſſet, quinque dierum labore per hæc itinera plena rerum omnium difficultatibus, nullibi tamen præpediente niue (nam Auguſto menſe liquata erat) deceptis Heluetiis in Italiam eſt peruentum, eo lætiore laboris atque periculi exitu, quòd dum inacceſſos ſaltus uiis penſilibus ad latera cautium exaggeratis ad iter patefaciunt, Palicia cum quatuor alis equitum ad diſtinendos fallendoſque hoſtes, ſuperiora Peroſæ montis iuga, ductantibus Alpinis agreſtibus tranſgreſſus, Poſperum columnam inopinato aduentu oppreſsit. Erat is Villa franchæ in oppido, profectioni intentus, ut eodem die cum Heluetiis iungeretur. Capto autem ab hoſtibus tantæ opinionis duce, nihil idcirco Heluetii animos demiſerunt, regreſsique Mediolanum authore Matheo Sedunenſe cardinale, iurarunt ſe quum primum hoſtis Gallus appropinquaret, regia caſtra aggreſſuros, ut de poſſeſsione Mediolanenſis

imperii

imperii aperto in campo & uera uirtute dimicarent. Franciſcus Proſpero benigne & comiter appellato, atque eo ſub cuſtodia in Galliam tranſmiſſo, ad quintum lapidem à Mediolano Laudenſi uia caſtra muniuit, ut inde Liuianum cum exercitu Veneto commodiſsime exciperet, ac ſubinde expeditum & uacuum ab omni metu iter Comenſi uia redituro domum Heluetio præberetur. Erat Placentiæ cum pontificio exercitu Laurentius Medices, & in proximo ad Trebiam Cardonius, Hiſpanorum caſtra habebat, inter ambiguas deliberationes admodum ſuſpenſi atque inter ſe contendentes, qui nam primi ponte Padum tranſire deberent, nam utriſque ſuſpecta erat Heluetiorum fides: ſiquidem Albertus Petra dux nobilis, ut credi par erat, Gallica pecunia corruptus, cum multis Veragrorum Sedunorumque cohortibus domum abierat, adeò ut qui Mediolani erant in fide, nutare & diſſentire in conſiliis nunciarentur. Interceptus quoque cum pontificiis literis Cynthius Tiburs, qui ad regem properabat, dum Hiſpani equites Padi ripam obſeruarent, Laurentium Cardonio ſuſpectum reddiderat, quaſi Leonis ſtudia magna ex parte refrixiſſent, quum Proſper imperator captus partium ſpes uehementiſsime debilitaſſet. Legatos quoque Florentinos natura Gallicis rebus ſtudere cogebat: ii iuuenem circunſiſtebant, ſuadebantque ne ſe temere infidis barbaris committere uellet, ſed in tuto alienæ inſaniæ exitum ſpectaret: non eſſe eò progrediendum, unde nullus omnino regreſſus ſine periculoſiſsimi prælii alea præberetur: ſatis enim recte ipſum omnia facturum, ſi cunctando Leoni aliquem ad regis amicitiam receptum relinqueret: Id uerò in omnem belli caſum facile poſſe impetrari: ſi rex iam plane uictor, tantis Ligurum Venetorumque auxiliis adiutus, nulla ulterius acerbiore iniuria læderetur. Iam enim ex pontificiis Mutius Columna & Ludouicus Petilianus cum aliquot utriuſque armaturæ equitum turmis ad Heluetios miſsi fuerant, Iacobuſque Gambara Leonis legatus cum pecunia Mediolani aderat, mirifica uoluntate Heluetiis Sfortianoque nomini deditus. Vnus uerò Gorius fide & prudentia inſignis fruſtra iuuenem eſt adhortatus, ut præclariſsimæ occaſioni in ſumma ſpe ingentis uictoriæ deeſſe nollet: neque enim de euentu dubitandum ſi duo in unum ſincera fide coniuncti exercitus, ad inuicti roboris ſummæque uirtutis gentem è propenſiſsima & copioſiſsima urbe hoſtibus imminentem auxilio ire maturarent. Ipſi enim tantæ indolis iuueni, poſtquàm effectus eſſet imperator, non iam fortunis, ſed gloria & laude opus eſſe, non enim grauiſsimi muneris nomen inanibus titulis, ſed ueræ uirtutis operibus ſubſtentari, proinde uanis uel ſuſpitionis uel timoris offendiculis animum liberaret: præſtaret Leoni ſibique dignam Italico duce operam, memoriaque teneret Mediceos Florentia pulſos Gallorum armis, ſeque imprimis infantem puerum, perpetuis ab ea gente in iuriis acceptis, decem & octo annos exulaſſe: cæterum præter Florentinos legatos, Vrſini duces, quos ſibi Laurentius deſpectis Columniis aſci

uerat,quicquid generoſi ſpiritus ad præclare audendum in iuuene eluce bat, magnis rerum omnium propoſitis difficultatibus facile reſtingue- bant. Interim Heluetii, tametſi diuerſis inter ſe ſtudiis in partes ſcinde - bantur,Sedunenſis tamen cardinalis flagrantiſsimis cõcionibus incitati, ad tuendam publicæ dignitatis exiſtimationem prælio decertare ſtatue- runt. Nec mora inclinante Sole Romana porta erumpunt,prima Gallo rum agmina profligant, non foſſa, non munitione,non deniq́ue tormen torum, quæ in frontem directa erant, periculo deterrentur, quin in ca ſtra perrumpant.Is impetus uti repentinus nec expectatus, ſicuti primas Gallorum acies oppreſsit, ita medias ultimaſq́ue atque ipſum maximè regem ad arma exciuit.Dimicatum eſt in multam noctem nullo ordine, quum inopinati hoſtes & nox ipſa conturbatis caſtris omnem conſilii & diſciplinæ rationem penitus eriperent: Adeo ut Heluetii felici audacia progreſsi, ſtrato equitatu, nobiliſsimisq́ue ducibus aliquot interfectis, ipſoq́ue etiam Franciſco rege, qui impigre perturbatam ſuorum aciem reparare contenderat, multis haſtarum ictibus pene oppreſſo, intra ca ſtra hoſtium conſiſtere quieſcereq́ue minime dubitarint. Itaque, ueluti impetratis utrinq́ue indiciis (quas laſsitudo vulneraq́ue & ab denſo pul uere enata ſitis attulerant) ab armis temperatum, donec oriens Luna, certis ictibus lucem adferret. Eo ſpatio Roſtius Heluetiorum dux ſum mus,quòd is Tigurini Pagi erat Magiſter, & Sedunẽſis cohortator egre gius, aduecto ab urbe commeatu, largiſsime ſuos recrearunt, terribili- q́ue buccinæ ſigno ſilentibus timpanis renouandi prælii ſignum dede - runt. Nec regi abolendæ ignominiæ auido & per ſe impigro bellatori, quanquàm acerbiſsimo pugnæ diſcrimine perculſo, animus conſilium- q́ue defuit: per idoneos nanque duces circunductis coaptatiſq́ue tor - mentis, ordinibuſq́ue Germanorum & Vaſconum intra foſſas conſtitu tis, ac expanſo in recuruas alas equitatu ita irruentes hoſtes eſt comple- xus, ut illi temere atque inſolenter congreſsi,partim confixi Vaſconum ſagittis, partim tormentorum pilis diſcerpti, inuadente etiam confertiſ ſimo equitatu,à fronte & à lateribus ſternerentur. Peropportune etiam eorum terga cæcidit Liuianus,qui cum expedita parte Veneti exercitus adcurrerat, compulſaſq́ue in uillam cohortes duas,coniectiſq́ue in eam facibus, ferè integras concremarat. Tum Roſtius, aperiente ſuorum cladem non dubia luce, quam Sol occidente Luna ſtatim inuexerat,re- ceptui canere cœpit, ne uniuerſus exercitus abſque ulla ſpe uictoriæ de leretur, tantaq́ue conſtantia conglobari ordines, & uerti ſigna iuſsit, ut faucii & continenti quindecim horarum labore fatigati, tormenta quæ ipſi Mediolano adduxerant, ne inſolitum dedecus admitteretur, hume ris reportarent: nec quiſquam hoſtium pedites ſub ſignis abeuntes eſt perſecutus: Admirabili etenim fortitudine & patientia per æqua pari - ter ac iniqua depugnarant, ut nequaquàm laceſſendi uiderentur: teme- ritatem enim uirtus æquauit, quando (uti præclare ſpectatum eſt) ne -

mo

mo ferociam animi uel inclinata prælii fortuna prorſus amiſerit. Cecidêre ſupra ſeptem milia Heluetiorum, & ex his centurionum ſigniferorumque promptiſsimi. Næc inulta Gallis uictoria ceſsit: Nam Franciſcus Caroli Borbonii frater, & Himbercurtius, Itemq. Sanſerrius, & Tala montius ipſius Tramulii filius, & Buſsiuius Moiusque domeſticæ regiæ turmæ uexillifer primo prælio ceciderunt. Poſtridie Heluetii uix ſe prælio uictos fatentes, in area, quæ eſt ante arcem ampliſsima, in concionem progreſsi, ſuadente Roſtio, Comenſi uia domũ abierunt, atque ita Franciſcus dedentibus ſe ciuibus Mediolano eſt potitus. Nec multo poſt Maximilianus Sfortia, per ſe etiam ob conceptum ab atrabile morbũ mente commotus, in ea rerum iniquitate animum deſpondit, ceſsitque per tabulas paterni imperii iuribus, parum nobili & Sfortiano nomine indigna conditione, pactus ſcilicet, quaſi alibi deſperatis uel ad deformem uitæ habitum mediocribus alimentis, ut in Gallia Tranſalpina luculẽter aleretur. At Leo pontifex, qui ad nuncium primæ pugnæ, in qua ex inermium maximè Gallorum fuga, regiorúmque caſtrorum tumultuoſiſsima conturbatione, uictor Heluetius erat renunciatus, uultu ſermoneque non dubiam animi lætitiam expreſſerat, ad conuerſam demum famam de Heluetiorum clade, diſsimulato dolore uultum compoſuit, adeo ut non inepte riſum palam accerſeret plurimum, iocatus in Heluetios prætorianos, qui ad primum uictoriæ nuntium exultantes, præpropera gratulatione legati Mediolanenſis cellam uinariam uno epulo perquàm hilariter hauſiſsent. Cæterum quum Gallica arma plurimum formidaret, parêre præſenti fortunæ & cum uictore amicitiam inire conſtituit. Audiebat enim regem iuuenem ab excelſo ingenio bellicæ laudis appetentem, inſigníque ea victoria & Ligurum Venetorumq. ſocietate ac auxiliis ſubnixum, omnium ſuorum & Liuiani maxime hortatu concitari ad promouenda arma. Dictitabant enim eum cuncta quæ concupiſſet facillime conſecuturum, & quas uellet impoſiturum leges Italiæ principibus, ſi perterritis omnibus uictoria uti uellet, traiecto imprimis Pado Placentiam Parmámque repeteret, Hiſpanos abeuntes à põtificiísque diſiunctos perſequeretur, eos facile in itinere opprimi poſſe, ab immani auaritia colonis omnibus inuiſos, quibus deletis Neapolitanos adueteris atque legitimi imperii nomen, infeſtæ gentis ſublata tyrannide, redituros. His de cauſis pontifex per Ludouicum Canoſium legatum pacem petiit, amicitiámque obtulit, iniecta ſpe ineundi fœderis, ita ut iudicaret urbes mature reſtituendas, ſi aliter pax impetrari minime potuiſſet: Nolebat enim ui Gallica armorumque impetu ſibi eripi Parmam atque Placentiam, quas præſidio tueri commode nequiret, ne ſemel cepto bello Rhegium etiam Mutináque ac demum ipſa Bononia in idem belli diſcrimen periculoſa contentione traherentur. Nam Bentiuoli exules amicorum & clientium ſtudio ſæpius euocati, & Alfonſus Ferrariæ princeps diligenter in eam maxime curam excubabant, ut ſuas

urbes aliqua noui belli exorta occaſione recuperarẽt. Prouidebat etiam pontifex ſumma prudentia res Etruſcas non mediocre periculum aditu ras, ſi tranſeunte Padum armato rege, Hiſpanos de ſe Mediceáque domo benemeritos ab infenſiſsimis hoſtibus cædi pateretur: non ignarus à Florentinis Gallicum nomen impenſe coli, qui nihil magis tacito quodam uniuerſæ ciuitatis uoto peroptarent, quàm Italiam conturbari Gallorum armis, ut eorum beneficio, ſicuti antea feciſſent, occaſionem recuperandæ libertatis arriperent. Itaque pontifex ut animum grauiſsimi periculi metu liberaret, neceſsitati ceſsit, maturéque magiſtratus decedere urbibus iuſsit, ut nequaquam eas de manu tradidiſſe, ſed deditionis arbitrium ipſarum ciuibus reliquiſſe uideretur, non obſcure diiudicans eam infamiæ notam, quam tum ſummo cum dolore animi ſubibat, aliquando in meliore rerum fortuna poſſe reſarciri, ſi uim imminentis tempeſtatis non omnino oppreſſus effugiſſet. Nec multo poſt depoſcente colloquium Franciſco, pontifex brumali tempore Bononiam eſt profectus, eoque etiam biduo poſt ipſe Franciſcus uenit cum octomilibus equitum, ornatiſsimis omnium ferè principum & liberarum ciuitatum legationibus comitatus, rex ipſe præcellenti corporis atque oris ſpecie conſpicuus & triumphali laude inſignis, non oculos modo, ſed omnium etiam ſtudia in ſe conuertit. Neque Leo uel naturæ ſuæ uel officio ulla in parte ſplendoris & benignæ manſuetudinis deeſſe eſt uiſus. Vrbsque ipſa rerum omnium copiis refertiſsima utríque aulæ facile ſuffecit, cum Galli proceres cum ſacerdotibus conuiuiorum luxu, ornatusque elegantia diſpari uarietate contenderent. In ſumma totius colloquii poſtulabat rex Gallus, ut pontifex arctiore ſibi fœdere iungeretur ad depellendos Italia Hiſpanos, quando iura Neapolitani regni ad ipſum maximè pertinerẽt, ita ut ampliſſimas itidem offerret cõditiones. At Leo, qui hiſdem de cauſis quas ſupra retulimus, Gallum maximæ partis Italiæ imperio potiri nolebat, ne ipſe demum inter miſeras promiſſorum ludificationes forte deceptus atque ſubactus ſeruire cogeretur, omnia alia petenti regi liberali uoluntate concedere, hoc uerò unũ impreſens ſe facturũ negare, non dubio tamen oris nutu propenſum ad id animum polliceri; Quoniam tum non eſſet ſibi integrum diſcedere ab amicitia Ferdinandi regis, cum quo in certum tempus publico fœdere eſſet coniunctus: quod ſi ſexdecim fermè menſes effluxiſſent, finiri eius fœderis ſpatium, ac tum ſibi fore arbitrium expeditæ libertatis ad commutanda conſilia ineundaque noua fœdera, quæ ſine ignominia uiolatæ fidei opportune percuti poſſe uiderentur. Itaque Franciſcus excluſus etiam anni tempore, quòd pluuii brumales dies inciderant, quum in ſententiam gerendi belli Leonem pertrahere nequiuiſset, honorem purpurei galeri Hadriano Boiſiuio, qui Arcturi regiæ familiæ magiſtri frater erat, facile impetrauit: atque inde Mediolanum, & mox in Galliam eſt reuerſus. Rediit & Leo ſubinde Florentiam, ubi læto ad id populo complura liberalitatis

atque munificentiæ monumenta publicè priuatímque reliquit. Inde uere nouo Romam eſt profectus. Nec multo poſt Iulianus frater diuturnis atque tabificis febribus conflctatus Florentiæ moritur, benigno elegantíque ingenio uir, modeſtia imprimis & ciuili comitate Florentinis omnibus longe gratiſsimus. Hic nullam ex Filiberta uxore, Franciſci regis amita prolem ſuſcepit: ſteterant Leoni eæ nuptiæ centum & quinquaginta milibus aureis, quum eam ſine dote penitus nobilitandæ familiæ cauſa plurimum appetiſſet. Nec multo pòſt ea cum omni mundo muliebri prætioſiſsimísque inſignium gemmarum monilibus in Galliam ad Ludouicam ſororem tranſmiſſa eſt. Mortuo Iuliano Laurentius fratris filius Etruſcarum rerum imperium ſuſcepit, ita conſtituta republica, quæ amiciſsimorum ciuium induſtria regebatur, ut ſumma conſiliorum omnium è ſenatu ad eum unum omnino reſpicerent. Aderat Laurentio mater Alfonſina, uirili certe prudentia, ſed auara & nunquàm ſine querela mulier. Hæc efferre filium, augere item opibus acceſsioneque maxime alieni principatus cæca ambitione cupiebat. Iungebatur finibus Etruriæ Franciſcus Maria Vrbinas regulus è Rouerea familia in Feltriam adoptatus, quibusdam de cauſis ſuſpectus & inuiſus pontifici, graues enim aliquot offenſiones interceſſerant: Nam eo tempore quo Feltrius ſub Iulio patruo pontificiis copiis Bononiæ præerat, Etruſcam expeditionem ſuſcipientibus Mediceis, eos neque milite neque tormentis neque ullo denique alacri ſtudio uel ſuppliciter orantes adiuuit, quòd his rebus ſibi opus eſſe diceret, adeò ut nequaquàm occulte Soderino ſtudere uidere tur. Proxime uerò ingruente in Italiam Franciſco rege, quum legatum Iuliano ſe iturum accepta pecunia promiſiſset, eo demum febre apud Florentiam in itinere correpto, totum id munus recuſauit: neque equi tatum quem ductabat ampliſsimum, in Galliam Ciſalpinam miſit, quũ diceret non eſſe æquum, ut Laurẽtio imperito elatoque iuueni parẽret, quando ipſe antea imperatoris titulos eſſet conſecutus, demiſiſſe enim ſe libenter cum aliqua dignitatis exiſtimationisque iactura, ſed dediſſe id ueteri amicitiæ Iuliani, cum quo propter mite ingenium, facilemque naturam ſe imperium ex æquo partiturum ſperaſſet. Horatius quoque eius ſcriba ad famam regis bellum parantis in Galliam profectus ſub id tempus forte redierat. Quæ res non exiguam ſuſpicionem animo Leonis iniecerat, quòd timeret eum in medio belli apparatu à Gallis fuiſſe corruptum, quorum amicitiam atque ſtipendia ſuperiore tempore uel contra Iulium patruum appetiſſet: miſſo ſcilicet in Galliam ulteriorem Balthaſare Caſteleoni, ſub id fere tempus, quo ad Rhauennam eſt dimicatum, ut cum Ludouico rege certa annui ſtipendii conditione iungeretur: quo tempore etiam nec ſatis tutum iter præbuiſſet per Vrbinatium fines quibusdam pontificiis ducibus Rhauennam contendentibus, nec demum euadentes è funeſto prælio Hiſpanos ſatis benigne recepiſſet. Is erat inferendæ iniuriæ prætextus: Cæterum principatus Etruriæ fini-

timus, quo Laurentius honeſtari poſſet, uel pulſo inſonte domino quærebatur: tanta enim libido parandi imperii Alfonſinæ matris animum inuaſerat, ut Leo quanquàm infamiæ ac orientis inuidiæ metu ſollicitus, efflagitantium præces atque conuitia ſuſtinere non poſſet, expugnatúsq. manus daret. Peropportuna autem Iuliani mors omnes confidendi eius decreti inferendíque belli moras ſuſtulit: ſiquidem nihil ante à Leone impetrari potuerat, Iuliano impediente, & id facinus libera uoce deteſtante: erat enim Feltriæ domui uehementiſsime deditus, in qua ipſe diris exilii fluctibus iactatus, tanquàm in portu benignitatis atque munificentiæ aliquandiu cum Guidone principe quieuiſſet. Itaque Laurentius miſſo cum copiis Rentio Cerite, Vrbino cæterisque eius ditionis oppidis atque urbibus ſine uulnere eſt potitus. Ipſe uerò Feltrius uti nimis opportunus iniuriæ (quod Piceni Vmbriæq. finibus incluſus deſertúsq. ab omnibus erat) cum uxore & liberis, ne benemeritas de ſe urbes hoſti diripiendas euaſtandasque præberet, mature excedens Mantuam ſe recepit. Pulſo Feltrio, nequaquàm ſine graui inuidia, Borgheſium etiam fratremque eius Alfonſum cardinalem Pandulfi Petrucii Senenſium tyranni filios domo expulit, translato ciuitatis imperio ad Raphaëlem Petrucium, qui quondam exilii comes extitiſſet. Is tum arci Romanæ præerat, uir ſtabili fide, ſed ignarus literarum, & probris omnibus coopertus. Id factum quanquàm beneficientiæ laudem ferre uideretur, quòd Leo ueteris amici officia nequaquàm memoria depoſuiſſet: ipſum tamẽ ingrati animi nota conſperſit; quoniam in comitiis Alfonſus mirificus ſuffragator uni Leoni candidato ſemper affuerat. Eiuſdem anni uere primo, Heluetii qui nil de priſtina animorum ferocia, uel inſigni ad Melennianum accepta clade remiſerant, cum Maximiliano Cæſare fœdus percuſſerunt, ut conſociatis uiribus Italia Gallos exturbarẽt. Enimuero Cæſar Mediolanenſe imperium Auguſtali ſuo iure depoſcebat, ob id ualidas Germanorum copias exciuerat. Studebantque Cæſari Sigiſmundus & Vladislaus Sarmatiæ Pannoniæque reges, cum quibus celeberrimo conuentu habito apud Viennam Noricam ſuperiore æſtate fuerat collocutus. Ipſi Heluetii magnopere Gallis infenſi, ad uindicandos fratres & cognatos, qui recenti prælio cecidiſſent, triginta cohortes Cæſari miſerant. His cognitis pontifex Aegidiũ cardinalem, qui ſingulari eloquentia ac omnibus Chriſtianæ pietatis præceptis inſtructus Cæſarem retardaret atque molliret, in Germaniam miſit. Sed Cæſar omnibus ad bellũ intentis, audiendis de pace legationibus minime uacandum exiſtimans, Veronam eſt profectus. At Galli Triuultio atque Borbonio ducibus, quãtas maximè copias poſſunt ex proximis urbibus, deductas, Mediolani cogunt, accerſuntur ab certis pagis Heluetiorum & Veragrorum (ii etenim Gallis fauebant) auxilia plurium cohortium, quæ cohortante & conſcribente Alberto Petra, per Verbanum lacum ducerentur. Orant etiam pontificem, ut iure recentis amicitiæ auxilia ſuppeditet. Ipſi uerò

Veneti

Veneti Gallis non deſunt,mittiturque Mediolanum cum iuſto exercitu Andreas Grittus legatus:cui mortuo Liuiano,minores duces parebant. Decernitur in cõſilio defendendam eſſe urbem,imperii caput;abſtinendumque à pugna, quum ſe omnibus rebus hoſti impares eſſe iudicarẽt: erat enim in ipſo Cæſaris nomine ſumma exiſtimatio cum bellicæ laudis,tum æquitatis atque iuſtitiæ:aderantque illi copiæ numero uirtutéq. maxime formidandæ,ſequebantur etiam aliquot exulum manus appellandis ciuibus monſtrandíſq. itineribus opportunæ,& Marcus item Antonius Columna cum Italicorum equitum alis. Quibus Romam nuntiatis pontifex ne eius belli cauſæ intempeſtiue miſceretur,auxilia ſuppreſſit,ueluti diffidens Gallicis rebus,& ex tuto Germanici impetu euẽtum expectans,miſitque Bibiennam legatum ad Ciſpadanas urbes:ut ſi opus foret,Cæſaris uictoriæ potius quàm Gallorum infelicitati adeſſet. Sed mox incredibili rerum commutatione ſubſecuta, factum eſt ut Cæſaris arma, quæ maxime repentinum uehementemque impetum habuerant, in medio conatu deficerent.Exercitu enim Verona educto, quum Aſulam Cremonenſium ignobile oppidum admotis etiam tormentis fruſtra oppugnaſſet, & dignitatis aliquid amiſiſſe eſt uiſus,et quod pluris interfuit, imparatis adhuc ſeſe confirmandi muniendique ſpatium dedit. Triuultius enim atque Borbonius, eiectis aut cuſtodiæ traditis Gibellinæ factionis principibus, ne quid inteſtini tumultus oriretur,egregie cauerant,adhortanteque Gritto Veneto,neceſſaria,ſed miſerabili ratione ſuburbanæ ædificia incenderant, ne his ad ponenda caſtra uteretur Cæſar,& propius & tutius tegentibus tectis muro ſuccederet.Cæſar ab Aſula Olium Abduamque tranſgreſſus ad tertium lapidem Lambrato in uico poſuit caſtra:caduceatoresque ad portas præmiſit, qui omnia hoſtilia Gallis denuntiarent,ni properè Mediolano excederent,ciuibus uerò ſeſe dedentibus omnia ſalua & læta pollicerẽtur.Hos armata Gallorum ſtatio contempſit & excluſit, nec populus ex Cæſaris aduentu ſtudium paulo alacrius oſtendit,quoniam uulgatum erat nequaquàm Franciſco Sfortiæ,cuius eſſet uere legitimum,Mediolani imperium quæri;ſed Ferdinando Auſtrio, qui ipſius Maximiliani Cæſaris nepos eſſet, & Caroli frater.Hic paucis ante diebus Ferdinando Hiſpaniæ rege auo materno uita functo, Hiſpaniæ,Neapolis, atque Siciliæ regna hæreditate fuerat conſecutus:Ita ut nemo Italorum eſſet, qui non ad Sfortianum nomen uoluntate deferretur:& non magis Germanos ac Hiſpanos, quàm Gallos,ſi id imperium arriperent,timendos exiſtimaret.Has non inanes popularium & procerum animis ſuſpiciones iniecerat ipſe Triuultius ſæpe ad ciues opportune concionatus,uti erat apud eos ſumma authoritate uirtutis atque prudentiæ militaris.At dum Cæſar perplexa ſpe,quòd ad primam ſui aduentus famam non eſſet receptus, de oppugnanda urbe conſilium init.Interim aduentare cum auxiliis Albertus Petra nunciatur. Ea res Cæſarem ſuſpicacis ingenii hominem perturbat: ueterem

etenim Heluetiæ gentis erga ſe odiorum memoriàm,& Ludouici Sfor tiæ calamitatem in animum inducit: hæc omnia eo prudentius cauenda arbitratur,quoniam ſub Alberti Petræ aduentum, Iacobus Staflius Heluetiorum ducũ princeps ſtipendia poſtulare arroganti habito oratione cœperat,quaſi ſeditioni materiam quæreret nõ obſcura arte exercendæ perfidiæ,ni pecunia(cuius Cæſar erat egentiſsimus)extemplo ſingulis cohortibus ſolueretur. Accidítque per eos dies,Fortuna ſpes Cæſaris eludente, ut pecuniam, quæ è Germania in eius caſtra deferebatur, Hiſpani,qui in præſidio Brixiæ relicti erant,in itinere uti ſibi debitam latronũ more diriperent. Quibus de cauſis Cæſar,ne coëuntibus in unum perfidiæ decretum Staflio & Petra Gallis traderetur,uix cũ paucis cõmunicato conſilio retraxit caſtra, & per tranſuerſos calles cum turma equitum intra Tridentinas Alpes ſe recepit. Erat enim Cæſar ſicuti natura ſtrenuus & maximè liberalis,ita in conſiliis diuerſus & parũ conſtans: adeò ut in tota gerendi belli ratione,ſi primæ ſpes eum deficerent,in ſecundis minime conſiſteret, & reliquas omnino repudiandas arbitraretur. Inſubria eo belli motu prope ſine uulnere liberata,Franciſcus incredibili lætitia eſt affectus, quòd Cæſarem ſummæ opinionis imperatorem ualidiſsimis inſtructũ copiis ita per legatos ſuſtinuiſſet, ut ille omni priſtina exiſtimatione ſpoliatus diſceſſiſſe diceretur. Grauiſsime uerò tulit,atque id non omnino diſſimulanter,quòd Leo pontifex, uti ipſe ſperauerat,auxilia minime trãſmiſiſſet,quaſi ille obſeruata fortuna ad eum, qui uictor euaderet,inclinaturus eſſe crederetur. Quæ res non obſcuro initio magna detrimenta Leoni peperit,ita ut omnem in eo poſtea uitæ iucunditatem,perpetua malorum ſerie inuecta perturbarit. Nec multo poſt Franciſcus poſtulantibus Venetis grato animo eis Odettum Lotrechium attribuit cum ualidis auxiliis magnóque apparatu tormentorum. Is cõiuncto ſibi cum Venetis copiis Andrea Gritto,Brixiam oppugnare adortus,inſigni cum laude Hiſpanos ad deditionem compulit. Recepta Brixia exercitus Veronam eſt ductus. Ea oppugnatio ſummas habuit difficultates, defendente urbem longe fortiſsimè M. Antonio Columna, qui lectiſsimas Germanorum ac Hiſpanorum cohortes, Italorúmque & Græcorum alas dimiſſo reliquo exercitu ad urbis præſidium retinuerat. Sed is oppugnationis exitus fuit,ut Verona,quæ ui capi non poterat, numerata Cæſari pecunia reciperetur. Ita Veneti poſt octauum belli annum adiuuante Gallo,qui antea acerrimus hoſtis extitiſſet, ſuas urbes recuperarunt. Tum uerò tres exercitus cõfecta pace dimiſsi. Horũ milites omnis generis & maxime Hiſpanos Franciſcus Maria Feltrius exiguo oblato ſtipendio cõduxit,eo conſilio ut Vrbinũ repeteret, quum Laurẽtius omnibus rebus imparatus nequaquàm ſatis mature occurſurus eſſe uideretur: quãdo nihil minus putaret,quàm media hieme bellum ſe geſturum aduerſus eum, quem omnibus fortunis expoliatum Mantuæ exulantem, & deſertum à regibus toto eo anno magnopere

contem

contempſiſſet. Affuêre Feltrio imprimis ſupra quinque milia Hiſpanorum peditum, qui Maldonato uiro impigro & duci maxime ueterano parebant: diuerſarum quoque nationum alæ equitum ſpectatæ uirtutis ſequebantur. Præerat Hiſpanis Gaioſius: Belgis Zucharus Heduus: Græcis autem & Epirotis Andreas Bua,& Conſtantinus Boccalus:inter Italos eminebat Federicus Gonzaga cognomento Bozolus,quem paulò antè Iulianus maximi uexilli honore dignum fecerat: ſed is demum ſuccedente in imperio copiarum Laurentio, fuerat repudiatus, ita ut alienato animo acceptam iniuriam ulciſci properaret. Feltrius itinere ſumma celeritate confecto,ubi primum intra ditionis fines ſeſe oſtendit, incredibili populorum omnium alacritate ſuſcipitur. Iulius Vitellius cum Vrbini tria milia peditum exactis ciuibus coëgiſſet,defenſionemque pararet, concurrentibus ad arma fœminis & paucis ſenibus,Feltrianoque milite ad portas clamorem extollente,fœdiſsime ſeſe atque urbem dedidit, Laurentianis militibus uita impetrata, ita ut exuti armis extra fines pellerentur. Feltrius Vrbino potitus, & paratis tormentis, quæ Iulius Vitellius in foſſas præcipitarat, bellum circuntulit, multaque oppida deiectis præſidiis in poteſtatem redegit. Hæc ubi Romæ ſunt nunciata, Laurentius ad bellum proficiſcitur, expedit pecuniam Leo pontifex,cohortes ubique conſcribuntur,gerendi belli ſumma committitur Rentio Ceriti,adiunctis Vitellio Tifernate Guidoneque Rangono.Ii tanta infelicitate frequentibus affecti detrimentis id bellum geſſerunt, ut fatali quadam imperitia ac ignauia,ubi conſerendæ manus eſſent,uti erant magna ex parte tirones ſubitariique milites, à paucis ueteranis facile uincerentur. Semel Laurentio oblata eſt occaſio rei benegerendæ,quum Feltrio Metaurum amnem tranſeunte in aduerſa ripa opportune inſtructa acie conſtitiſſet. Erant ei ſexdecim milia peditum,in queis aliquot erant Vaſconum cohortes, itemque uexilla quatuor Germanorum & Hiſpanorum, quos Romæ conſcripſerant. Aderat Paulus Baleonus cum auxiliaribus Peruſinis, aliquanto cæteris uſu militiæ uigoreque animi præſtantior, uerum in eo nequaquàm inſignis uigebat authoritas, quoniam Rentio atque Vitellio, quibus unis Medices ſe totum crediderat, ob ſimultates erat inuiſus. Aderant tormenta ænea in caſtris ſupra uiginti, quibus copiis in uado fluminis tranſeuntes ſuperare atque proterere facile potuiſſet, niſi Rentius atque Vitellius (imperitia an metu incertum, optima tamen fide) non in aduerſos hoſtes, ſed in collem proximum ſignа ferri continuo iuſsiſſent, quaſi opportuniorem locum caſtris capturi,unde demum tranſeunti hoſti per expeditos equites magna detrimenta inferrentur. Id conſilium tanquàm inſcitiæ aut ignauiæ plenum Feltrius, qui pedes amnem conferta legione tranſierat, plurimum irriſit, indeque uti plane uictor recipiendis oppidis oppugnandiſque præſidiis totam eam regionem eſt peruagatus. Nec multo poſt Laurentius, dum oppugnaret Mõdulfum oppidum, ſclopetto caput ictus extremum uitæ

periculum adiit. Cæteri duces ipſo Anconam lectica delato, peſsimis artibus bellum gerere cœperunt, adeo ut multis transfugiis diſſolutáq. diſciplina milites paſsim ſigna deſererent, neque de uictoria conficiendique belli ratione, ſed de diripiendis caſtellis, deque omni prædæ genere cogitarent. Quibus de rebus dolore incenſus pontifex, quum ignominiam animo ferre non poſſet, à Carolo Hiſpanorum rege, ipſoque Franciſco auxilia petit Gaſparem prætorianæ cohortis præfectum ad Heluetios mercede conducendos mittit, copias ex Etruriæ delectu adauget, Hiſpanos duces, & ante alios Maldonatum per idoneos homines aggreditur, pollicendo ampliſsima præmia, ſi Feltrium deſeruiſſent.
Erat in exercitu Feltrii Carolus Baleonus Peruſia exul, quòd multis antè annis Pauli Baleoni fratrem patruumque & alios eius conſanguineos dira coniuratione inita trucidaſſet: hunc Feltrius reducendum exiſtimauit, ut ualidiſsimæ totius Vmbriæ urbis opibus, pulſis Caroli hoſtibus, uteretur. Sed dum ad Peruſiam promotis caſtris accedit, fit certior pleroſq. Hiſpanorum duces pontificiis largitionibus corrumpi, quæri tempus exercendæ perfidiæ, & ſibi non obſcure inſidias parari. Nam antè didicerat ab honorato Gaetano Minturnenſium traiecti regulo, qui Leoni affinitate erat coniunctus, percuſſorem ſibi ſummiſſum Cauillanum Hiſpanum equitum præfectum: ad has quoque ſuſpiciones acceſsit Hiſpanus uiator cum literis interceptus, quibus monebatur Maldonatus, ut ea quæ ſtatuerat, perficere maturaret: hortaretur conſilii ſocios, atque inde ingentia præmia ex liberalitate optimi principis expectaret. Feltrius tanto imminente periculo perturbatus, eorum, quos fideles putabat, animos explorat: quæritur à paucis perfidioſis hominibus proditionis exercitum tentari, ut flagitioſiſsima defectione ipſum deſerant atque hoſtibus prodant: hæc præclare conuinci literis, quas in concione eſſet prolaturus, ſi priſtinam fidem præſtare, iterare ſacramentum, ea infamia & nota perfidiæ fortiſsimam gentem uerique decoris auidam liberare uellent. Igitur centurionum & ſigniferorum fidiſsimo quoque ſeſe grauiter & ſumma cum iracundia perpurgante, comminantéque condignam pœnam his qui deliquiſſent, ſigno repente tympanis dato, armati coronam lato ambitu in caſtris efficiunt: in medium citatur Maldonatus. Nec mora, ipſe & Maccius, & Plaſola, Conſaluuſque Rius, & Suares Ruffus centuriones, literis conuicti, tumultuarioque ſucclamantis turbæ iudicio damnati crudeliſsime trucidantur. Ea res exercitum in fide magis ac magis Feltrio confirmauit, longiuſque omnium opinione bellum protraxit.

FINIS TERTII LIBRI.

VITAE LEONIS DECIMI, LIBER QVARTVS.

INTEREA Romæ Alfonſi Petrucii cardinalis ſceleſtum facinus inſano animo meditantis conſilia detegũtur. Seceſſerat is in Latinum agrum patria pulſus, uti antea memorauimus, quum in Vrbe eſſe nollet, & libero ore iuueniliq́ue impatientia, ueluti commota mente, quereretur ſe per ſummam iniuriam à Leone cum patria tum paterni etiam principatus poſſeſsione fuiſſe exturbatum: dum enim in Vrbe eſſet, molliſsima tantum uerba factis ipſis contraria retulerat, adeo ut inde grauiſsimo concepto odio, exitiali percitus inſania, Leonem tollere cogitaret. Fama eſt eum non ſemel cum occulto pugione, inſtructum omni impetu furoris in ſenatum ueniſſe, ut nullo protegente opportunum ictibus aggrederetur, interque tumultuantes & trepidos ſenatores erumpendo prætorianos falleret, Fertur etiam eum in uenatione incautius diuagantem, prætorianis paſsim diſperſis, adoriri uoluiſſe: quas omnes cogitationes propter inauditi ſceleris infamiam uitæq́ue periculum penitus abiecit. Itaque ad ſtruendas ſubtiliores inſidias conuerſus, Vercellium circunforaneum chirurgum, admirandis quibuſdam experimentis clarum, ſibiq́ue intima coniunctum familiaritate, maximis pollicitationibus perpulit, ut in necem pontificis operam præſtaret, ſi curandæ fiſtulæ, quæ illi in ima ſede nata erat, excluſo uetere medico, uocaretur, quando tum facile foret nihil uerentem linamentis uenenato medicamine intinctis abſq́ue ulla tanti ſceleris ſuſpicione protinus enecare. In hanc ſpem Alfonſus Vercellii peritiam atque felicitatem laudando, per Iulium Blancium cubicularium & cardinales gratia familiaritatéque ualentes aſsidue commendabat, iamq́ue exturbato uetere medico, locus Vercellio erat patefactus, niſi Leo cunctis aduerſantibus ſalutari quadam uerecundia, minime ſe nouo medico aperiendum eſſe iudicaſſet. Et per ſe quidem Vercellius homo erat impurus, crudelis, fallaciſsimuſque uerator, ſed qui ingenio expedito, & ſingulari digitorum argutia ſupra cæteros eius artis excelleret. Detegitur autem res intercepta epiſtola, quam ad Antonium Ninium ſcribam ſuum in Vrbe cõmorantem Alfonſus è Latio perſcribebat. Erat enim per eos dies fama edita in vulgus, Feltrium infeſto exercitu ab Vmbria Senas deflexurum, ut Lactantium Petrucium Suanenſem epiſcopum Alfonſi patruelem in patriam Raphaële expulſo reduceret, atque inde per agrum Florentinum euagaretur. Ea conſiliis Alfonſi agi pontifex exiſtimans, omnem curam & diligentiam his rebus cognoſcendis intenderat. Itaque Antonius ſcriba cum ſcriniis epiſtolarum capitur, ſubiectus quæſtioni, literas ignorabilibus ac arbitrariis notis conſcriptas teſſera prolata interpretari cogitur.

Vercellium qui tum erat Florentiæ ſpecie curandi Gallici morbi, quo Gorius reipublicæ negocii præfectus laborabat, uberrimo propoſito quæſtu diſtinent, obſeruant tamen hominem diſsimulanter, ne fugam arriperet, ſi periculum alicunde præſenſiſſet. Interim Leo per idoneos homines ſpem facit Alfonſo componendarum rerum, ueluti reuocato Raphaële ipſum certa conditione patriæ redditurus. Nec Alfonſus cupi ditate patriæ ac exilii tedio adductus, accepta fide, aduentum differt, admirantibus cunctis leuitatem incauti iuuenis, ac effuſe ridentibus. Itaque contemptis amicorum præcipuis, qui ne iret, ſuadebant, in exteriore Leonis cubiculo capitur, in arcemque deducitur. Compræhenditur & cum eo Saulius cardinalis, qui Alfonſum pecunia iuuerat, & cum eo de Vercellii opera, de futuriſque comitiis ambitioſius quàm par eſſet, conſociata uoluntate fuerat collocutus. Peruſco autem fiſci præfecto paracerbe quæſtionem habente, tormentis totius conſilii ueritas exprimitur. Aliquot etiam cardinales iracundiæ & decreti ſui participes nominat Alfonſus, quos uariis de cauſis in pontificem alieno animo eſſe, atque eius interitum expectare intelligebat: ad hos potiſsimum iniuriæ acceptæ querelas deferre erat ſolitus, vultuque ſæpe furoris pleno, ac immanibus uerbis tanquàm ingratum atque maleficum execrabatur: Iurabatque flagrantibus oculis ſe aliquando deſpecti & ſeruientis ſenatus liberatorem fore, ut pro iniquiſsimo pontifice alius mox ex eo ſeniorum globo ad rerum faſtigium eueheretur, qui ſuffragiorum & totius comitialis operæ gratiam liberali animi gratitudine eſſet relaturus.

Erant ii Raphaël Riarius, Franciſcus Soderinus, Hadrianus Cornetanus, & ipſe Saulius, qui iuuenem effrenate loquentem cum riſu & ioco caſtigabant, utpote qui eum ingenio parum conſtantem, ac uenationi amatoriiſq. leuitatibus deditum, tantum facinus nunquàm aggreſſurum rebantur: quanquàm ipſi animis ambitione atque odio corruptis, nihil magis expetere uiderentur, quàm ut ille inſania præceps id ſcelus ui aperta aut occultis inſidiis perpetraret. Riarius enim uetuſtate honoris ac opibus facile ſenatus princeps, proximis comitiis iuniorum fraude ſeniorumque ſocordia pontificatum ſibi ereptum fuiſſe exiſtimabat, ſeq. tum ampliſsimis fortunæ muneribus fretum, ſi pontifex ab humanis excederet, in ſummam imperii ſedem facile euaſurum arbitrabatur. Inſigni ſiquidem ædium magnificentia, epularum ſumptu, decore familiæ, & nobiliſsimo deducentium comitatu, quum ueras uirtutes cunctis adulantibus minus neceſſarias putaret, in ſe unum inanis populi ſtudia conuerterat. Soderinum recentes iniuriæ plurimum incitabant, quòd Petrus frater Mediceorum ui, ſummi magiſtratus honore deiectus & patria pulſus extitiſſet: Erat ei ingenium graue, perſpicax, optimiſque literis egregie excultum, ſed ſordidis auaritiæ maculis, & lubricæ fidei ſpectatis probris magnopere deturpatum. Hadrianus uerò nulla maleuolentia, ſed uana regnandi cupidine inductus Leonis mortem expectabat:

certam

certam enim ſpem adipiſcendi pontificatus conceperat ex oraculo fatidicæ mulieris, quæ quum pleraque iampridem interroganti de ſua & publica rerum fortuna exactiſsime prædixiſſet, conſtanter etiam affirmarat fore, ut Leoni immatura morte ſublato ſuccederet uir ſenex, nomine Hadrianus, obſcuro natus loco literarum ſtudiis inſignis, qui ſacros honores gradatim ſola nixus uirtute, ſine ulla maiorum commendatione meruiſſet: hæc omnia ſibi uni aperte congruere uidebantur. Nam Corneto infami Tuſcorum oræ oppido, familia tenui & prope ſordida ortus, uno bonarum literarum beneficio, ſingulas ſacrorum ordinum dignitates fuerat conſecutus. Neque vetulæ oraculum fidem fefellit: Nam Hadrianus ſenex Batauus egeni opificis filius, doctrina illuſtris, poſt Leonem prodigioſa felicitate pontificatum eſt adeptus. Saulio etiam mathematici complures, quæſtu in adulationem proni, ſupremum fortunæ faſtigium deſtinabant. Sed is quanquàm à Leone propter ſuauitatem morum, & elegantis uitæ modeſtiam inter familiariſsimos eſſet aſcitus, ſeſe tamen occulte à pontificis amicitia certis offenſionibus auerterat. Nam Leo initio pontificatus ſacerdotia, quæ ſui ſtudioſis & ſuffragatoribus ueluti de ſe benemeritis ex occaſione collaturum promiſiſſet, plerunque ſummis præcibus expugnatus, aut conſanguineis, aut nouis hominibus concedere cogebatur: ob id plerique cardinales, ea quæ pontifex liberaliter non dediſſet, inique ſibi erepta fuiſſe querebantur. In his intemperantior Saulius eſt inuentus, adeo ut in petitione Maſsilienſis ſacerdotii, Iulium Medicem cardinalem ſumma tum maximis in rebus authoritate potentem, indigne ſibi prælatum, neque eam iniuriam animo unquàm depoſiturum apud incertæ fidei amicos prædicaret. Igitur Vercellii, ſcribæque Antonii indiciis, qui diu torti cuncta fuerant confeſsi, Alfonſus in tormentis conuincitur: Saulius tortoris aſpectum uix ſuſtinet. eo modo tabulis totius quæſtionis ordine conſcriptis, Leo ſenatum cogit, Riarium ſellæ impoſitum in arcem deduci iubet: cæteris metu pallentibus, graui habita oratione queritur ſuam lenitatem, beneficentiam, comitatem acerbiſsimis iniuriis remunerari: & quod eſſet inauditum, parari ſibi nefaria crudelitate inſidias. ſceleſtique eius conſilii aliquos eſſe conſcios, qui in ſenatu eſſent, quibus ueniam ſincera fide eſſet daturus, ſi ſponte crimina faterentur. quod ſi pernegando id facere differrent, nequaquàm poſtea captis & conuictis ullum ueniæ locum futurum. Nec mora, Soderinus & Hadrianus ad tribunal accedunt, ſupplicesque ueniam impetrant, mulctantur tamen decem milibus aureis. Soderinus in Fundanum agrum libero exilio ſeceſsit, Hadrianus autem trepido ſuſpicacique ingenio uir, Leonis clementiæ diffidens, ab urbe meſſoris habitu profectus, uſque ad uitæ exitum nullo perſequente latebras mutauit. Riario ſaluti fuit ætatis honor, & ueteris inimicitiæ reſpectus, ne Leo patris vulnera patruiq. cædem, cui Riarius interfuerat, con ficto nouo crimine ulciſci uideretur: centum tamen milibus aureis mul

ctatus eſt, reſtituto pilei honore: ei ſeceſſus ad Neapolim, ubi demum interiit, liberaliter eſt permiſſus. At Alfonſus & Saulius damnati exutíque purpurei galeri dignitate, in ſubterraneos carceres tenebris ac odore tetro maxime horribiles ſeparatim detruduntur. De Vercellio autem Ac Antonio ſcriba acerbiſsime ſupplicium ſumptum, adeò ut curru per urbem circunducti, carptimque diſcerpti cãdentium forcipum morſibus, ac ad extremum ſtrangulati in fruſta ſecarentur. Ea ſeueritate pontifex magnum terrorem omnibus incuſſerat: plerique enim in decernenda pœna mitiorem ſententiam dixerant; nonnulli etiam liberius poſtulabant, ut quæſtioni atque iudicio reorum cardinalium ſenatorii ordinis duo iudices adhiberentur, quod indignum eſſet, uiros ſacratos, tanquàm nocturnos fures, præfecti rerum capitalium acerbitate atque ſæuitia uiolari: alii confingi ea crimina, falſóque damnari inſontes uiros, ut pecunia in ſumptus bellicos iniquiſsima ratione pararetur: Quoniam magis ac magis exardente in Vmbria Feltriano bello, Romæ atque Florentiæ ærariis penitus exhauſtis, pontifex contra naturam ſuam metu ſæuus, ac inopia rapax euaſiſſe diceretur: adeo ut nemo fere optimi beneficentiſsimíque pontificis uicem doleret, qui immanitate Alfonſi & cæterorum, qui nefaria ambitione præcipites inſanierant, perfidioſa taciturnitate penè oppreſſus extitiſſet. His de cauſis ira atque indignitate permotus, alio ſibi ſenatu opus eſſe iudicauit, ſi principem nequaquàm incautum contemptionéque ridiculum, ſed ſibi maxime ſapientem fortemque agere uellet. Itaque incredibili ac inuſitata liberalitate, uno atq. triginta cardinalibus ſenatum repleuit, patribus plane deſpectis, atque his contracto pallore muſſantibus. In his fuêre octo Romani, quorum princeps extitit Pompeius Columna, aliquot poſt annos ab immoderato ſtudio Cæſaris, & ob id patriæ excidio inſignis. Creatus eſt & ante alios Hadrianus è Batauia, qui Leoni ipſi in pontificatu ſucceſsit. Fuit autem is nouus uti maxime repentinus tot ſenatorum delectus, non modo Vrbi Romanæque aulæ, ſed prouinciis omnibus longe gratiſsimus. Nam incredibili fretus iudicio, ex omni prope natione, uirtute, doctrina, nobilitatéque clariſsimos extulerat, ita ut omnis generis homines Mediceæ familiæ, incomparabili eo beneficio in omnem temporum fortunam obligare uelle uideretur. Obſcurauit tamen in magnanimo uiro eximiæ liberalitatis laudem quæſtuoſa nonnullorum ambitio, qui neceſſitate urgentis belli ad ancipitia conſilia adactum, opportune pecunia iuuerant: nemo tamen paulò uirtute clarior pecuniæ ſubſidiis indiguit, quum mediocribus aliqua ex parte profeciſſent. Cæterum in omnem lætitiam ad gratulandum effuſa ciuitate, quum epulum in Vaticano nouis patribus daretur, Alfonſus in carcere, Orlando Aethiope ſtrangulante, necatus interiit. Saulio autem uitam impetrauit Franciſcus è Ciboa familia, ſororis Leonis maritus: ei quoque mox honorem pilei cumulata benignitate reſtituit, quum eum auribus tantum, non atroci uoluntate peccauiſſe

peccauiſſe iudicaret. Sed is aliquanto poſt, quum ad Eretum exularet, ſupremũ contraxit morbum: atque ita placato iam pontifice, impetrato que reditu, in Vrbe defunctus eſt. Dum hæc Romæ fiunt, in caſtris põtificiis omnia fœda obuenerãt. Legatum Bibiennam ſeditio militaris affli xerat, nam Germani Italíque & Hiſpani ſimul ac Vaſcones ad calonum rixam excitato tumultu multisque interfectis prope more militiæ cõflixerant: adeò ut præferẽte crucis ſignũ legato, & in medios inter uolitan tia tela deprecantis habitu procurrente, uix dirempta ſit pugna. Ex ea ſe ditione unaquæque natio militum, veluti diffiſa aliis, ira & timore conſternata, ſeorſum factis excubiis tetendit: quæ res ſicuti ducum ipſiusq. legati authoritatem imminuerat, ita ſublato metu pudoreque petulantiæ militari uiam aperuit, adeò ut cũctis in proxima caſtella ad prædam dilabentibus, totus prope exercitus flagitioſiſsime ſolueretur. Vaſcones etiam ſupra eius detrimenti calamitatem, magno pontificiorum incommodo, ad Feltriũ Ambra, & Carbone ducibus transfugerunt. Ipſi uero Rentius atque Vitellus in tanta rerum deformitate, contempti à ſuis, & ab hoſtibus irriſi, ut in aduerſo rerum ſucceſſu ſæpe accidit, omnẽ admi niſtrandi belli rationẽ amiſerant. Itaque Leo ingẽti ſemper ſpiritu aduer ſe fortuuæ obuiam ire aſſuetus, ex recenti pecunia copias inſtaurat, à regibus auxilia mittuntur, Gallicum equitatum Siſſeius adducit: uenit & Potentianus regulus è Neapoli cum trecentorum cataphractorum ala ornatiſſima. Heluetiæ quoque cohortes, adducente Gaſpare prætorianorum præfecto, Ariminum perueniunt. His rebus cognitis Feltrius è Piceno regreditur: ſuperioribus enim diebus eam regionem infeſta populatione percurrerat; delatusque Piſaurum, pontificios ad Imperialem collem caſtra habentes, nocturno prælio ſuperat. Itaque ad opprimendos Heluetios ingenti celeritate Ariminum contendit. Venerat enim in ſpem potiundæ urbis, explorato occultiore aditu ad eam partem, qua marmoreus pons antiqui operis urbi cõmittitur. Sed eum ſubter fornices audacter ingreſſum, atque amnem uado ſe tranſire poſſe exiſtimantem, maris æſtus, quo amnis ea forte hora plenius intumuerat, importune fefellit: ita ut milites ægre pectoribus extarent. Pugnatum eſt tamen cum Heluetiis, qui in ſuburbanis tectis conſederãt, prælio ancipiti & maxime cruento: Nam & ipſe Gaſpar cum fortiſsimis ſuorum cecidit. Verum ſigniferi, quanquàm anguſto atque difficili loco pugnarentur, mira conſtantia ſuſtinendo illata undique uulnera, & tuendo aditum, egregie ſeſe defenderant. Feltrius ipſe ſclopetto thoracem ictus uitæ periculum adiit. Bozolus plumbea pila uulneratus eſt. Valaſtichinus Hiſpanus, ſingularis promptitudinis, ſclopettariorum præfectus, & Guinea centurio inſignis cecidêre. Arimino fruſtra tentato, Feltrius per conualles Apennini in Etruriam ſe conuertit, non longe ab Anglaria in Florentinorum finibus caſtra ponit, planeque uictor inde Peruſinis, Tifernatibus, Senenſibusque terrorem infert. Sed antequàm expedire conſilia & promoue-

re caſtra poſſet,ab Hiſpanis deſtituitur. Nam Leo duces ac centuriones omnes effuſa largitione corruperat, cohortibus triplex ſtipendiũ fuerat pollicitus, dabátque auidiſsimæ genti aliquanto maiora præmia ſi Feltriũ deſererent,quàm illi ſibiipſis ex opima uictoria popoſciſſent. Intelligebant etiam non inſani acutiq́ue homines, ſibi cum ualidiſſimis copiis eſſe confligendum, neque ullam omnino ſpem miſericordiæ ab iratis hoſtibus ſibi ſupereſſe, ſi aliquo inſigni accepto incommodo uincerentur. Vgo quoque Moncata Caroli regis nomine apud cohortes Hiſpanorum concione habita fuerat conteſtatus, eos contra rempublicam & regis imperia facturos;ſubindeque futuros in Hiſpania reos maieſtatis,ſi pro Feltrio contra pontificem arma ferre perſeuerarent. Quas ob res in non dubiam ſalutis ſuſpicionem adductus Feltrius, ſeſe uniuerſis nequaquàm demiſſo animo commendat: gregariorum etiam militum implorat fidem; & præclare oſtendit ipſos ignominia inexpiabili notatos iri, ſi ſe de ipſis optime meritum in ea ſpe ſummæ uictoriæ prodidiſſent.proinde ſi ſacramenti militaris obliuiſci uellent, ut Caroli regis iuſsis obſequerentur, debere eos nequaquàm priuato paucorum arbitrio,ſed publico cohortium omnium ac alarum conſilio paciſci, ut ſibi honeſtiſsima conditione,de ſalute fortunisq́ue omnibus caueretur, nec uti plane deſerto à ſuis ac immerita neceſsitate circumuẽto, ſpes omnes ad tolerandum exilium ſibi ereptæ ſcelerata conſpiratione uiderentur. Acclamauêre milites ut optime ſperaret, ipſos enim & de pudore ſuo, & de ipſius ſalute magnopere ſollicitos nequaquàm commiſſuros eſſe, ut traduci uel decipi à quoquàm poſſet. Nec multo poſt quum de compoſitione penſitatis & exæquatis utrinque cõditionibus,tabulæ ſcriberẽtur,diſerte appoſitum eſt,ut Feltrio Vmbria excedenti, ſecum tormenta ænea ſuppellectilemq́ue omnem & bibliothecam, quam Federicus auus inſigni cum laude condiderat,auehere liceret: atque ita poſt octauum menſem grauiſsimo bello finis eſt impoſitus,tanta cum lætitia pontificis,ut magno metu magnoq́ue periculo liberatus,nihil octingentis milibus aureis(tot enim in belli ſumptus impenderat) omnino commoueretur. Dum hæc geruntur,Selinus Turcarum imperator,Cãpſone Gauro Memphitico rege ad Alepum acie cæſo,Syriam imperio ſuo adiecit: progreſſusq́ue ad Memphim, Tomumbeium,qui poſt Campſonem imperium ceperat,aliquot præliis ſuperatum,ac demum ab Aegyptiis proditione traditum necauit, in ipſa Memphi laborioſo ac ancipiti pugnæ genere Mamaluchis omnibus trucidatis: adeo ut ab Amano monte ad Rubri maris anguſtias, atque item à Cyrenaicis finibus ad Arabum ſolitudines & Euphratem late omnia in poteſtatem redegerit. Contuderat & biennio ante Perſarum arma uicto in Calderanis campis Hyſmaële Sopho. Is Parthorum & Medorum copiis ac ſtudiis fretus admirabili celeritate Aſſyriæ & Perſidis maioriſque Armeniæ regna ſibi uni parêre coëgerat. Quibus de cauſis Leo pontifex,qui Turcarum

potentiam finitimis undique ſubactis in immenſum excreſſentem maxime formidandam eſſe exiſtimabat, ſupplicationes per Vrbem indixit, ipſe inſigni concepta pietate diſcalciatus ad Mineruæ templum profectus eſt,ut reipublicæ Chriſtianæ incolumitatem Deiparæ uirgini commendaret. Exinde ad totius Europæ reges è cardinalibus uirtute ac eloquentia inſignes legatos miſit,ut ſublatis offenſionibus, ex authoritate ſacroſancti pontificis,communi omnium conſilio conſociatis uiribus,impotenti barbaro bellum terra maríque ad publicam ſalutem ac laudem inferretur.Sed quum ſinguli reges in id conſilium ſuſcipiendi belli præclarum maxime ſtudium magnificis pollicitationibus oſtentarent, nequaquàm tamen, ut in unum uoluntate ac opibus iungerentur, adduci potuerunt. Gerendi autem belli ratio ſic à Leone adhibitis in conſilium peritiſsimis ducibus fuerat conſtituta, ut Maximilianus Cæſar Germaniæ robora in legiones cõſcriberet:Pannonio autem & Sarmatico equitatu maxime uteretur: & ſecundo amne Danubio in Myſiam, atque inde in Thraciam rectà contenderet,Franciſcus uero Gallorum rex cum florentiſsimis Galliæ ac Italie copiis à Brunduſio in Epirum traiiceret. Hiſpani Luſitaníque ac Britanni, comparata claſſe ducentarum nauium ad Byzantium uſque nauigarent.Ipſe pontifex ueræ laudis & gloriæ cupidiſsimus,cum centum roſtratis nauibus ſe ab Ancona cofeſtim nauigaturum pollicebatur.Erat enim in ſumma ſpe trahendi Veneti ſenatus in partem belli: nam eos tacitis uotis nihil magis exoptare intelligebat, quàm ut Chriſtiana arma in Turcas ueros & proprios hoſtes ingenti omnium conſenſu atque apparatu uerterentur. Sed mox fatali ſocordia noſtrorum principum, quum quiſque alienæ gloriæ inuideret,ea conſilia decoris & pietatis longe pleniſsima perierunt.Nec multo poſt Maximilianus Cæſar,quum febre laboraret, & parum opportune pharmacum ſumpſiſſet, Veltii in Noricis montibus eſt defunctus. Eo mortuo ad petendum Romani imperii honorem nonulli candidati prodierunt. Non iam enim Cæſares,ut antiquis mos fuit,à militibus creantur; quum inueterata cõſuetudine ſeptem regulorum ſuffragiis fiant.Ex his tres ſunt ſacrati ampliſsimarum urbium ſacerdotiis inſignes,Colonienſis,Moguntinus, Treuerenſis, & totidem militares nobiliſsimi Germaniæ reguli, Saxonum dux, comes Palatinus, & marchio Brandeburgenſis:ſeptimi uero ſuffragii prærogatiuam obtinet rex Boëmiæ, ut ſi ex æquo diſsideant,ipſe ad maturandam electionem ſuperante ſuffragio,in quam uoluerit partem,accedat.Petebant ante alios Franciſcus & Carolus Chriſtianorum longe maximi ac opulẽtiſsimi reges:huic tanquàm præclarà indole auitam hæreditatem adeunti Germaniæ ſtudia non deerant: illum uero mirifica uirtus, & bellicæ laudis ſpecimen, atque item ingentes opes ad tuendum imperii nomen haud dubie pares uehementiſsime commendabant. Ipſe Leo Franciſcum magnis innixum largitionibus, in ea contentione fouendum adiuuandumq. ſuſceperat, Robertumque

Vrſinum ad id in Germaniam legatum miſerat. Sed poſtquàm animad uertit nonullorum procerum auaritiam uel ampliſsimis donis expleri nequiuiſſe, & uigere in ingeniis Germanorum uetera odia aduerſus Gallos, Franciſco ſuadere conatus eſt, ut pro ſe petere deſiſteret: amicorum uerò opera uteretur ad ſubleuandum Brandeburgenſem regulũ, ne Carolus imperio potiretur. Præuidebat enim uni ei ad maxima quæque audenda incredibilis potentiæ facultates parari; adeo ut Galliæ pariter, Italiæque, & pontificio præſertim nomini non temere metuendus eſſe uideretur. Sed Franciſcus immoderata ſpe ſua inductus, ut pote qui nihil de eorum ſtudio dubitaret, quorum ſuffragia optima fide uenditari exiſtimabat, in decreto ambitioſius & perſeuerantius quàm oporteret perſtitit. At Leo Comitiorum euẽtum minime expectandum ratus, ita Gallo fauere deſiit, ut Carolum haud dubie gratia ſuperãtem ſuffragatoribus commendare uideretur. Atque ita Franciſcus dum effuſa largitione pro ſeipſo uehementius contendit, nihil earum rerum, uti magnopere cupiebat, eſt conſecutus: nam & ipſe imprimis repulſam tulit, conſternatis metu Germaniæ proceribus, ne ad Gallos imperium turpiſſima licitatione transferretur: & Carolum demum, quem unum maxime excluſum uolebat, conuerſis omnium ſuffragiis ad ſummi honoris faſtigium prouectum uidit. Eo nuntio pontificem nequaquàm, uti præferebat, ſincera hilaritate lætatum ferunt, quanquàm prioris ſtudii ſui in uidiã poſtremo conuerſa commendatione deterſiſſet. Diuino ſiquidem ingenio, cum tot regna in unum collata conſpiceret, nimiam Cæſarum potẽtiam ueluti fatali diſſenſione pontificiæ dignitati ſemper infeſtam, uehementiſsime formidabat: & antiqui quoque uatis carmina eum iuuenem non obſcuris formæ ac ingenii lineamentis exprimere uidebãtur, qui à ſeptentrione toti Italiæ, Romæque præſertim & principi ſacrorum ſummas clades eſſet illaturus. Sub id tempus quo Maximilianus Cæſar exceſsit è uita habitisque in Germania comitiis, Carolus eius nepos imperator eſt ſalutatus. Laurentius Medices ab iuuenili intemperantia concepto lætali morbo Florentiæ interiit. Is uxorem duxerat è Gallia regiæ cognationis: erat enim è familia Bolonia in Ambianorum finibus ad Oceanum ualde illuſtri. Nam Feltrio expulſo, recuperatoque Vrbino, Laurentius ſe totum inſigni cupiditate ad Franciſci regis amicitiam contulerat, Hiſpanos maxime peroſus, qui recenti bello Mediceam domum in extrema ſalutis & dignitatis pericula conieciſſent. Leo quoque perlibenter cognationem morte Iuliani fratris interciſam cum florentiſsimo rege renouandam exiſtimauerat. Hæc noua nupta incredibili apparatu Florentiæ ſuſcepta, poſt decimum fere menſem maritum ad uitæ exitum ultro feſtinantẽ quinque diebus anteceſsit, in ſupremo morbi impetu puellam enixa, quam hodie Franciſci regis nurum conſpicimus. Erat Laurentius corpore ad equitandum geſtandáque arma peridoneo atque habili, uultu uerò admodum atroci, & in eam ſpeciem ſuperbe

perbe ſæpe compoſito, nam adulatione corruptus ſupra naturæ uim & ferus & militaris uideri uolebat: defuit ei ingenium ciuile & temperatum, unde illi nullæ lachrymæ ab ciuibus quum inſigni põpa funeris efferretur. Erat enim fama edita in uulgus eum Lucẽſes & Senẽſes ſubigere, Florentinorum ceruicibus munitiſsimam arcem imponere, & denique ab infero mari ad ſuperum late prolatis finibus regnum condere cupiuiſſe, ut ipſe Porſenæ exemplo, adiuuantibus Gallis, Etruſcorum rex appellaretur: quibus conſiliis uti nimis ambitioſe temereque ſuſceptis, ipſe Leo & Iulius cardinalis, moderando ac differendo, obuiam ſemper iuiſſent. Laurentio uita functo, pontifex Iulium cardinalem Florentiam miſit, ut ad clauum reipublicæ ſederet. Is incredibili humanitate atque munificentia ſingulos omnium ordinum ciues complexus, ita rempublicam conſtituit, ut æquiſsimæ libertatis ſtatus, renouata felici illa ueterum temporum conditione, reductus eſſe diceretur. Florebat & tum maxime Roma incredibili rerum omnium ubertate, lætitiáque omnis generis hominum. Nam põtifex quietis atque ocii ſtudio Romanorum inimicitias capitalis odii conciliatione edictóque ſuſtulerat. Tradebatur enim poſteris dira animorum obſtinatione memoria iniuriarum, adeo ut affines innoxii tracti in cauſam metu mortis publico carere cogerentur. Peregrinos uero immunitate multarum rerum, & perbeata illa ſæculi ſecuritate undique ad incolendam augendamque urbem inuitabat. Nam ab Inſubribus atque Cænomanis Circũpadanísque populis ingens multitudo exagitata diuturnis barbarorum uexationibus fortunas ſuas Romam auidiſsime trãsferebat, adeo ut ad campum Martium extructis domibus peramplam coloniam cõdere uideretur. Nam ſicuti eximiis artibus ſpectatus honor, ita mediocribus opificiis certa merces non deerat. Cuncti enim pro fortuna ſua ædificando ornandóque domos & uillas, elegantiæ magnopere ſtudebant. Cenſebantur eo tempore ciuium & inquilinorum octuaginta quinque milia: ut hinc quoque clades noſtras non iniqua æſtimatione defleamus, quum ad triginta duo milia capitum urbem redactam proximi cenſores in annonæ caritate repererint. Dabat item operam diligenter, ut in prouinciis omnia pacata & læta præfectorum uigilantia & ſeueritate tenerentur: & quum eſſet natura leniſsimus, ſæpiſsime patientiam abrumpebat, ſi renouatis improborum iniuriis poſt primam delicti ueniam contumelioſe lædere tur. Paulum ante alios Baleonum claris militiæ honoribus functum, & erga Mediceam domum ſtudio ac operibus inſignem, è Peruſia Romã uocatum, eiusque lenitati impenſe confidentem, quin capitali ſupplicio afficeret, uel deprecantibus Vrſinis exorari non potuit. Vir enim impotens & factioſus apud Peruſinos cruentam maxime & rapinis infamem deſpectis pontificiis epiſtolis tyrannidem exercebat. Eſt & laqueo ſuſpenſus Amadeus Recinatium tyrannus, rerum nouarum author. Itemque è Fabriano Piceni oppido nobili Zibichius, qui turbulentiſsimis

concionibus paſsim habitis exules & obæratos ad arma concitarat. Luit & capite pœnas apud Beneuentanos Hector Seuerianus, uir ſanguinarius, factione potens, & uirium robore inſignis. Verum ab initio pontificatus ſingularem ſtrenui expeditíque ingenii laudem eſt cõſecutus, Rencio Mancino nobiliſsimæ ſtirpis Romanæ ciue in arce ſecuri percuſſo. Is ab immani audacia truculentus affinem ſuum Cornetanum in templũ Mineruæ confoderat, & uecordi impetu cunctis minitari, magiſtratus imperia deſpicere, uexare denique omnes uel in media urbe conſueuerat. Ab exercitu Veneto, in quo alam ſagittariorum equitum ductabat, cum ignominia quondam eiectus, quod turmalem ſuum de fuga cogitantem deligatum arbori totius alæ ſagittis crudeliſsime transfixiſſet. Exercuit & ſupra naturæ conſuetudinem ſummum ius in damnandis, qui falſos libellos ipſius ſubſcribentis manum mentiti in iudiciis protuliſſent: adeo ut Sebaſtianum Taruiſinum tum in gymnaſio Romano leges profitentem, & alioqui ea calamitate indignum in campo Flore concremarit. In cæteris criminibus puniendis eum ciuilis animi tenorem ſemper obtinuit, ut ad clementiæ laudem auide properare remiſſa ſeueritate diceretur: Cæterum nulla in re ardentius & effuſius, quàm ad liberalitatis gloriam anhelauit, eos principe loco indignos exiſtimans, qui nequaquàm benefica manu Fortunæ muneribus uterentur. Nemo enim uel ciuis uel peregrinus, qui paulo nobilioris artis famam teneret, nemo uel maleſanus poëta, nemo alicuius optimarum literarũ partis non ignarus unquàm fuit, qui benignitatem humaniſsimi principis non ſenſerit. Quinetiam ipſum cœnantem ſpectantes, & ex his aduentitios & parum notos homines ultro pecunia donare erat ſolitus, eo præſertim libentius, quum obſoleta ueſte indutos conſpiceret. Purpuream etenim crumenam quotidie aureis nummis ſibi repleri iubebat, ad incertas exercẽdæ liberalitatis occaſiones. Sacerdotes quoque, fraterculos, & ſacras uirgines, quæ intra ſepta religioſe pudicitiam cuſtodirent, menſtruis ſubſidiis eleemoſynæ nomine iuuabat. Magnum ueteranum militum ac exulum alebat numerum: nihilque uehementius contendebat, quàm ut nemo calamitatem, & Fortunæ aduerſæ mala & incommoda pateretur. Sed has præclaras liberalis excelsíque animi uirtutes, cum nimia ſæpe uitæ luxuria, tum obiectæ libidines obſcurabant: ita tamen, ut iucunditate blandæ facilisque naturæ potius, ac regia quadam licentia, quàm certo deprauati animi iudicio in ea uitia prolabi uideretur; quum frequenti blandientium turba cubiculi fores obſeſſæ, paucos admitterent, qui alioqui docilis uerecundíque hominis ſolutos mores cohiberent, amicorum optimis ad ea conniuentibus, ac libenter ſeſe illecebrarum miniſtris immiſcentibus, ne gratiam apud ſummos principes in lubrico poſitam in diſcrimen adducerent, ſi ingratum auribus potentium reprehenſionis officium honeſtatis atq. beneuolentiæ ſpecie ſuſcepiſſent. Verum hominem hilaritati humaniſque ſenſibus facile ſeruientem mirum

rum in modum incitabant plerique cardinales opibus ætatéque florentes, qui illuſtri loco nati, ac liberallter educati, regio luxu uitam in uenationibus, conuiuiis, atque ſpectaculis libentiſsime traducebant, cum his pontifex uetere ſtudiorum conſuetudine, & recentibus comitiorum officiis uehementer eſſet obligatus. In his fuêre Ludouicus Aragonius, Hippolytus Ateſtinus, Sigiſmundus Gonzaga, Alfonſus Petrucius, Marcus Cornelius, & Federicus Sanſeuerinus, qui decoras domi familias, pleriſque ingenuis ultro ſe in ſeruitutem ambitioſe dicantibus, magnum que equorum & uenaticorum canum numerum inuſitatis ſumptibus alebant. Acceſſerat & Bibiennæ cardinalis ingenium cum ad arduas res tractandas peracre, tum maxime ad mouendos iocos accomodatum. Poëtices enim & Etruſcæ linguæ ſtudioſus, comœdias multo ſale multiſque facetiis refertas componebat: ingenuos iuuenes ad hiſtrionicam hortabatur: & ſcenas in Vaticano ſpatioſis in conclauibus inſtituebat. propterea quum forte Calandrum comœdiam à mollibus argutiſque leporibus periucundam in gratiam Iſabellæ Mantuani principis uxoris per nobiles comœdos agere ſtatuiſſet, precibus impetrauit, ut ipſe pontifex è conſpicuo loco deſpectaret. Erat etiam Bibienna mirus artifex hominibus ætate uel profeſsione grauibus ad inſaniam impellendis. quo genere hominum pontifex adeo flagranter oblectabatur, ut laudando & mira eis perſuadendo, donandoque plures ex ſtolidis ſtultiſsimos & maxime ridiculos efficere conſueuiſſet: Vti Euangeliſtæ Taraſcono Parmenſi ab epiſtolis honeſto ſeni accidit, qui ſe repente nouo ſtudio ac leui perſuaſione ſummum eſſe muſicum putabat: huic adeo induſtrie ac ſuauiter eſt adulatus, ut uana inflatus opinione, incredibilia ac ridenda quædam muſices præcepta commentaretur: citharœdis enim lacertos obligari, ut quadam intentione neruorum in articulis & digitis argutias firmius & clarius exprimerent: quum uero phonaſcorum chorus induceretur, aulea detrahi iuberet, ut uoces nudis parietibus illiſæ, acutius atque ſuauius reſilirent. quæ omnia ad alendam hominis inſaniam probabat pontifex, quando ipſe in ea arte conſumatiſsimus ſecum de tonis & chordis totáque numerorum proportione diſputaret, ac ſe omnino ſuperari egregia ſimulatione fateretur. Baraballi quoque Caietani eximiæ ſtoliditati, procacius quàm ſacroſanctum pontificem deceret, illuſit, quum ille inſulſiſsimos uerſus ab omni uocum ac numerorum enormitate ridendos facere, & palàm recitare ſoleret, ſeque alterum Petrarcham in Etruſcis rythmis eſſe prædicaret. eò enim perpetuis adulationibus inflammatum gloriæ cupiditate perpulit, ut meritum geſtandæ laureæ honorem poſtularit, ac ſubinde ut inſigni pompa in Capitolium duceretur; quòd in Capitolio Petrarcham coronatum quondam fuiſſe audiſſet. Tanta uero uis ſingularis inſaniæ fuit, ut quum ad famam publici apparatus legatio amicorum & affinium Caietanorum propere in Vrbem conuolaſſet, ut hominem à concepto furore deterrerent, acer

biſsimis uerbis eos repulerit, tanquàm maligne benignitatem pontificis interpretantes, ac rariſsimi honoris immortali gloriæ ſuæ prorſus inuidentes. Ergo quod uix credibile foret, niſi ea nos mira cum uoluptate uidiſſemus, ſexagenarius ſenex honeſta ortus familia, proceritate, vultu, & canicie uenerabilis, toga palmata & lato clauo, auro purpuráque nitenti, cæteriſque triumphi ſumptuoſis inſignibus exornatus in conuiuium præcinentibus tibiis deducitur, quum de more pontifex diem feſtum Coſmæ & Damiano Mediceæ familiæ Diuis tutelaribus dedicatum hilarius celebraret. Ibi quum diu ad oſtentationem abſolutæ artis ineptiſſime multa carmina decantaſſet, omnibus iam in ipſa riſus compreſsione defatigatis, ad extremum in area Vaticana deſpectante pontifice elephantem aſcendit, aurato ephippio ſuperſtante triumphali ſella inſtratum. Cæterum inter tympana, & tubas, & uoces acclamantis populi, conſternata bellua, ultra pontem Hadriani deduci pompa non potuit. cuius triumphi memoriam lignarii cælatores quum teſſellato opere laſciuirent, in interioris pontificii cubiculi foribus ſcitiſsime inſcriptam reliquerunt. Mire quoque fauit Pogio ſeni, Pogii hiſtorici filio, itemque Moro nobili à gulæ intemperantia, articularibus doloribus diſtorto, & Brandino equiti, Marianóque ſannioni cucullato facetiſsimis helluonibus, & in omni genere popinalium delitiarum eruditiſsimis. Nam inter alia portenta inſanientis eorum gulæ lucanicas conciſis pauonum pulpis farctas commenti fuerant: quod obſonii genus mox ſucceſſor Hadrianus uir Batauæ frugalitatis mirabundus expauit, quum ſumptuarias rationes Leonis inſpiceret. Verum feſtiuiſsimis eorum facetiis, ſalſiſque & perurbanis ſcommatibus magis quàm ullis palati lenociniis oblectabatur. Ii certis anni temporibus, quum genio liberius eſſet indulgendum, in extrema inferioris menſæ parte ea conditione regnabant, ut contumelias, quas citra ualetudinis incommodum architriclini & ſtructores inferrent, æquiſsimis animis paterentur. Multa enim eorum palato ac auiditati aliena cibaria, falſa gratiſsimarum rerum ſpecie concinnata, uiſimias & coruos cœnantibus apponebant: quæ tametſi iucunda omnibus ac urbano nobilique principe digna erant, in eo tamen, qui auguſti pontificis dignitatem ſuſtineret, à ſeueris & triſtibus notabantur. Vt uero ea conuiuia pleniore uoluptate exhilararet, Calendis præſertim Auguſti amiciſsimos cardinales ad ludum pictarũ chartularum inuitabat: in quo ſeni ſeptenique luſores in coronam ducti uerſabantur: nec ulla in re blandius liberalitatem exercuit, quum uictor pariter ac uictus in circumſpectantium turbam aureos nummos benigne diſpergeret. Aleam damnauit ſemper, uti rei familiari moribuſque peſtiferam: latrunculis autem adeo ſubtiliter & acutè uel cum exercitatiſsimis colludebat, ut nemo ei uel peritia uel celeritate committendi conficiendiq; prælii æquari poſſe uideretur. Non caruit etiam infamia, quòd parum honeſte non nullos è cubiculariis (erant enim è tota Italia nobiliſsimi) adamare, &

cum

cum his tenerius atque libere iocari uideretur. Sed quis uel optimus atque ſanctiſsimus princeps in hac maledicentiſsima aula liuidorum aculeos uitauit? & quis ex aduerſo tam maligne improbus ac inuidiæ tabe conſumptus,ut uera demum poſſet obiectare,noctium ſecreta ſcrutatus eſt? At ſi aliqua ex parte eo nomine ſuggillari inclyta uirtus potuit,Leo certe cum ſuperiorum principum fama comparatus æſtimatione rectiſſima continentiæ laudem feret. Quod ſi falsò notatus (ut credi par eſt) iniquam ſubiit inuidiam,miſerabilem profecto principum cõditionem exiſtimauerim, quando eorum mores, ad arbitrium paucorum improborum ſæuam potius quàm benignam interpretationem accipiant.Sed alia principis, alia hominis eſſe uicia quis neſcit? hæc uni priuata condi tione quum noceant, etiam aliquibus fortaſſe proſunt: illa uero ab dira poteſtate, & luctum & calamitatem uniuerſis mortalibus apportant: id que ueriſsimum eſſe conſtat præclaro quondam populi Romani teſtimonio,qui neminem ſibi principem Traiano meliorem exoptauit,quan quàm eum illicitæ libidinis ac ebrietatis cenſura notaſſet. Sed demus ali quid humanitati Leonis uti in ſumma licentia feruidæ ætatis ac proſperæ ualetudinis æſtum ægerrime ſuſtinenti, poſtquàm in magnis ſalutari buſque uirtutibus optimi atque benefici cognomentum facile meruerit Conſtat tamen eum,quòd à prima adoleſcentia opinione omnium ſummam continentiæ laudem fuiſſet adeptus,non importuna quædam pudi citiæ caſtitatique præſidia quæſiuiſſe: quando nequaquàm priſtinæ uitæ more tam multis delicatiſque obſoniis uteretur:Itemque animo uere pu dico, die Mercurii carnes non edere, die autem Veneris nihil guſtare præter legumen & olera;ac die demum Saturni cœna penitus abſtinere, incorrupta lege inſtituiſſet.In his uero quæ rem diuinam reſpicerent nequaquàm ſecunda [redacted]. Sed facundiam eius, ſacrarumque literarum peritiam ab infami transfugio abiecta imprimis cuculla, & mox aſsiduæ in ganeis compotationes, & cum ſacra uirgine ad libidinem quæſitus tho-

rus magnopere defœdarunt. Non defuerunt tamen grauiora aſtutiorá que ingenia, quæ nequaquàm uexatis ſacris, pontificiam maieſtatem auaritiæ nomine ſuggillarent: quando fama eſſet eam pecuniam cognatis & amicis in profanos ſumptus erogari, quum oppugnandis Turcis, ædificandoque Diui Petri templo religioſa fide ſeruari debuiſſet. Diruerat enim Iulius magnam templi partem, ut admirabiliore ſtructura reficeretur: ſed inſanæ uaſtitatis cœpta teſtudine, & pilis ingentibus erectis, tanta abſoluendi operis difficultas proponebatur, ut Leo, quem nulli unquàm pro laude ſuſcepti ſumptus deterruerunt, animum negotii uaſtitate ſuperatum facile deſponderet. Eius quoque ſacræ pecuniæ partem in Vaticanæ domus ornamenta transferri dictitabant: ut ipſe pontifex Diuo Petro melius ac elegantius habitaret. Triplices enim porticus ad orientem obuerſas, unde ſubiectam urbem & Neroniana prata iucundiſsimo proſpectu quotidie deſpectare erat ſolitus, miræ pulchritudinis extruxerat: condecoratis ſcilicet fornicum atque teſtudinum ordinibus excellenti pictura, & pauimento ad argumenta inſignium Mediceæ domus elegantiſsime uariegato. Cõclauia quoque per quæ aditus eſt ad intimum cubiculum, laquearibus auratis & iucundiſsimis ſignis albario opere depictis in luculentiorem formam redegerat. Quinquaginta etiam milia aureorum numûm impendiſſe ferebatur in aulea Belgica, ab intertexto auro nobilitateque artificum magnopere pretioſa. quæ tametſi ſupra fortunam præſentis ſæculi ſumptuoſa erant, uel ob id tamen non ueniæ modo, ſed laudis etiam nomen ferre poſſe uidebantur, quando non inanium rerum figuris oſtentandæ luxurie, ſed expreſsis Apoſtolorum hiſtoriis Sixti ſacello, ad auguſtiorem altarium & ſacrorum maieſtatem dicarentur. [redacted] præſertim Laurentio Pucio cardinale magno pœnitentiario nullum omnino quæſtum pontificibus illicitum eſſe prædicante. Is enim natura officioſus atque beneficus ſæpiſsime à ueterum decretorum ſeueritate, uel exigua cum ſpe mercedis, induſtriam ſuam & authoritatem ad implenda petentium uota facile transferebat. Acciditque nonnunquàm ut pontifex de pudore ſollicitus, quum libelli de grauiſsimis rebus ſubſcribendi porrigerentur, ipſius maxime Pucii, quòd diuini iuris eſſet peritiſsimus, fidem imploraret, obteſtando ne ſe imprudenter in errorem labi pateretur: quando mox ab aliqua enormi conceſsione æquitatis fines tranſgreſſo pœnitentia ſimul atque infamia laborandum foret. Sed neceſſe erat unis tantum belli paciſq. muneribus deditum ac alieno quæſtu potius quàm ſuo gaudentem, nonnunquàm inuſitatæ conceſsionis

infa

infamiam ſubire: uerum ad id adeò inuitus trahebatur, ut aliquando Iulium Blancium è cubiculariis ſibi gratiſsimum eluſerit, importunis ſcilicet precibus poſtulantem,ut iniquo libello ſubſcriberet, quo duo regionibus diſtincta ſacerdotia, tralato alterius redditu,unius tantum templi dedicationem ſubirent. Leo nanque, quod neque obtemperandum neque omnino negandum cenſeret, percunctatus quanti ea gratia clienti uenderetur, libero ore ducentis aureis reſpondenti,totidem è crumena numerauit, libellumque diſcerpſit. Venationibus etiam & aucupiis nobilioribus adeò perdite ſtudebat, ut ſpurciſsimas ſæpe tempeſtates inſalubreſque uentos, & frequentia manſionum ac itinerum incommoda obſtinate contemneret: confiſus ætati ac firmæ ualetudini,quam equitatione uarioque motu corporis ſe tueri poſſe exiſtimabat, præſertim ſi inambulationibus apertis uagaretur, ac animam innati caloris copia æſtuantem & cœlo libero & multo ſpiritu recrearet: quando & ſuper hæc antiqui ulceris beneficio iuuaretur, quo ab ima ſede, quicquid ſtomachi uel iecinoris uicio conceptum foret,ſenſim effluere conſueuiſſet. Manlianam uillam ſecundum Tyberim quinto ab Vrbe lapide, quanquàm proximi ſtagni halitu & caliginoſi aëris imtemperie prope toto anni tempore infamem, hyeme maxime frequentabat. Ex ea enim veluti ex portu uenatorum claſſes in ſubiectos ſalinarum campos ceruorum copia celebres educebantur. In uenando autem ſicuti præcepta artis ad normam exactioris diſciplinæ patientiſsime obſeruare erat ſolitus,ita ſeueritatem aſpere admodum uir alioqui leniſsimus ſemper exercuit, in eos præſertim, qui petulanti diſcurſu aut uocibus temere editis improuiſa feris effugia præbuiſſent:ita ut claros ſæpe uiros acerbiſsimis contumeliis oneraret. At ſi quando imperitia,uel fortuito errore hominum, aut feris ſubtiliore aliquo inſperatæ fugæ compendio ſeruatis, uel iis denſo in nemore contumacius latentibus infeliciter uenaretur, incredibile eſt quali uultus animique habitu dolorem iracundiámque præferret. Propterea amici familiares ea temporis momenta prouocandæ liberalitati maxime aduerſa ſedulo deuitabant: quando aliâs ſecundum opimam uenationem, ac præſertim uario ac inſigni labore aliquo nobilem, maxima beneficia incredibili benignitate collocaret. Ipſo ferme ſemper æſtatis exitu,quum primum cœlum pleniore pluuia temperatius foret,ac inſalubres æſtus frigidiore aura miteſcere uiderentur, Vrbe ſtatim Viterbium ad aquas calidas euolabat, ubi coturnicum perdicumq. & phaſianorum aucupiis aliquandiu erat intentus, quod genus auium accipitribus ac aſturibus arte edoctis ſingulari cum uoluptate ſectabatur. Ad Vulſinios demum, propter lacus amœnitatem ac eximiam eius tractus rerum omnium fertilitatem, ex itinere deflectebat,& in inſula & ad exitum Martæ amnis piſcabatur. Quibus in locis regali apparatu excipere eum ſolebat Alexander Farneſius cardinalis, qui eam regionem frequentibus uillis atque prætoriis ingenti ac erudito ſumptu paſsim ædifi-

catis conſitiſque fructiferis arboribus exornabat. Inde per Tuſcum agrum uenabundus modicis itineribus ad mare circa Grauiſcas & Centumcellas deſcendebat. Quo uiæ flexu apud Cornetum in Tarquinienſi longe celeberrima ceruorum aprorumque uenatio parabatur, & ea quidem in perampla planitie ac maxime ad tendendas inſidias opportuna, quæ artificio naturæ humanis uoluptatibus arridentis, perpetuis terrenis collibus cincta, ingentis amphitheatri ſpeciem ad ferarum exitium uenantibus præbet. Sub ipſas demum Nouembres calendas à Centumcellis per Alſium & Cereueteris ſyluas in Vrbem redibat, nec multo poſt in Manlianam reuertebatur, uixque inde reuelli poterat, niſi aut ſenatus habendi aut ſolennium ſacrorum cauſa ad Vrbem uocaretur. Erat enim is locus edendis ardearum ac miluorum præliis peridoneus, quæ geminis aut pluribus manſuefactis falconibus in ſublime manu emiſsis aduerſus id genus auium uario, ac ob id maxime ſpectabili, euentu per immenſa cœli ſpatia miſcebantur. Tanta autem agreſtium ac populorum omnium gratulatione atque lætitia excipiebatur, ut cuncti eius aduentum ſe uel fructuoſiſsimis meſsibus fertiliorem ſentire faterentur, ut pote qui ſenibus ac pueris puelliſque in uiam effuſis, ac ruſtica munera paſsim offerentibus, non modo pecuniam largiſsima manu rependeret, ſed etiam appellando humaniter ac ſciſcitando, qua nam maxime in parte rei domeſticæ acrius à Fortuna præmerentur, uirgines dote præbita ſubleuaret, affectis autem morbo ac ætate, uel numeroſæ familiæ onere prægrauatis æs alienum protinus diſſolueret. Nihil enim in magno principe dignius atque præſtantius arbitrabatur, quàm iuuare mortales, alienæ calamitati obuiam ire, lætoſque omnes ab ſe dimittere: ut ad beneficium humani generis ſe, uti antea in minore fortuna concupiuiſſet, ſupremæ poteſtatis dignitatem appetiuiſſe teſtaretur. Eo modo diuina ac humana moderantem, & cunctis læta pace fruentibus, fatalis neceſsitas Gallico bello implicuit. Cæſar enim, qui ab Hiſpania enauigato Oceano in Germaniam uenerat, & Francofordiæ ab exercitu acclamatus fuerat imperator, Robertum Sedanium in Eburonibus armis perſequebatur: hunc cum Franciſcus defendendum ſuſcepiſſet, repente bellum exarſit ualde atrox & maxime diuturnum, quo Europa prope omnis, diffuſo late incendio, per nouem annos deflagrauit: Repetebat ex aduerſo Nauarræ regnum Franciſcus, quoniam Ioannes Rex, qui à Ferdinando ſub Britannici belli tempus fuerat expulſus, in fide & clientela Galliæ regum extitiſſet. Quibus de cauſis Galli Aſparoſio duce pulcherrimam nacti occaſionem, Vaſconibus & Cantabris arma intulêre, quòd ualidiſsimæ ulterioris Hiſpaniæ ciuitates propter incredibilem Cæſarianorum præſidum auaritiam ad arma conſternatæ, haud obſcure rebellarant. Itaque ſuperatis Pyreneis, & Pompelone metropoli capta, arceque tormentis expugnata, Galli ad Hiberum uſque felici ſucceſſu ſigna promouerant. At Cæſar per id tempus totius Germaniæ concilium

ciliū Vormatiæ in Vangionibus ad Rheni ripam peragebat, ſublatisq. liberarum urbium & procerum controuerſiis, legibusque & fœderibus ex authoritate ſuſcepti imperii æquiſsime conſtitutus, pio excelſoque ingenio ſe totum ad cognoſcēdam Lutheri cauſam conuertebat. Venit in concilium Lutherus ſub fide publica, atque ita inſano ore cauſam dixit, ut eius ſectæ placita ueterum hæreticorum dogmatibus incluſa damnarentur, quæ iampridem in pluribus conciliis, & Conſtantiæ Baſileæq. præſertim à uere doctis & Chriſtianis hominibus exploſa & ſeuere uindicata penitus exoleuiſſent. Summa uero iudicii Cæſaris fuit, ut palam diceret, Lutherum eloquentem & literatum uideri, ſed ab inſano ingenii impetu pene furioſum. Itaque ipſo caſtigato, eius libros, uti in religione peſtilentes, in foro concremari iuſsit. Quæ Cæſaris decreta uſque adeo Leonis animum ab eo inſigni cum publicæ tum priuatæ pietatis officio deuinxerunt, ut tum præclare decerneret à Cæſare ſe ſtaturum, ſi bellum in Italia ab Hiſpaniis & Galliis transferretur. Erat Romæ Ioannes Manuel Cæſaris legatus, uſu grauiſsimarum rerum inſignis. cū hoc Leo tranſegit, iniitque fœdus ut Galli Italia pellerentur, Franciſcus Sforcia Mediolanenſe imperium iure paternæ hæreditatis obtineret, Placentia uero & Parma Leoni tanquàm à Gallis impotenter ereptæ redderentur. Id bellum ingenti animo ſuſcepit, angebant enim uirum decoris & laudis ſtudio deflagrantem eæ urbes ueluti infami pactione, & turpiſſimo metu amiſſæ, quos Iulius pontifex egregia uirtute Gallis ademiſ ſet. Super id ferre non poterat Gallorum præfectorum ſuperbiam, qui ſacerdotia totius Galliæ Ciſalpinæ, deſpecto plane pontifice, cōtra eius authoritatem, uti libido ferret, indignis hominibus adiudicabant, quos ad Vrbem de more citari & uocari in ius propoſita pœna uetuerant. Ea res periniquæ impotentisque inſolentiæ plena, Leonem dignitatis ac exiſtimationis nomen tueri ſolitum ab amicitia Franciſci regis auerterat, qui & diſsimulanter Feltrianum bellum aluiſſe credebatur, non inanibus coniecturis, quum eius auxilia Ambra Carboneque Vaſconum ducibus ad Feltrium transfugiſſent, & à Siſſeio equitum præfecto, qui nunquàm in conſpectum hoſtium ueniſſet, quædam oppida ex fideliſsimis fœde ac hoſtiliter direpta fuiſſe cōſtaret: mortuo quoque cum uxore Laurentio, & Iuliani fratris uxore in Galliam remiſſa, regiæ affinitatis iura magna ex parte abrupta uidebantur. Eo etiam libentius pontifex ad Cæſarem inclinauit, quoniam à Gallis ſe Florētia pulſum, & ad Rhauennam demum captum, Soderinianisque temporibus eorum armis, quominus patriam repeteret, diu prohibitum fuiſſe memoria retinebat, neque recentis beneficii ingrato animo obliuiſci uellet, quum Ferdinandi regis ſtudio, ac inſigni opera Hiſpanorum militum Florētiam reductus, ac etiam non obſcura eius amiciſsimi regis commendatione ad pontificatum euectus extitiſſet. Hæſerat quoque memori animo uetus iniuria ab Octauiano Fregoſio accepta, qui Franciſcum regem, inito cum eo

occulto fœdere, contra authoritatem atque iudicium benemeriti de ſe pontificis in Italiam euocaſſet. eum enim omnino Genua pellere, & acceptam ab eo contumeliam grauiſsime ulciſci decreuerat. Nec ad id cohortator concitatorque uehemens & opportunus deerat Hieronymus Adurnus, ab omni uirtute lectiſsimus, qui cum Manuele Leoneque egerat, ut ipſe per amicos factionis eiecto Fregoſio Genuæ principatum ad ſequeretur. Ad hæc peragenda in bellicos ſumptus ingentem auri uim collegit, nequaquàm prouincialibus expilatis, ſed inſtituto nouo equeſtri ordine ad numerum quadringentorum, ii equites coëmptis priuata pecunia eius dignitatis officiis, ex uectigalibus demum quotannis centenos aureos accipiebant, & immunitatis prærogatiua iuuabantur. addidit etiam cubiculorum ſcutiferorumque collegia, officiis eorum uenalibus, ad eam ſpem uberrimi reditus, ſicuti ante Iulius officia annonæ præſidentium inſtituiſſet. Summa belli Proſpero Columnæ demandata eſt, cuius prudentiæ uirtutique bellicæ Leo plurimum confidebat. Subſecutus quoque eſt ipſe Piſcarius cum Hiſpanorum cohortibus. XX. & Antonius Leua cum ualido equitatu. Præfuit pontificiis Federicus Gonzaga Mantuæ princeps, adiunctoque ad Italicam legionem, Germanorum ac Heluetiorum peditatu, ad oppugnandam Parmam profecti ſunt. Eam urbem Leſcutus Lotrechii proregis frater, & Federicus Bozolus impoſito præſidio tuebantur. Quaſſati ſunt tormentis muri à Placentina porta, eo euentu, ut Pontificii nullo propugnante per ruinas irrumperent, & citeriore urbis parte potirentur: nam Galli clam deductis & retractis ultra amnem omnibus copiis, interciſisque pontibus, ampliorem & nobiliorem urbis partem, ubi forum, & prætoria, & templum maximum uiſuntur, erectis ſubitariis munitionibus acerrime defendebant: iamque multis acceptis detrimentis Galli in ſtatione ægre uim tormentorum ſuſtinere cœperant, cum Lotrechius traiecto Pado, adiunctis ſibi Venetorum copiis, ut fratri obſeſſo opem ferret, ad Tarrum peruenit. Tum uero nihil dubitatum eſt, quin reuocandi educendique occupati præda milites forent, ne cum duobus ſimul exercitib. ancipiti prælio & iniqua conditione dimicare cogerentur. Itaque is conatus fœdum habuit exitum, diſſenſione atque emulatione potius quàm imperitia ducum, aut militum ignauia: nam haud obſcure iam enata erant initia peſtiferæ ſimultatis inter Proſperum atque Piſcarium, quum hic elato animo alienis conſiliis obedire, ille uero inueteratam nominis exiſtimationẽ præferre, ac demum uti imperio, & prouectæ ætatis honore concuperet. Caſtris ad Niceam amnem retractis, incredibile dictu eſt, quantam Leo bilem doloremque conceperit, non ferebat enim æquo animo contumeliam acceptam, & dedecus militare admiſſum, quando non hoſtium uirtute, ſed ſuorum contumaci diſcordia ac exitiali altercatione uictus eſſe uideretur. Itaque Leo in unam abolendæ ignominiæ parandeque uictoriæ curam intentus, ſupremas ſpes in Iulii patruelis uirtute collocat,

cuius

cuius ſingulari prudentia in omni grauiore negocio, ſicuti & moderatione in regenda republica Florentina, nudatis omnibus ſenſibus utebatur. ad hunc Florentiæ commorantem, manu ſua literas, quas nos tum uidimus, in hanc ſententiam ſcripſit. Vides mi Iuli quo loco res noſtræ ſitæ ſint? quum eas duces ipſi turpiſsima diſſenſione penè præcipites dederint: in hac enim rerum deformitate dignitatis noſtræ, que uiris uita potior eſſe debet, iniquam aleam ſubimus: tu uero unus omnino es, qui ſpectata uirtute tua, atque authoritate diſsidentes conciliare facile potes, & quod in ſummo uoto eſt, uictoriam è manibus prope ereptam recuperare, ſi mature in caſtra cõtendis. Obſecro te igitur per decora maiorum noſtrorum, & per publicam ſalutem, ut legati nomine, militaris imperii munus ſuſcipias, & confeſtim ad Niceam prouoles. Te enim auſpice præclarum lætúmque huic bello exitum Dii ſuperi dabunt, & uotis noſtris, ut in optima cauſa, recte pieque ſuſceptis ſecũdiſsime ſubſcribent. Vale. Nec mora, Iulius quanquàm dubia ſpe, alacri tamen uoluntate fratris precibus paret, profectusque Florentia, & mutatis ad celeritatam iumentis in caſtra peruenit: Tum uero duces eo diſceptante atque adhortante, in unum gerendi belli conſenſum redire, lætari milites, atque optime de uictoria ſperare. Erat enim in eo uiro cum humanarum artium, tum bellicarum etiam rerum peritia ſingularis, longo uſu, & uariis utriuſque fortunæ experimentis comparata: Super hæc uigebat in eo ſumma authoritas, & uis imperii ad explicanda finiendaque conſilia, magnumque etiam auri pondus ad ſtipendia ſecum attulerat. Quas ob res confirmatis & erectis omnium animis, tota caſtra ingenti ſpe atque lætitia complebantur. Eodem die in conſilio decernitur Padum amnem, relicta in tergo Parma, ponte confecto ſuperandum, ut ad incitanda Inſubrum ſtudia bellum in Hoſtico gereretur. Nec multo poſt ad Caſale oppidum uniuerſus exercitus Padum traiicitur. Idem ad Cremonam facit Lotrechius, minutísque præliis ad Bebriacum ſæpe contenditur. Sed Lotrechio ad Olii amnis ripas egregie propugnante, Pontificii per Matthæum Sedunenſem cardinalem, ad quem ab initio depulſis Italia Gallis fama gloriáque pertinuit, Heluetios in auxilium euocant, atque illi uberioribus ſtipendiis inuitati, per Bergomatium fines, deturbatis ad Eupilim lacum Gallorum Venetorumque præſidiis, in caſtra perueniunt: magna ſiquidem hominum admiratione, quum eodem tempore Franciſco regi in Belgio, Lotrechióque item in Gallia Ciſalpina, atque ipſi maximè pontifici magnis undique ſuſceptis emolumentis ſtipendia mererent. Erant etiam relicta cis Padum circiter duo milia Heluetiorum: eos initio belli Antonius Pucius, quem nunc cardinalem uidemus, in Italiam adduxerat, cum his hic uir ſacratus, adiuncto ſibi Vitellio cum duabus equitum alis, ad Bondicum Alfonſi Ateſtini copias profligauit. quo die Ferrarienſium res in magnum diſcrimen adductæ fuiſſent, niſi Vitellius cohortanti Pucio, & recenti uictoria uten

dum eſſe prædicanti, parum pugnaci conſilio parêre recuſaſſet. At Lotrechius hoſtes tantis adauctos copiis Abduæ amnis tranſitu prohiberi poſſe ratus, ad ulteriorem fluminis ripam, extentis ad multa milia paſſuum perpetuis munitionibus, cum toto tormentorum apparatu conſedit: ſed dum à Piſcario maximaque parte exercitus contra Ripaltam oppidum per ſimulationem conſtruendi pontis diſtinetur, Itali pedites in ſuperiore Abduæ loco lintribus noctu tranſuecti, Vaprium oppidum in hoſtili ripa deiectis Gallorum præſidiis occuparunt. Ea re cognita Lotrechius Leſcutum fratrem cum ualida equitum manu, expeditiſque Vaſconum cohortibus Vaprium miſit, ut hoſtes ægre uno atque altero tantum nauigio tranſeuntes ante opprimeret, quàm maioribus ſubſidiis firmarentur. Sed Iulio legato Proſperóque ab aduerſa ripa adminiſtrantibus & cohortantibus, Griſonorum manus duce Teccano, & Hiſpanorum cohortes duæ opportuniſsimo tempore tranſiuerunt. quorum aduentu confirmati Itali, qui ab ædificiis omni telorum genere ac ignibus oppugnati acerrime locum defenderant, ſeſe ad conſerendas manus effuderunt. Pugnatum eſt per quatuor horas uario euentu, quum etiam Leſcutus ultro dimiſsis equis, inſigni audacia cum cataphractorum globo per anguſta uiarum pugnã, feſsis iam Vaſconibus, excepiſſet. Ad extremum Galli egregiè repulſi, multis deſideratis, amiſſoque uexillo ad Lotrechium redierunt. Tum uerò exercitus omnis ad tranſeundum amnem adcurrit, tota ſcilice ripa nudata præſidiis. Nam Lotrechius Mediolano timens, reductis tormentis, ſublatiſque ſignis eò contenderat. Is quanquàm abſtinentiæ atque iuſtitiæ laudem ferret, ſuperbia tamen & crudelitate erat inuiſus. nam per eos dies Manfredum Palauicinum, qui à Lario lacu cum Germanorum manu irruperat, captum iu fruſta diſcindi iuſſerat, atque item Bartholomeum Ferrerium eius rei conſcium, eximiæ nobilitatis equitem, eadem ſuplicii acerbitate trucidarat: ita ut denegato ſepulturæ honore, damnatorum capita, haſtis infixa propinquis & ciuibus ſpectanda in arcis area ponerentur: Chriſtophorum uero Palauicinum opibus & claritate generis illuſtrem, nequaquàm regis iudicio damnatum, poſtridie quàm Mediolanum eſt reuerſus, capitali ſupplicio affecit, ut Mediolanenſes crudeli exemplo terri tos, ualidius in fide cõtineret. Peruerſa etenim ratione Lotrechius quæſitis nouis amicitiis hoſtili animo Triuultiorũ Palauicinorumque principes fuerat perſecutus, qui antea Gallico nomini maxime ſtuduiſſent, fortemque operam aduerſus Sfortianos ſuperioribus bellis præſtitiſſent. Nam & ipſe Triuultius tantus imperator, qui tot uictorias Gallis regibus ſpectata uirtute peperiſſet, accuſante Lotrechio, ad dicendam cauſam media hieme in Galliam uocatus, concepto ingenti animi dolore apud Carnutes obierat. Cæterũ Lotrechio cũcta præſidia in exteriore ſuburbanæ regionis munitione collocãte, Pontificii & Cæſarini Placẽtiæ & Cremonæ Ticinique ac demũ Parmæ egregia omniũ uoluntate reci

te recipiuntur. Quo ſucceſſu uictoriæ, duces erecti in ſpem potiundi Mediolani inſtructis agminibus ad Romanam portam ire pergunt : Erat in urbe otium ſummæ ſecuritatis, adeo ut Lotrechius inermis cũ globo ducum interiores urbis regiones obequitaret,& nihil omnino de aduentu hoſtium præſentire crederetur: Exiſtimabat enim hoſtes ſine tormentis nequaquàm aggeribus eſſe ſucceſſuros, quòd itinera uti pluuio die maxime lutulenta, prouehendis curribus inextricabiles difficultates allatura uiderentur, Sed Piſcarii uirtus atque celeritas cuncta ad uictoriam aperuit. Is enim cum expeditis Hiſpanorum ſclopettariis antecedens, aggeribus ſucceſsit, adortusque Heluetiã ſtationẽ, & Venetos in proximos tendentes, penè priuſquam cõſpiceretur, intra munitiones irrupit: hos ſecuti Germani atque Itali tantam imparatis & ægre reſiſtentibus trepidationem intulerunt, ut fœda fuga undique facta, Theodorus Triuultius Veneti exercitus imperator, qui ad tumultum inermis adcurrerat, uulnere accepto caperetur, ipſe Grittus legatus uix beneficio noctis non plane cognitus euaderet, & Gallorum equitatus magno circuitu intra urbes deferretur. Tum uero direptis hoſtium caſtris Piſcarius continenti curſu ad Romanam portam contendit, ibi ab amicis demiſſo ponte recipitur. Nec multo poſt Iulius legatus, & Proſper, ipſeque Mantuanus Ticinenſi porta ſuſcipientibus Gibillinæ factionis principibus, interiorem urbem intrant. Porrò Galli Heluetiique circa arcem ſigna ſiſtunt, metuque territi eadem nocte Comenſi porta effunduntur, tanta deformitate incedentium agminum, ut, quum ſummi duces Lotrechio adeſſent Leſcutus, Vandeneſius, M. Antonius Columna, & Feltrius Vrbinas, his omnibus ueluti inopinata calamitate attonitis, omne rei bellicæ conſilium cum ipſa exercendi imperii authoritate penitus ereptum eſſe uideretur. Defuit Pontificiis ad ſummam uictoriam perſequẽdi hoſtis facultas, haud dubie obſcurræ noctis tenebris intercepta. Nam multo maxima copiarum pars & totus ferme equitatus, ipſique præſertim Heluetii, qui poſtremam aciem ea die tenuerant, extra urbem uix accepta per manus rei geſtæ fama conſtiterunt. Tantæ uictoriæ nuntio accepto pontifex, cum in Manliana uilla eſſet, incredibili lætitia eſt affectus: nam eo triduo literæ de Heluetiorum ambigua fide acceptæ, animum incerta & ancipiti ſpe uictoriæ ſuſpenſum ſolicitis cogitationibus excruciarant. nec multo poſt, priuſquàm cœnaret, obriguit, ſenſimque exorta eſt febris à quodam miti tepore longe leniſsima, ſed quæ ei ſuprema extitit. ob id ſequente die in urbem eſt reuectus, iam certius ac plenius erumpente morbo; peſsimumque omem imminentis mortis in ipſo cubiculi limine accepit, in quo conſtiterat architectus ligneam offerens ſepulchri effigiem, quod tum inſigni marmoris cælatura Henrico regi in Britãnia parabatur. Sed ea febris, quòd ex interuallis laceſſeret, à medicis adulantibus, aut iudicio deceptis aliquã diu neglecta, adeo uehementer demum incubuit, ut penè priusquàm morbus dignoſci poſ

ſet,& fatalis hora ſentiretur,turbata ratione ſit ereptus:paucis tamen ante horis quàm è uita migraret,ſupplex,iunctis elatísque manibus, atque oculis in cœlum pie coniectis, Deo gratias egit, conſtantiſsime profeſſus,ſed uel funeſtum morbi exitum æquo pacatoque animo laturũ, poſt quàm Parmam Placentiamque ſine uulnere recuperatas, honeſtiſsima de ſuperbo hoſte parta uictoria, conſpiceret. Vixit annis quadraginta ſeptem, imperauit octo, totidemque menſibus, & diebus undeuiginti. Fuêre qui exiſtimarent eum indito poculis ueneno fuiſſe ſublatum:nam cor eius atri liuoris maculas oſtendit,& lien prodigioſæ tenuitatis eſt repertus, quaſi peculiaris & occulta ueneni poteſtas totum id uiſceris exediſſet. Ob id coniectus eſt in carcerem Barnabos Malaſpina miniſter à poculis,non obſcuro indicio,quòd Leonem,pridie quàm decumberet, in cœna poſt hauſtum uini calicem,ſtatim obducta & triſti fronte ab eo quæſiuiſſe conſtabat,unde nam ſibi adeo amarum & inſuaue uinnm propinaſſet.adauxit quoque patrati ſceleris ſuſpicionem, quòd ipſe ſub auroram, quum ſeptima noctis hora pontifex expiraſſet, ſpecie uenandi cum canib. Vaticanam portam exiuiſſet,adeo ut à prætorianis uti fugiti uus caperetur, his ſcilicet admirantibus diſſolutum hominis ingenium, qui intempeſtiuas absque ullo pudore quæreret uoluptates, quum tota aula extincto beneficentiſsimo domino in lachrymis & luctu uerſaretur.Sed Iulius Medices,quum è caſtris ad comitia in urbem eſſet reuerſus,inſigni prudentia de ueneno quæſtionem haberi uetuit,ne in nomen alicuius magni principis inexpiabili cum inuidia quæreretur.Sed qualiſcunque Maleſpinæ animus fuerit,temere nõ affirmauerim:is certe poſt nonum annum alterius ambigui criminis reus, quaſi reſeruata à Diis in eum diem impii flagitii pœna, Mediolani capitali ſupplicio punitus eſt. Sunt & qui potius crederẽt,uenenum in pillulis ex aloe,quibus per hebdomadam ad ſubducendam aluum utebatur, ſumptum fuiſſe, decepto ſcilicet Serapica cubiculario,qui eas in loculo, uti ad frequentem uſum, negligentius ſeruare conſueuiſſet: nam biduo ante quàm Leo moreretur, Lesbius abaci præfectus nullo concepto morbo interiit, quum duas ex his pillulis de more ad tuendam ualetudinem forte ſumpſiſſet. Non defuêre tamen, qui & miniſtros & principes ea calumnia omnino liberatos uellent, quaſi pontifex obſtructa iam plane fiſtula, & ob id ſanioſis humoribus ad præcordia reiectis, lætalem morbum facile conceperit: præſertim quum & his diebus turbidus auſter nebulam peſtilentem è paluſtribus campis ad uillam importune detuliſſet. Ego certe haud obſcuris ab arte medica innixus coniecturis, nunquàm crediderim, ea membrorum robora, eamque uim largiſsimi caloris, in ipſa corporis temperatura fermè æquali, & ob id ad producendam uitam maxime idonea concidere potuiſſe,niſi alicuius nobilis ueneni ſæuitia multo impetu ad ipſa uitalia penetraſſet, quando ad perferendam quamlibet inuſitatæ uel etiam continuæ febris contumeliam, ea firmita

te cor

te corporis atque animi in multos dies omnino paratus eſſe uideretur. Erat enim ſtatura corporis admodum excelſa, toto habitu ſuccoſo potius quàm pingui, & eo quidem per ſingula membra uenuſte commenſurato, teretibus ſcilicet directiſque cruribus, & manibus candore formáque longe pulcherrimis, ſed una capitis amplitudo cætera membra, enormi prope exceſſu, nec tamen ſine dignitate ſuperauit: unde illi naturæ dono admirabilis ingenii captus & memoria rerum omnium ſingularis. ſubtrahebant etiam magna ex parte oris ſuauitatem obeſæ malæ & oculi extantes conuolutique & hebetes, uerum ſi ad pupillam inſpicienda propius admoueret, ſupra fidem acutiſsimi. ſupplices enim libellos, uel minutiſsimis literis, & crebris ſyllabarum compendiis properanter exaratos celerrime & diſtinctiſsime lectitabat: admota autem criſtallo concaua, oculorum aciem in uenationibus & aucupiis adeo late extendere erat ſolitus, ut non modo ſpatiis & finibus, ſed ipſa etiam diſcernendi felicitate cunctos anteiret. Ex ore eius uoce ſuaui & tenera ſermones profluebant ad omnes affectus exprimendos peruenuſti. nam neque in ſeriis aſtricta grauitas, neque in communibus liberalis lepor, neque in molioribus urbana fœcunditas unquàm defuit. Dictabat epiſtolas Etruſce & Latine pereleganter & expedite: componebat etiam uerſus non illepide Latinos, Etruſcos uero peramœna iucunditate delectabiles. nouerat quoque Græcas literas, nequaquàm ad oſtentationem, ſed ad præſidia Latinæ eruditionis. Legendi autem ac relegendi oblata quæque, & prælongos etiam codices abſq. ulla faſtidii ſuſpicione auidiſsimus æque & patientiſsimus fuit, adeo ut quum incomparabili memoria frueretur, omnium gentium ſæculorumque hiſtorias in exemplum actionum ſuarum opportuniſsime recitaret. Sed in eo maxime ad abſolutam laudem ſingulis rebus æſtimandis uiguit iudicium excellens, eruditum, illuſtre, tanta admiratione omnium, uti plerique ex academia fœcunditate ingenii inſignes, non temere aliunde quàm ab ipſo Leone rerum ſuarum cenſuram expeterent. Sacra confecit, ſingulaque ceremoniarum obiuit munia ſingulari cum maieſtate, ut non falſo nemo ſuperiorum pontificum eo auguſtius & decentius ſacrificaſſe diceretur. Componebat etiam uocem, vultum, geſtumque in omni occaſione negotii aptiſsime atque celerrime, transferebatque mores ad perſonam, diuina quadam præſenſione petentium uotis occurrens, ut quum forte aliquid eſſet negandum tenerrimis excuſationibus ſupplicantis animum præoccuparet, ſpeque ultro iniecta nouæ liberalitatis, totum imminentis repulſæ dolorem extingueret: quòd ſi erat, uti ferme ſemper fiebat, rogantibus obſequendum, tum uero naturæ ſuæ propenſius indulgebat, & ad cumulandum beneficium tota benignitatis & gratiæ uela pandebantur. Neminem enim adeo liberaliter beneficio eſt proſecutus, quin ab eo, ueluti concepto pudore exigui muneris, ueniam non peteret, ut non obſcure multo plura ac uberiora, quàm tum concederet, ex occaſione daturus eſſe cen

ſeretur. Sæpéque accidit, ut ſibi gratiæ à pluribus ſimul competitoribus agerentur, nemine promiſſa ſibi eripi indignante, quando unus demum è multis ſubſcripti libelli uoto potiretur, & cæteri explorata benignitate propenſi uerecundique principis, nequaquàm remittendas ſpes ſuas, ſed omnino adaugendas eſſe iudicarent. In deliberationibus grauiſſimarum rerum diu cuncta excutiebat penſitabatque, ita tamen ut decernendi tarditatem, mira exequendi celeritate compenſaret: Exigebat autem à miniſtris non modo taciturnitatem & fidem, ſed obediendi ex templóque parendi expeditum & uehemens ſtudium, eos maxime perosus, qui ad oſtentandum cautæ ſubtilitatis ingenium, quominus prompte iuſsis parêrent, importunis & curioſis interpretationibus uterentur. Tria eſſe prædicabat, uti à Laurentio patre ſæpius audiſſet, quæ magno principi in gerendis rebus & laudem & felicitatem pararent; cum amiciſsimis iudicii atque prudentiæ opinione præſtantibus diffuſe conſultare, ſtatimque ab ipſo animi decreto maturare ad perficiendum: nunquàm obliuiſci abſentium amicorum: & nullam omnio ſuſpicionem ſuperfluam putare, quæ uitæ principatuſque ſalutem reſpiceret. Summæ uero eſſe popularitatis ad opulentiam urbis annonæ commertia nullis præſcriptis pretiis aut legibus uiolare, ſublatiſque monopoliis omnia ſicuti & ora hominum, libera & uacua metu, priuatis negociatorum arbitriis relinquere; quoniam ea propoſita libertas, mercatorum auiditatem incitaret, quorum concurſu & æmulatione cuncta demum vileſcerent, & urbs ipſa repletis horreis copioſiſsima redderetur. In uindicandis autem publicis priuatiſque iniuriis exiſtimabat, uti ipſe conſueſſet, utendum eſſe temperamento, ratione non omnino difficili, ueluti perſonis atque temporibus accommodata, ut neque ex nimia ſeueritate odium, neque ex ipſa clementia exiſtimationis iactura pararetur. Volebat enim cum à familiaribus & conſanguineis tum à peregrinis & ciuibus magnopere timeri, uerum incolumi omnium erga ſe beniuolentia: nam damnabat illam diræ immanitatis uocem; Oderint dum metuant. & certe non obſcuro nobiliſsimi conſilii propoſito id in tota uita præcipue ſpectauit, ut benefaciendo & promerendo ab omnibus hominum ordinibus amaretur, famáque Medicei nominis ad perennem laudem quàm longiſsime proferretur. Sed qui ab ipſis ueræ uirtutis operibus omni honore digniſsimus habebatur, in hoc uſque tempus, quo Pauli III. ſumma uirtute renaſcentis urbis auſpicia conſpicimus, temporario ac ignobili tumulo conditus iacet: Sed meliore fortaſſe conditione ad ſpem diuturnæ laudis, quàm ii, qui inanis elogii cælato è marmore ſepulchra propinquorum expedita pietate meruerunt. Nam & poëtæ, gratiſsimum atque liberrimum hominum genus, per aliquot annos deplorata conditione temporum, & congeſtis in Leonem laudibus, certatim carminibus adfixis tumulum nobilitarunt: & nos quoque pari ſtudio & pietate conſcribendæ eius uitæ munus ſuſcepimus, ut poſtquàm ſumptuoſa

conde

condere pro fortuna noſtra non licuit, ab exiguo certe, ſed eo fortaſſe immortali liberalis ingenii monumento, iuſta & ſolennia ſanctiſsimo cineri ſoluerentur: & tum profecto non ineptè, quum iampridem extinctus princeps, inter tot accumulatas clades, quæ poſtea inciderunt, uelut quotidie renouato funere, ueriſsimis totius populi lachrymis efferretur: quippe tum decedente inuidia præclariſsime, ut in publica Vrbis & totius Italiæ calamitate, Leonis uirtus enituit. hæc enim haud dubie ad ſalutem humani generis auream ætatem condiderat, quum nos ſtatim ab optimi principis exceſſu uere ferream pateremur: Adeo ut quũ fatali errore noſtro barbara uis cædes, cruciatus, peſtilentiam, famem, uaſtitatem & dira malorum omnium incommoda nobis attuliſſet, literæ imprimis eximiæq. artes & rerum omnium copia, communis item ſalus & publica hilaritas, & denique bona omnia tanquàm eodem ſepulchro cum Leone condita lugerentur.

FINIS VITÆ LEONIS.

Diſtichon Leonis X. ſepulchro inſcriptum.

DELITIAE HVMANI GENERIS LEO MAXIME, TECVM
VT SIMVL ILLVXERE, INTERIERE SIMVL.

PAVLI IOVII NOuocom. Episcopi Nucerini

AD GVLIERMVM CARDINALEM DERTHVSENSEM IN VITAM HADRIANI VI. PONT. MAX.

PRAEFATIO.

MOVIT me praeclara quadam aemulatione gratissimi animi tui studium Gulierme cardinalis amplissime, ut Hadriani Sexti memoriam literarum beneficio ad posteros quàm longissimè proferrem. Nam tametsi magnis opibus & liberalitate penè incredibili sepulchrum marmoreis signis inter cætera Vrbis ornamenta conspicuum sanctissimi viri cineribus operosa celeritate persolueris; id tamen ad æternitatem, quam quisque optimus pro gloria auidissimè semper spectauit, nequaquàm firmissimum erit, & maximè diuturnum: quòd vel elaborata excelsaq; artificum opera, vti fortunæ atque innumeris inuidiæ casibus subiecta, vel vna nec longi quidem temporis iniuria celerrimè consumantur. Itaque & meo vetere decreto, & tua præsertim authoritate impulsus, non iniucundum tibi fore putaui, si ad dignitatem sumptuosi operis, fidelis etiam historiæ, & literarum honos, opinione mea facilè sempiternus adderetur; Scilicet ut posteri diffusè intelligant, quantum Hadrianus virtute animi pietateq; in omni fortuna præstiterit: nec è titulo tantum marmoribus inciso, sed è perpetuis actionum omnium annalibus, Christianæ vitæ exempla, sacratis præsertim hominibus petantur. & herclè desiderio votoq; tuo dignum videtur, ut optimi viri nomen, non in Vrbe tantum legatur, inclusum scilicet angustis vnius ædiculæ spaciis, uerum etiam vbique terrarum Latina uoce celebretur. Huius autem publici beneficij laus, apud te, aliquantò quàm apud authorem, verior & cumulatior erit; quum imperasse scripturo maius sit atque præclarius, quàm iubenti liberalique animi magnitudine flagitanti, me nequaquam grauatè, vel infeliciter obsecutum fuisse. Sic enim turbidioris sæculi mores ferunt, ut ditissimus quisque laudari effingiq; literis ineptum & absurdum putet; quando ipsum scribenda facere, & benigna manu excitare ingenia oporteat; quod occupatis auaritia animis fieri nequit, vnde seruili improbaq; adulationi certior atque nobilior sit locus, quàm liberalibus eloquentiæ studiis, quorum præsidio perillustre, nec periturum quidem spectatæ virtuti lumen adseratur. Nec mirum est si existimaris, optime Gulierme, inter multos bonarum literarum præcipuus, & liberalis æstimator: decurristi enim felici passu per omnes fortunæ gradus, ut in hanc summi prope honoris sedem proueherere; quum ii

bi ab ineunte ætate perpetuæ comites adeſſent rariſſimæ virtutes, innocentia, modeſtia, fides; adieciſti demum pietatem, quæ eſt vna omnium virtus ſenatore ſacerdote digniſſima. Hac enim multos diuitiis atque natalibus florentes facile ſuperas, & cum priſcæ ætatis optimis cardinalibus certiſſima cum laude contendis. Studia porrò tua plena officioſæ humanitatis, moderationis, atque iuſtitiæ ita in ſenatu, in Vrbe, totaq; Italia, atque Germania nudantur; vt quum neminem omnino ambitioſè colas, vel aſtutè captes, vel malignè circumſcribas; hic ipſe, quo emines, pilei purpuræq; honos, merito tuo inferior habeatur: Ob id ferè nemo eſt in Vrbe bonus, & ſtudioſus, qui tibi fortunas ampliſſimas, & in hac viridi, venerabiliq; canitie, ſeram felicemq; ſenectam non optet. Miſeri etiam, quorum ſanctiſſimæ ſunt precationes, pro tua ſalute uota ſuſcipiunt; utpotè quos uel durior egeſtas oppreſſerit; vel atrocior, & fœdior afflixerit morbus; vel immitis Fortuna iactauerit: & hoc loco annumerare fœminas lubet, quas profligato quondam pudore nunc demum ab honeſti decoris cura, religionis amor, abdicatis uoluptatibus intra pudicitiæ ſepta concluſit; eæ enim ſuppliciter vitam, & dignitatem tuam ſuperis commendant; Quoniam his omnibus alendis, fouendisq; pia, liberali, opportunaque manu ſemper occurris. Et id quidem iucundiore, & clariore cum laude, quod quum tibi vni, qui aurea, & verè beata mediocritate delectaris, ſis frugi moderatus, & diligens erga hos demum, veluti contemptis opibus, pietate ſingulari profuſiſſimus habeare. Igitur ea mente, qua tot virtutes colis, atque ea fide, qua ſcripſimus, hoc ingenij mei munus ſuſcipias velim: periucundus enim labori fructus cedet, ſi vnam ante omnia egregiè propenſi animi voluntatem expendes; poſtquàm id, uti volebas, & ego ipſe cupiebam, elaborata florentique facundia præſtare nequiuerim.

VALE.

HADRIANI SEXTI VITA.

NEMO unquàm ab ulla ſacrorum comitiorum memoria, ex his qui literarum & uirtutis opinione claruerit, uel minore ſua ambitione, uel tenuioribus amicorum ſtudiis Hadriano Sexto, Pontificatum eſt adeptus; quippe qui tot candidatis, qui gratia, meritis, atque opibus nitebantur, ſine contentione ſuperatis, ipſe Romæ nulli cognitus, & uix auditus ab Hiſpania extremiſque Germaniæ oris ad ſummum rerum faſtigium, tam felici, quàm inopinato euentu facile peruenerit. Ita ut hinc liquido conſtet pontificatum fato dari, comitiorumque ſuffragia nequaquam libidine decretoque hominum, ſed certa & incredibili deorum immortalium prouidentia gubernari. Natus eſt Hadrianus in inferiore Germania ad Belgicum Oceanum in urbe Traiecto, quæ prouinciæ dat nomen, ac inter Batauos & Canenifates ſummam obtinet claritatem. Nam epiſcopus ſacrorum princeps armatis etiam præeſt, & latè dominatur; eſtque ex eorū procerum inſignium numero, qui Cæſaribus adeſſe, & bello paceque operam præſtare conſueuerunt. Hunc ultimum terræ tractum Hollandiam uocant, cuius fine ab occaſu Oceani fluctibus alluuntur, cætera ad inſulæ formam bicornis Rhenus intercipit. Hadriano pater fuit Florentius, qui familiæ nomen tulerat, uir animi probitate, & ciuili induſtria potius quàm honeſtis opibus inſignis. Nam adeo anguſta re familiari utebatur, ut quum in filio à primis ſtatim pueritiæ initiis miram indolem nobilioris ingenii deprehenderet, & ob id eum altius omnino erudiendum arbitraretur, pecuniam uel in frugaliſimæ uitæ ſumptus facile ſuppeditare non poſſet. Itaque Louanium miſſus impetrauerit, ut in collegio Portiorū gratuito aleretur. Sunt enim in eo celebri gymaſio quattuor collegia diſciplinarum omnium referta doctoribus, Lilium ſcilicet, Falconium, Caſtrēſe, & Portium, in queis uetere inſtituto, honeſtis atque ingenuis, quos egeſtas preſſerit, in aliquot annos, ad capiendū ingenii cultum, alimenta publice præbentur. Per hunc modum Hadrianus patre Florentio annuæ impenſæ metu liberato, ſeſe ita liberalibus ſtudiis exercuit, ut nemo eo attentius aut ardētius literis operam nauare diceretur. Nulla ferè eum unquàm à ſcholis iuuenilis uoluptas euocabat, & quum eſſet ſupra diſciplinæ duritiem, uini, cibique parciſſimus, etiam cæteros æquales ſuos perenni continentia, & lenitate animi ſuperabat. eratque in eo tanta diſcendi felicitas, ut quæ aliis eſſent obſcura, uel nimia commentantium ſubtilitate abſtruſiora, ea iucunde rimanti apprehendentique longe facillima uiderentur. Ita paucis annis ſingulas ſcholarum claſſes ingenio & doctrina facile princeps, fæcundiſſimo curſu percurrit. Primum ei dialectici honorem detulerunt, quum

nemo eſſet eius ordinis, qui ei ſolertia & acuitate diſputãdi conferretur Pari quoque fauore apud philoſophos, uti ſæpius ſpectata eruditione inſignis, ante omnes candidatos lauream promeruit. Porrò in mathematicis ei propè unica contigit laus, quum plerumque ſine præceptore conuolutas earum artium ſubtilitates, & per ſe caperet ſedulo, & cæteris admirantibus lucidiſsime recitaret. Ad extremum tantis inſtructum diſciplinis theologi in ſcholam auide receperunt; quibus in ſtudiis perpetua cum laude uſque ad ſenectutem religioſe conquieuit, ita ut carptim tamen, & ſubciſiuis temporibus pontificii iuris decreta perdiſceret. Cæterum quod unum ei uiri elegantes defuiſſe prædicant, eloquentiæ cultioris flores, & poëtarũ amœnitates contemnere erat ſolitus, Siue quòd putaret eas ſibi aliquid de grauiſsimorum ſtudiorum authoritate detrahere, Siue quod caſtis, & piis ingeniis poëtarũ luſus, prauos mores importare, & religionibus plurimum officere arbitraretur. erat enim ſeuerita te Chriſtiana adeo uerecundus, ut nihil niſi ſobrium, & pudicum, uel ioculariter auribus admitteret. Eo modo probatiſsimi nominis fama frutentem Margarita Maximiliani Cæſaris filia, quæ tum Belgis imperabat, ſacerdotio parrochiali in Hollandia liberaliter honeſtauit; quod tam ſibi inopinatum eſt uiſum, quàm poſtea pontificatus ſummus, per ſingulos officiorum & ſacrorum ordines euadenti, inexpectatus fuit. Enimuero præclara uirtus adeo ei proſperè Fortunam, & principum animos conciliarat, ut quum nihil prorſus ambiret uel appeteret, ſed in altitudinem ſtudiorum abditus, ſæpe hominum qui literas neſcirent, colloquia deuitaret, ad honores, & dignitates occultiore ui ſyderum non inuitari, ſed rapi crederetur. Nec multo poſt ab hac morum & doctrinæ prærogatiua, ſuffragiis ſacerdotum omnium Louanii in templo maximo Decanus eſt effectus, qui eſt in ea urbe inter ſacratos homines ſummæ dignitatis locus. Id quoque ſacerdotium alium honorem ſecum traxit: Is eſt in gymnaſio præcipuæ poteſtatis & præcellentiæ magiſtratus, uicecancellarium uocant, in ſcholis collegiorum omnium cuncta moderantem. Nam ei profeſſores deligendi, cõmutandique, & quod eſt præcipuum, & inſigne munus benemeritos de optimis ſtudiis laurea exornandi, cura demandatur, tanquàm uiro in omni doctrinæ genere peritiſsimo, qui non temere quenquam, nec niſi acerrimis à graui iudicio diſputationibus excuſſum, omnibusque obiter probatum ſuffragiis, laurea corona, & peramplis priuilegiorum codicillis decoraret. Ab hoc ſacerdotio, magiſtratuque ditior factus, nihil mox antiquius duxit, quàm Louanii collegium, ut quintum adiiceretur, ſub Hadriani nomine luculenter ædificare, adiunctis prædiis, quibus ſtudioſi adoleſcentes oppreſsi inopia cum doctoribus alerentur. Gratiſsimo namque animo, quum Portii collegii benignitatem agnoſceret, priuati beneficii gratiam, publica liberalitate reponendam ſtatuebat. Quod adeo ſupra eius uires Louanienſibus eſt uiſum, ut non minus ambitioſe quàm piè tantæ rei inchoandæ

conſilium ſuſcepiſſe diceretur,quando facultates eius, quæ erant medio cres,uix iaciendis fundamentis ſuffecturas appareret. Sed quum parſimonia,& ſancta frugalitate auctiores ſibi efficeret rerum omnium reditus,andeo ingenti animo cuncta eſt complexus,ut ſibi iam tum ampliorem, & ſupremæ quidem proximam, Fortunam præſagire uideretur. Ferunt Bernardinum Caruaialem Hiſpanum, qui erat inter cardinales authoritate, atque opibus inſignis, quum id collegium tam felici auſu cœptum,quàm facili ſucceſſu operis perfectum admiraretur, quodam ingenuo dolore concepto,fortunæ ſuæ indignantem ſuſpiraſſe, quoniam id opus ad laudem ſempiternam Decanus haud planè diues condere fuiſſet auſus,quod ipſe tantus cardinalis ſicuti ab antiquo animi decreto deſtinaſſet,nondum inchoare potuiſſet. Per id tempus Philippus Hiſpaniæ rex Maximiliani Cæſaris filius apud urbem Burgos morbo correptus interiit;relicto Carolo ſeptenni filio,qui nunc amplitudine imperii, & Auguſti Cæſaris nomine inſignis rerũ potitur. Huic ipſe auus Cæſar felici prudentia,quum præceptorem eſſet daturus, unum Hadrianũ præcipua quæſitum cura delegit,repudiatis qui ſe ambtioſe obtulerant, uel amicorum ſtudio producti, ingenium uariis artibus oſtentabant. Enimuero ille grauis,& pius imperator non modo lectiſsimarum literarum magiſtrum,ſed optimorum etiam morum egregium formatorem tantæ indolis & fortunæ puero adhibendum exiſtimabat,quaſi eum iam ſupra Hiſpaniæ regni hæreditatẽ quæ ei materno nomine obueniebat, ſibi in imperio ſucceſſorem fore diuinaret. Dicere enim ſolebat turpe quidem eſſe magno principi neſcire literas, ſed longe turpiſsimum his eum moribus atque uirtutibus omnino caruiſſe;quæ populis & gentibus imperantem,cum eximia pietatis,atque excellentiæ laude contra ſuperbiam, atque libidinem & reliquas immoderati animi cupiditates inuictum penitus,& incorruptum præſtarent. Nec Hadrianus Cæſaris opinionem fefellit,quum nemo ferè ipſo ſolidæ doctrinæ opinione celebrior, nemo ſobrietatis, & caſtimoniæ laude ornatior, nemo uitæ modeſtia,innocentia, religione preclarior haberetur. His enim exactæ diſciplinæ præceptis Carolum adoleſcentem per ſe natura docilem ingenioque pacatum ad has,quas in ipſo maximo,atque optimo imperatore impetrata pace, & Franciſco Sforcia reſtituto agnoſcimus & admiramur, incomparabiles iuſtitiæ,probitatis & clementie laudes prouexit; ita, ut afflicta tot malis Italia, quum æquiſsimi & moderatiſsimi principis beneficio ſublatis bellis pacem receperit;in eiusque ſalutari tutela,nunc primum ſecure admodum reſpiret, & periucunde refloreſcat, non modo gratiſsimis uotis,Cæſari gratias, uti ſalutis & quietis authori, habendas exiſtimet,ſed magiſtrum etiam pro ſua pietate in cœlum receptum, qui diſcipuli animum ſanctiſsimis moribus inſtruxerit, religioſiſsime ueneretur;Quoniam aliquanto maius,& auguſtius fuit,optimi, quàm maximi principis cognomen bonorum omninm iudicio meruiſſe: Quum

ea omnia,quæ benigna manu Fortuna præbuerit, eius etiam nunc potestate impotentíque arbitrio teneantur : illa uero diuina uirtus,qua duce, non modo ad totius orbis imperium,uerum etiam consumata uictoriarum laude, in cœlum certis passibus contendit, firmissimam possessionem sempiterni fructus,& perennis gloriæ præstare uideatur. Defuit tamen Hadriano summa felicitas in excolendo puero; Nã Carolus quum mores in principe literis potiores existimaret,nec his perdiscendis tantum operæ,uel temporis,quantum equorum,& armorum studiis impertiendum arbitraretur,deprecãte præceptore citius quàm debebat scholam deseruit.Ferunt Carolum Ceurium nobilem Belgam, qui tum erat nutritius,ut integra adolescentis possessione fũeretur, alumnum militares iocos sæpius offerendo sensim auertisse à literis, proptereáque Hadrianum authoritate imparem, & natura lenissimum officio facile decessisse:Ita tamen ut discipulo perblande diceret,futurum aliquando,ut eum præsentis negligentiæ pœniteret. Audiui ego Cæsarem quum Genuæ Latinam orationem à quodam recitatam nequaquàm præclare intelligeret, suspirantem hæc uerba ingenuo ore protulisse : Agnosco inquit,nunc maxime,& cum dolore quidem Hadriani magistri mei diuina monita,quum hos flores, & elegantias Latini sermonis percipere nequeam,& meminerim eum sæpe prædixisse me aliquando puerilis incuriæ pœnas daturum.Itaque Ceurio ad summam potentiam cõtendente, Hadrianus ad Ferdinandum regem in Hispaniam mittitur amplissimo quidem cum munere legationis, nisi ea honoris specie uir æquissimus longius ablegari uideretur.Erat eo tempore Ferdinandus animo nequaquam pacato erga regulos ulterioris Hispaniæ,quòd primo statim Philippi generi aduentu,deserta ueteri aula sese ad illius amicitiam recepissent,quum ferè omnes pro sene,& eo quidẽ genere Catalano, & parum liberali, nouum atque legitimum regem iuuenta,natalibus,& uitæ splendore maxime florentem,cupide sequerentur:usque adeo, ut Federicus Toletanus Albæ regulus ferè omnium solus integra sacramenti religione fidem seruaret.Quibus procerum studiis Philippus eò sese extulerat, ut socerum planè exutum ulteriore Hispania iuuenili quadam alacritate contemnere uideretur,maneretque sola inter eos imago necessitudinis & amicitiæ,non expressa quidem mutuis officiis, sed inanibus tantũ epistolarum & uerborum titulis sustentata,tanta quidem utrinque suspicione,ut quum ad cõstituendas leges, quibus in regendis prouinciis uterentur, speciemque coniuncti animi populis præbendam, necesse esset ut in colloquium deuenirent, delecto campestri loco, parum familiari habitu,tanquàm ad hostilem aciem promotis utrinque equis sint congressi.Nec multo post Ferdinandus Neapolim nauigauit, ut inde Magnum Consaluum abduceret,uirtute & liberalitate,suspectisque artibus ad imperium aspirantem.Sed eo in Italiam nauigante Philippum uehemens extinxit morbus,itaque rebus cùm Neapoli,tum in Hispania feliciter

citer cõfectis,rediens Ferdinandus aliquantò amarior,& aſperior eſt effectus aduerſus proceres,qui propter intempeſtiuam ingrati animi leuitatem,intemperanti obſequio noui regis gratiam,ueteris maieſtatis honori prætuliſſent.Harum igitur offenſionum memoriam Hadrianus ex animo regis opportuniſsimo tempore deterſit. Erat enim ad temperandas affectiones regis tum exulcerati, & ad uindictam uergentis ingenii uehementer accommodatus;tum ipſa ſanctiſsimorum morum exiſtimatione,tum ſuauiſsimis philoſophiæ Chriſtianæ præceptis; quib. rex ipſe prudentiæ,& religionis laude inſignis,facilè obtemperabat. Regulis eo modo ſincera fide ab rege in amicitiam receptis, Derthuſenſis epiſcopus fato ceſsit;in cuius locum iudicio regis & procerum omninm, Hadrianus nequaquàm eius honoris appetens eſt ſuffectus. Exiſtimabatur enim eo ſacerdotio longè digniſsimus, quoniam præter incomparabiles uirtutum omnium dotes, ſe etiam tanto oneri fore imparem, uerecunda reluctatione prædicabat,& non modo opes, uerum & conſpicui nominis amplitudinem,non exiguo ſed modeſto animo contemnere uideretur.His ſuſceptis epiſcopatus inſignibus,nihiloſecius in uetere obeundæ legationis munere perſeuerauit uſque ad uitæ exitum Ferdinandi regis,qui eum propter eximiæ probitatis,atque iuſtitiæ laudem, ſanctiſſimi parentis loco enixè coluerat.Mortuo autem Ferdinando,quum Carolus nepos ſummo populorum ſtudio, tot regnorum hæreditatem adiuiſſet,remanſit etiam tum in Hiſpania ex legato conſiliorum rerumque omnium particeps, & moderator effectus, quanquàm ſumma regendæ Hiſpaniæ cardinalem Toletanum reſpiceret.Secutum demũ eſt id tempus,quo Leo pontifex in Vmbria difficili bello implicitus, eam cardinalium coniurationem detexit, cuius princeps fuerat Alfonſus Petrucius Senenſis. Is enim à Leone patria pulſus, quum uindictæ libidine atrox facinus animo agitaret,iracundiæ ſuæ decretum cum aliquot cardinalibus ſtultiſsima linguæ libertate communicarat;unde mox indiciis nefarii conſilii facilè deprehenſis,ipſe in quæſtione tortus,& demum nec atus inſaniæ ſuæ pœnas dedit; cæteri quòd neglecta ſalute pontificis, tanti periculi conſilia minimè detuliſſent, adempto iure punicei pilei cũ ignominia ſenatu ſunt amoti. Fuêre ii Raphaël Riarius,& Bendinellua Saulius Ligures,& Hadrianus Cornetanus, Franciſco autem Soderino clementer ignouit,ne ſi ob recentem iniuriam ſenatu motus eſſet, id ueteribus odiis dediſſe uideretur.Ad horum calamitatem ſenatus reputatione periculi conſternatus, quum alienos ab ea ſeueritate animos in dicendis ſententiis oſtendiſſet, pontificem impulit, ut nouis cardinalibus curiam impleret, indignatum quòd parum beniuolo fidelíque animo detectæ cõiurationi crederetur.Ea enim tum uidebatur ſenatorum naturæ lenitas,ut pleríque in miſericordiam uerſi, nequaquàm uti debebant,principis periculo permouerẽtur,& eam cogitati ſceleris pœnam, non iuſtitiæ,ſed crudelitatis nomine,haud obſcuris ſermonibus appella

rent. Quibus de cauſis Leo beneficii pariter atque iniuriæ natura grauis æſtimator, ut inimicorũ contunderet ſpiritus, & maiores & fideliores ne ceſsitudines ſibi, & Mediceæ familiæ compararet, unum & tiginta cardinales, una atque eadem liberali pronunciatione in ſenatum legit, egregio ædepol excellentique delectu, Si in uniuerſum quiſque à morum literarumque cenſura ſpectaretur, nec immodicus numerus ſeueriorum animos offenderet, qui ſacroſancti ordinis dignitatem imminui, & fœdari tanta multitudine prædicabant. In his fuit Hadrianus Leoni quidẽ antea ab egregia nominis fama planè cognitus, ſed tum præſertim Maximiliani Cæſaris literis, & Alberti Pii, Guliermíque Enchauordii pleniſsima comendatione laudatus, erat hic Guliermus ex eadem inferiore Germania uetus eius familiaris: qui quum pontificia in aula ab ineunte ætate honeſta cum laude ſolertis induſtriæ uerſaretur, Hadrianum impensè laudare, & doctis ſanctiſsimísque uiris omnibus noſtræ ætatis præferre erat ſolitus. Itaq. Hadrianum arridentis Fortunæ prorſus ignarum, nec tale quicquam tranquillo ingenio cupientem, is qui pileum ab urbe detulerat, operandis ſacris occupatum inuenit, ita ut quieta admodum, & lenta quadam hilaritate uenientem excipere, nec paulò iucundius, & liberalius tanto munere lætari uideretur; qui animi habitus ea moderatione definitus erat, ut nihil ad inuidiam propter faſtum, ſed propter incorrupti animi ſimplicitatem ad gloriam omnium teſtimonio uerteretur. Sequenti anno Carolus confirmata cum Franciſco rege ad Nouiodunum amicitia, quam iniquis conditionibus impetraſſe uidebatur, in Hiſpaniam uenit; circumuectusque per ulteriores prouincias, paſſim ciuitates, & regulos in uerba iurantes ſacramento adegit: nec multò poſt Cæſar Maximilianus in Germania moritnr. Inde pro nouo Cæſare deligendo, procerum comitia habita, in queis ipſe etiam Frãciſcus Gallorum rex magnis innixus largitionibns pro ſe eum ſummi imperii honorem petebat. Sed Germani natura Gallis infenſi, quanquàm nonnulli præſenti pecunia corrupti, & ingentium pollicitationum ſpe inducti labare uiderentur, facile tamen rerum omnium, præterquàm publici decoris memoriam abiecerunt. atque ita Carolus cunctis ſuffragiis Cæſar eſt appellatus; Nec mora, tãto cognomine auctus, uti neceſſe erat, quàm primum in Germaniam redire cõſtituit, ut de more apertis in campis, & Cæſar, & Imperator militaribus comitiis acclamaretur. Itaq. eo in Calecos ad Columnas Herculis antiquũ portum, ut inde per Oceanũ in Germaniam nauigaret, contendenti, Hadrianus cum imperio toti Hiſpaniæ præficitur, tanta cum dignitate, ut Cæſar recuſantẽ, & præoptantẽ ſequi, humaniſsimis præcibus, ut manere uellet, exorare cogeretur; quando rege abſente in Hiſpania præſide opus foret præclaræ dignitatis & famæ, qui populos nequaquàm adhuc parendi obſequio cõfirmatos, omnibus moderationis atq. iuſtitiæ exẽplis in officio contineret. Verum Hadrianus, uel ob id in Hiſpania remanebat inuitus, quòd alienæ improbitatis in

uidiam

uidiam ſibi uiro innocentiſsimo minimè ſubeundã eſſe iudicabat. Erant enim Hiſpani fermè omnes Belgis ipſis uehementer irati, qui Ceurio principe atq. authore, ciuitates inuſitatis auaritiæ commentis expilaſſent. Siquidem Ceurius Caroli nutritius, uti erat in procuratione rerum omnium cum incredibili authoritate conſtitutus, in unam eam præſertim curam rapacis ingenii neruos intenderat, ut quanta uis maximè poſſet ſignati auri, uel impudenti ratione cogeretur. Erat enim nouo Cæſari paranda claſsis, exornandus in Germania exercitus, remunerandique proceres, qui eximia & conſtanti ſuffragiorum benignitate, Auguſti Imperii coronam detuliſſent; is erat in Ceurio conſilii prætextus: cæterum quum omnia apud eum eſſent uenalia, non Cæſarianos modo, ſed priuatos etiam loculos inexhauſta cupiditate auro replebat, adeo ut paſſim fœdiſsimis auaritiæ probris, & maledictis proſcinderetur. Oderat Ceurium Hadrianus propter acerbitatem atque inſolentiam auarioris animi; & ſuper hæc manebant adhuc ueſtigia ueteris iniuriæ: nam Hadrianus dum Louanii collegium conderet, coniuncti ſoli non magnam aream cum attigua domuncula ad maiorem publici ædificii laxitatem & elegantiam, à Ceurio nec æquo precio, nec religioſiſsimis precibus impetrare potuerat. Exiſtimabat etiam ſe in Hiſpaniam ſpecie honoris fuiſſe ablegatum Ceurii impulſu, ut Carolus adoleſcens uno ipſius imperio pro libidine regeretur. Tum uero minimè dubitabat quin & eius quoque opera in Hiſpania relinqueretur, ut ad arma conſternatæ & planè deſciſcentis prouinciæ, immani æſtu & ſæuis fluctibus iactatus & abſorptus interiret. Nec eum fefellit opinio, nam Cæſare iam adhuc Toleti agente, haud uanus rumor increbuit coniurare in unum ulterioris Hiſpaniæ populos, & Toleti eſſe qui Ceurium opprimere cogitarent. quibus cognitis Carolus Ceurio trepidè ſuadente adeo properè cunctiſque inopinantibus, & ſpurciſsima quidem cœli tempeſtate urbe exceſsit, ut nequaquàm proficiſci, ſed præ metu prorſus effugere crederetur.

Vbi Cæſar ad Oceanum peruenit, legationes ad conuentum euocantur, & quæ eſt conuentuum fermè omnium ſumma, pecuniæ poſtulantur, quas imperare nefas eſt, niſi reges ad promerenda ea ſubſidia, populis uariarum rerum immunitates concedant. Petebatur autem ab uniuerſis, ut ciuitates Belgis præſidibus liberaret, hiſque honores æquiſsima liberalitate indigenis hominibus mandarentur. namque officia ita ad quæſtum Belgis dono data erant, ut ea demum præſenti pecunia Hiſpanis hominibus uenderentur. Sed Cæſar durior eſt inuentus, quoniam ea inſolenter atque ſuperbè petentibus, nihil ferè concedendum arbitrabatur: Comminatus etiam fuerat Petro Gironi regulo, qui non dubitaſſet contumaci ore profiteri, ſe oſtenſurum quid in Hiſpania authoritate clientelisque ualeret, poſtquàm Cæſar ſibi iniqua lite circumuento, & ſemioppreſſo ius dicere recuſaret. Cæterum aliquot ciuitatum legati, qui, ut priuatim gratiam & præmia promererent, Cæſari grauiora pecuniæ

ſubſidia petenti propenſiore obſequio obtemperar ant, à ciuibus ignominia mulctantur, nonnullíque etiam populari tumultu pulſantur: eodem quoque iudicio Segobienſes legatos ſuos, quoniam audacter & fortiter pecuniam ſe collaturos pernegaſſent, niſi ampliſsima immunitatis priuilegia eſſent conſecuti, tanta cum lætitia & gratulatione receperunt, ut honoris cauſa triumphantium more urbem intrarent. Quibus de cauſis Hadrianus initia rebellionis maturè opprimenda exiſtimans, aduerſus Segobienſes Ronchillium ſæuum atque atrocem rerum capitalium præfectum, cum ala prætoria, & cohorte cuſtodum corporis mittit, à regulis etiam proximis auxilia implorat, quibus diſcedens Cæſar ipſum totius Hiſpaniæ præſidem creatum uehementiſsimè commendarat. Verum Ronchillio Segobienſium agrum deuaſtante, & commeatus è proximis oppidis in urbem importari prohibente, ut fame ſubigeret, Toletani & Salmanticenſes in auxilium Segobienſibus aduolant, & pulſo Ronchillio obſidionem ſoluunt. Tum uerò Hadrianus ingenti cura angi, euocare beneficiarios proceres, & ampliores copias parare, quibus effrenes inſanienteſque populos ad officium reuocaret. Ante alios Antonius Fonſeca Cæſaris partes ſuſcipit & ad Metimnam campi nobi le emporium proficiſcitur, ut inde ænea tormenta, quæ regiis armamentariis ſeruabantur in præſentes uſus educeret: Facilè intelligens nullam uim uel militaribus copiis nullamque uel optimo duci ineſſe authoritatem, quæ iuſto tormentorum apparatu caruiſſet. At Metimnenſes uti planè eodem iudicio publicam cauſam ſecuti fœderatíque finitimis, captis repentè armis, ne tormenta educantur, egregiè reſiſtunt. Id uero minimè ferens Fonſeca uir nobilis, & ingenio ferox, ut plerunque fit in turbidis & repentinis caſibus, auxilium planè audax, & ſucceſſu longè fœdiſsimum capit: proximis etenim tectis ignem inferri iubet, ut in ſummo urbis & fortunarum omnium periculo, ciues à tuendis tormentis, ad reſtinguendum incendium ſeruandamque patriam nequaquàm inepta ratione reuocaret. Sed tanta ueſanis obſtinatiſque animis contumacia inerat, ut tueri tormenta, quàm patriam ab miſerabili incendio ſeruare pulchrius exiſtimarent, adeo ut diſcedente Antonio, ſeruatiſque tormentis, tanquàm uictores in ipſis patriæ cineribus effuſe lætarentur. Ferunt ingentes opes, & precioſa totius Europæ mercatorum, qui nundinas ibi celebrarent, mercimonia omnis generis, & aromata item Luſitani regis incomparabili iactura conflagraſſe; quæ res ſicuti Hadrianum incredibili dolore affecit, quòd tantæ cladi cauſam præbuiſſe uideretur, ita populos iam ſuoptè ingenio nequaquàm regiis magiſtratibus parentes ad rebellandum ea ueluti accepta iniuria uehementer incitauit, nam haud dubie totius Hiſpaniæ opes uno eo incendio abſumptæ uidebantur. Nec mora ſingulæ ferè ciuitates præter Bethicas, in unum coniurant, copias inſtruunt, & non obſcurè, uti erectæ ad libertatem, à præſidibus Cæſaris rebellant. Regium tamen nomen in honore habent, &

magi

magiſtratus tantum odiſſe uideri uolunt, à quibus expilati oppreſsíque indigniſsima paterentur. Ante omnia iudices creantur uiri fortes acerrimíque, qui cauſam populorum cognoſcant. Tum uero humillimo cuique fas fuit iniurias deferre, & liberrime conqueri de impotentia acerbitatéque prætorum, qui contra conſuetudinem antiquorum Hiſpaniæ regum populos omneis nulla moderatione uexauiſſent. ea enim diſerte conſcripta ad Cæſarem, vt flagitia ſuorum inſpiceret, continuo miſſuros dictitabant. Erat tum Valeoleti Hadrianus cum ſenatu regio euocandis regulis & parandis præſidiis intentus, cum ad eum popularium copiæ, duce Petro Girone, qui vnus ferè nobiliſsimi generis à Cæſare defecerat, pacato agmine veniunt; quorum aduentu cognito, ſenatores metu territi, alii alio habitu, atq. itinere dilabuntur. Hadrianus autem eodem animo urbe egreſſus, dum abire contendit à Girone Ioannéque Padillia ſiſtitur, ii ſummo cum honore uerborum eum cohortantur, ut redire in urbem & conquieſcere uellet, ſatis ſuperque enim perſpectam eſſe omnibus Hiſpaniæ populis ipſius uirtutem, innocentiam, moderationem, atque ita ipſum, atque ipſius nomen omni tempore propenſiſsime colituros, ſe & tum Cæſaris nomini parêre, & perpetuo fidem ſeruaturos; Sed decreuiſſe benemeritas de regum nomine ciuitates nolle eas turpiſſimæ ſeruitutis compedes diutius perferre, quas auariſsimi, & iniquiſſimi uiri adoleſcentis regis præſides nihil tale expectantibus innexuiſſent. Hadrianus itaque tranquillo uultu poſtquàm ita neceſſe erat, armatis hoſtibus paret: Verum dat ſecreto operam cum ſacerdote quodam, ut perfoſſo urbis muro, qui uetuſtate obſitus facile terebrari poterat, noctu educeretur, quoniam priuato captoque ſimilis, poſtquàm ſenatores diffugiſſent, parum incolumi dignitate, ſibi nequaquàm diutius permanendum apud rebelles arbitrabatur, & in proximo Riuoſicci oppidum erat Amirantis reguli, ad quem perfugere cupiebat, nec multo poſt omnibus deceptis intempeſta nocte perforato muro ſeſe eiecit, conſcenſiſque ad id præparatis equis cum ſacerdote in pacatum euaſit. Eius fugam Valeoletani quanquàm grauiter tuliſſent, tamen familiam cum uniuerſo apparatu ad eum inuiolatam poſtero die præclara uenerationis atque obſeruantiæ teſtificatione dimiſerunt. Interea Cæſar cognita tredecim ciuitatum defectione, opportuno ſalubriſque conſilio, duos ſummæ dignitatis atque uirtutis regulos regendæ Hiſpaniæ præficit, eoſque ad perſequendos qui defeciſſent, pari cum imperio duces creat: Indacum ſcilicet Vellaſcum, qui erat magiſter equitum; & Federicum Henricum, quem ab ipſa maritimi officii præfectura Amirantem uocabant. Hi coactis undique copiis, ad Riuoſiccum Egurrorum olim forum, ubi tum erat Hadrianus, cum paucis ſenatoribus perueniunt, & de gerendo bello conſultant, omnibuſque conſiliis Hadrianum adhibent, quanquàm is nouo ſucceſſorum aduentu ueluti abrogata poteſtate penè priuatus eſſe uideretur: quaſi is qui eſſet externus & Belga, itemque uir ſacratus &

ſenex, belliq́ue penitus ignarus, militaribus conſiliis minime foret admi ſcendus. Sed ſingulari humanitate æquitatéque ducum facile fiebat, ut priſtino honore, & ſolita rebus in omnibus authoritate potiretur, ita ut ambo Hadriani domum honoris & reuerentiæ cauſa communi quadam benignitate frequentarent. Dum hæc à Cæſarianis ducibus parantur, populares ad ſummum inſolentiæ prouecti, non modo eos qui à regiis iniurias pertuliſſent audiebant, & bona ſpe maturæ libertatis implebant, ſed populos etiam nobilioribus regulis ſubiectos tanquàm publici diſceptatores cauſarumq́ue omnium ſupremi iudices, ut magnis queri moniis iniurias deferrent, inuitabant. quæ res importune mota, procerum omnium animos ſubito timore corripuit, adeo ut qui modo eius belli tumultuſq́ue ſpectatores eſſe cupiebant, tam propinquo periculo monerentur, ut ſeſe protinus ad regios conferrent, tempeſtiuaque inclinatione applicando uires, & promererent gratiam apud Cæſarem & ad uerſus populares ditionem & dignitatem ſuam in tuto collocarent. Eadem de cauſa Petrus Giro deſertis eorum caſtris ad nobiles ſe recepit, quo diſcedente Ioannes Padillia à Toleto, & Ioannes Brauus à Salmantica duces creantur, & ad Tordeſillam contendunt. hæc olim fuit Segi ſama Iulia, ubi regina Cæſaris mater à Philippi coniugis interitu mente commota, in lachrymis, deſperatis medicinæ remediis, miſerabilem uitam ducebat. Igitur eam uti reginam ſalutant, ſuadent ut munia reipublicæ ſuſcipiat, & ſeſe aduerſus externos præſides uti Ferdinandi regis filiam deceat, cuncta gubernet. Hæc omnia quum ipſa alacri animo ſe facturam diceret, & ex interuallo atræ bilis nonnunquàm opportuna loqueretur, utpote quæ ſe Cæſaris matrem, ac Ferdinandi filiam tenaciſſime meminiſſet, nequaquam tamen adduci potuit, ut libellis, & codicillis ſubſcriberet, ita ut ea uecordi detrectatione, popularium conſiliis magnum incommodum afferre crederetur. Interim Padillia ne ocium tereret, copias ad oppidum Villapandam ducit, cuius diſceſſu præclaram occaſionem rei bene gerendæ Fortuna Cæſarianis ducibus oſtendit: remanſerant cum regina popularium principes, & illi præſertim iudices, ad quorum nutus cuncta gerebantur, exiguo cum præſidio militari. Itaque Vellaſcus & Henricus opportuno tempore eductis copiis ad Tordeſillam aduolant oppidum temere munitum, priuſquam Padillia fiat certior atque opem ferat, inuadunt & occupant. Iudices ipſi cum magna imbellium popularium turba capiuntur, diripitur eo impetu oppidum, atque ipſa etiam reginæ domus. quo negocio ad momentum ſummæ uictoriæ proſpere confecto, ad Riuoſiccum reuertuntur. Nec multum inde Padillia & Brauus his detrimentis acceptis, ſe ipſos colligunt, parandaſq́ue maiores copias cenſent, quibus ſeſe aduerſus regios tueantur. Erant apud oppidum Torum circiter octo milia hominum, ex his qui pro publica ſalute libertatéque, Zamorenſi præſertim epiſcopo concitante, arma ceperant. Zamora autem antiquitus Sarabris fuit: ad hos

ut in

ut in unum iungerentur, Padillia & Brauus motis caſtris contendunt,& ex itinere Lupatoniam turrim, quæ erat in ditione Amirantis, acriter oppugnant. At regii duces de conſilio, itineréque hoſtium haud inani coniectura iudicantes, quin & ipſi protinus copias educerent, nullam omnino conſultationi moram attulerunt: quoniam magnæ fecilitatis arbitrabantur, ſi hoſtibus, priuſquàm maioribus copiis augerentur,occurrerent. Itaque à Riuoſicco cum expedito tormentorum apparatu obliquis itineribus profecti, nouiſsimum hoſtium agmen apud uillam Alariam conſecuntur. Erant ſuperiores peditatu populares,ſed eo tamen tumultuariis armis inſtructo, & prorſus ignaro militiæ: equitatu autem regii ſuperiores erant cum numero, tum uirtute, nam quiſque regulorum ſecum inſignes & ueteranos equites adduxerat. Quum in conſpectu utræque acies eſſent, & à regiis antecurſoribus abeuntium terga premerentur,& undiq.regii toto campo prouolarent;Padillia & Brauus pedeſtres copias maturè progredi iubent, ipſique alacriter cum uniuerſo equitatu ora conuertunt, ut dum inſultantium impetum à tergo ſuſtinent, peditibus ſpacium detur conficiendi eius exigui itineris ad tutiſsimum receptum; nam uilla Alaria, ut diximus, erat in conſpectu. Cæterum Padillia & Brauus acerrimo cum primis contracto certamine,dum ſeſe audacter efferunt, & à peditatu temere diſiunguntur, intercepti circumuentique à multitudine regiorum equitum capiuntur. qua fortunæ iniquitate territi pedites,dum prima acies ad uillam effugit,& poſtrema victorum impetum non ſuſtinet, toto campo conciduntur: fugientibus tamen, & ad terram arma proiicientibus, non obliti humanitatis Vellaſcus & Henricus, parci iubent, tantus enim pauor amiſsis ducibus militum animos occúparat,ut qui paulò antè ferociſsimè atque acerbiſsimè uociferando, regiis extrema ſupplicia minabantur,puncto temporis animo conciderent, nec quicquàm aliud quàm fugam abiectis etiam gladiis ſpectarent, ita ut nulla eorum integra manus uti pauore diſsipata ex tanta multitudine in unum omnino certum locũ euaſerit. Poſtridie Hadrianus prælii campos inuiſit, & quanquàm ſacrato homini tot conſpectis hoſtium cadaueribus,non erat exultandum, ea tamen uictoria, uel ob id magnopere eſt lætatus,quòd nefarii belli duces uiui in poteſtatem deueniſſent. Eos Vellaſcus, & Henricus noxiorum habitu ad ignominiam aſinis impoſitos per caſtra circumduci ſub uoce præconis, & demum iugulari iuſſere, ut cæteros eo ſupplicii exemplo deterrerent. Ferunt Padilliam æquo pioque animo tuliſſe eam calamitatem,Brauum uero contumaci ore ſe proditorem eſſe pernegaſſe,ac ob id à lictore uirga immaniter fuiſſe uiolatum, ad quem Padillia conuerſus dixiſſe fertur, heri inquit ſodes ſumma uirtute nobis depugnandum fuit, hodie autem ea æquo animo ſubeunda arbitror, quæ Fortuna tulit conatibus noſtris aduerſa, quum nemo niſi parum pius aut inſanus ad immortalem deum, in hoc infelici uitæ exitu animum non conuertat. Cæterum ultimis

omnium Toletanis uix dum pacatis, bellum Gallicum eſt exortum: per occaſionem enim tumultuantis Hiſpaniæ Aſparoſius Lotrechii frater Nauarræ regnum inuaſerat, occupatóque Pompelone atque eius arce in poteſtatem redacta, ad Hiberum uſque amnem arma promouerat. Neque enim ulli humanarum rerum non ignaro, dubium erat, quin Cæſari in ipſa occupatione inteſtini belli, aliquod ſæuum vulnus inferretur. Sed Fortuna quæ eius rebus effuſiſsime ſemper fauit ſublatis diſcuſsisq. periculis longè ſecus ac ſanus quiſquam putaſſet, cuncta opportuna atq. facilia ad uictoriam parauit. Nam populi qui dudum ad fidem redierant defectionis infamiam egregia uoluntate, & illuſtribus factis diluere cupiebant cohortantibus ducibus regiis, atque ipſo præſertim Hadriano paſsim concionante facile contra Gallos arma uerterunt, qui certe niſi magnis laborioſiſque delectibus latè habitis, magnáque imperata pecunia exciri, armariue in ipſo ocio minime potuiſſent. Itaque ualido exercitu Hiberum propere traducto, hoſtes in Nauarræ finibus adſecuntur. Galli tum forte à Grunio, quod antiquitus Iuliobriga dicebatur, ad Pompelonem modicis itineribus ſeſe recipiebant, utpote qui de calamitate popularium, regiorumque uictoria certiores facti, in tuto ſiſtenda ſigna, & Pompelone expectanda auxilia prius quàm de prælio decertarent, arbitrabantur. Sed quum eorum inordinatus, & ſegnis admodum eſſet receptus, Vellaſcus & Henricus tranſuerſis & aſperis tramitibus progreſsi, ita eorum iter celeritate in paucis miliaribus adæquarunt, ut à fronte uiam quæ ad Pompelonem ducit, occuparent. Nec mora collatis ſignis pugnari cœptum, & ab initio quidem feliciore Gallorum equitum irruptione, qua Cantabrorum cohortes protritæ, fugatæque fuerant. Sed ubi Hiſpani expanſis equitum alis à tergo & à lateribus ſeſe intulêre, & peditum promota ſunt ſigna, Gallicæ turmæ, & Vaſconum cohortes numero ualde inferiores ſuſtinere nequiuerunt, quin ſeſe in fugam præcipiti curſu mandarent, pauci in acie, multi in fuga cecidêre, aliquos etiam prælatæ ſegetes in fuga prætexerunt. Aſparoſius dux ipſe colliſa ferreis clauis galea uehementiſsime ſauciatus in poteſtatem Beomontii reguli deuenit: captus eſt & Tornonius qui pari propè cum imperio copiis præerat. Cæterum Beomontius Aſparoſium non multo poſt carcere emiſit, ut creditur, pecunia corruptus; cuius admiſſi ſceleris pœnas poſtea iudicio Cæſaris exilio, ſi non capite perſoluit. Tornonius autem apud Hadrianum, & duces in libera cuſtodia eſt retentus. Ea uictoria feliciter parta, omnes Nauarræ regni oppidorum atque urbium portas Cæſarianis aperuit, atque inde demum Hadrianus ad urbem Burgos eſt reuerſus, exardentéque bello cum in Belgica, tum in Italia aduerſus Gallos occupatóque in ora Cantabriæ à Gallis fonte Rabido, operam dedit, ut nulla in re Cæſar, aut diligentiam aut fidem omnino deſideraret. Interea Leo pontifex leui ab initio, & ferè contemnenda, ſed mox uehementi atque mortifera febre inopinantibus medi-

cis extinguitur. Tum uero cardinales iuſtis nouendialibus defuncto per ſolutis, ad comitia coëunt: aduenerat Mediolano mutatis ad celeritatem iumentis Iulius Medices, qui pulſis Gallis; apud exercitum erat legatus. Is magnis opibus, & clientelis innixus, recentíque fama rerum proſpere geſtarum, & prudentiæ, ciuilíſque modeſtiæ nomine commendatus, ante omnes pontificatum petebat; traxèratque in partes ſexdecim cardinales in queis plerique erant iuniores, qui uel ob id ardentius atque expeditius Iulio fauebant, quod pro ſe ipſis minime petendum arbitrarentur, & gratiam apud nouum pontificem præclaro maxime ſtudio, apertisq. ſuffragiis omnino parandam exiſtimarent. At ſeniores quorum plures erant candidati, quanquàm duplici ferè numero cæteros ſuperarent, multis tamen de cauſis ut pontificem declararent adduci non poterant, priuatis ſcilicet implicati uotis, & uariis factionibus impediti, ita ut nequaquàm in unum ſincera uoluntate cõſulerent, & ſæpe ad alium atque alium magnis ambitionis fluctibus uoluerentur. Sed unum, & certum ſenioribus deteſtabili conſilio cõiuratis decretum erat nemini niſi ex ipſo ſui corporis ordine ſuffragari, quòd ætatis honore, & opinione uirtutis iunioribus præſtare uiderentur. Id porrò magnas afferebat difficultates, quominus pontifex libera uoce diceretur. nam quiſque ex ſeniorib. ſuo ambitu inductus, quum ad pontificatum aſpiraret, in eo uehementiſsime laborabat, ut occulta, mutui ſuffragii pactione alios atque alios ex iunioribus ſibi obſtringeret, daretque operam fallẽdo atque infirmãdo alienas ſpes, ut in multos dies comitia proferrentur: nam ſi primi cõpetitores repulſam ferret, nemo erat adeo maculoſus & degener, qui ſibi ipſi non blandiretur ad petendum, & certam ſpem minime collocaret in ipſa ætatis uel doctrinæ prærogatiua, aut in uſu rerum & generis claritate. Ea enim eſt ambitioſorum natura mortalium, ut quum ipſi nulla inſigni dote præſtantioris ingenii ad laudem emineant, aliena uitia in cenſu tanquàm proprias uirtutes adnumerent. Igitur plerique inimicos probris, & falſis ſæpe calumniis onerabant, ut cæteros à ferendis ſuffragiis pretextu pietatis deterrerent, adeo ut non modo malignis ſuſurris in ſacroſancto conclaui, uerum & per urbem ſingulorum mores famoſis carminibus notarentur, tanta maledicendi libertate, ut populus pariter & magiſtratus, quos ſeueriore pœna perſequi debuiſſet, uti iucũdiſsimos poëtas ſingulari petulantia celebrarent. Ea res fœdiſsime tolerata, exiſtimationem ſacroſancti ordinis magna ex parte conuellit, effecítque ut ſacerdotum nomen paulò antè in prouinciis auguſtum & uenerabile, deſpectui & ludibrio penitus haberetur, quum ea carmina contumelioſiſsime conſcripta, ad extremas uſque totius Europæ nationes permanarent, à quibus non multo poſt tam atrox & mortiferum id acceptum eſt uulnus, quo omnes, capta ac direpta urbe Roma, dignitate & fortunis exuti turpiſsime concidimus. Prodierat candidatus ante alios Bernardinus Caruaial Hiſpanus, ſenatus princeps, qui quum uel de-

miſſe prehenſando apud ſurdas aures nihil proficeret, facile repulſam tulit: nam per ſe quisque cardinalium ab illa ualde funeſta & prope execrabili Alexandri Sexti memoria, Hiſpanici nominis ingenia perhorrebat, & ipſe, quamquàm probè eruditus & grauis, quòd à Iulio pontifice excitato ſchiſmate deſciuiſſet, recentis adhuc ignominiæ notam præferebat. Secutus eſt Alexander Farneſius, magna Romanæ nobilitatis & optimarum literarum præſidia ſecum ferens, is uti nemini inuiſus, nec omnibus gratus, non multum abfuit à ſummo, quod petebat, honoris faſtigio, nec hæſiſſet in curſu, ſi ad ſuffragiorum numerum, quem ſperauerat tenorem, in acceſsibus eſſet conſecutus. Siquidem Iulii Medicis nutu auctoritatéque iuniorum ſuffragia regebantur, cuius id unum erat ſummæ prudentiæ conſilium, ut neminem, qui gratia pollere uideretur, ſuorum ſuffragiis iuuari permitteret, ne quid temere uel imprudenter admitteretur, quo ſibi eripi poſſet is honos, ad quem tantis ſtudiis atque opibus & fatali ſed nondum matura felicitate contendebat: Ab hac diſſensione ſenatus, utrinq. magis & magis ſtudia accendebantur. nam utraque pars, quum in tanta ſpe ſitíque obtinendæ uel tradendæ ſupremæ dignitatis æſtuaret, ſi ab altera uinceretur, calamitoſũ & turpe maxime fore exiſtimabat. Nec quiſquàm adduci poterat, quin alienæ conſtantiæ exemplo contumaciſsimè perſiſtendum cenſeret. Ita ut liquidò conſtaret, neminen poſſe pontificem creari, qui iunioribus, & Iulio minime placuiſſet, quoniam ex ordine ſeniorum nemo reperiebatur, qui ſe eo honore non dignum putaret, & id ſtudio & præcipiti liberalitate, alteri uel amiciſsimo concedere uellet, quod priuato ipſius merito, aut ætati, in alienа præſertim altercatione, facile tribui poſſe uideretur. In comitialib. enim ſuperiorum temporum procellis nonnunquam accidebat, ut ſenatores commutata uoluntate, non ad eos, quos antea certis animi decretis euehere deſtinaſſent, ſed ad obſcuros & minime ambitioſos homines repentino ueluti turbine raperentur. Præter hæc duæ etiam ſubortæ erant factiones Cæſari aut Gallo fauentium, quibus de cauſis fiebat, ut tota ſuffragiorum ratione conturbata, in plures dies ipſa comitia fremente populo traherentur. Ob id Farneſius quum aliquandiu diligenter ambiendo, & plures ſibi amicos adſciſcendo, patres ad ſuffragia uocare, & gratiæ fortunæque ſuæ periculum facere decreuiſſet, ut Cæſarianorum certiore ſtudio ueteretur, Manueli Cæſaris legato fidem obſtrinxerat, tãquàm Cæſari eo datæ fidei pignore nunquàm defuturus, ſi eius auſpiciis pontifex eſſet effectus. quæ res nequaquàm feliciter occultata, ab eo Gallicæ factionis aliquot cardinales protinus auertit. Sed Medices qui tametſi hominem probaret & coleret, eum tamen ſibi minime præferendum iudicabat, illius ſpes facile conſtantia ſua præcidit. Et hercle ſupra omnes inſigni ſtudio erga Cæſarem præcellebat, utpote qui dudum ſpectatis operibus, belloque aduerſus Gallos præclarè ſuſcepto, opes ſuas & dignitatẽ cum Cæſaris fortuna miſcuiſſet. Hac tanta & ſem-

per illuſtri exiſtimatione,& certiſsimis amicorum ſtudiis fretus, ita iuniorum ſuffragia moderabatur, & ſeniorum uota flectebat, ut iam non mediocri inuidia conflagraret, quòd per eum impotenti quadam ambitione comitia retardantem ſtare uideretur, quominus aliquis probatus & inſignis ſenex libero omnium uoto pontifex diceretur. Itaque ſeniores ad Medicem legatos mittunt Antonium Montanum iuris ſcientia illuſtrem,& Thomam Caietanum ſacrarum literarum ſtudiis longe clariſsimum. Ii meditatis orationibus orſi à religione pontificatum cœlo dari non humanis ſtudiis dicebant;Propterea debere ipſum pertinaciæ finem imponere,& reſtitutis in libertatem iunioribus æquo animo pati, ut tandem aliquis ab ætate,moribus,& doctrina probatus,etiam ſi ex omni parte minime placeret, pontifex crearetur; ut is Chriſtianis ſacris præeſſet,qui non malis artibus, ſed commẽdatione uirtutis eueheretur, Prouectis enim ad ſanctiſsimam ſedem nequaquàm amicis & fautoribus,ſed Diis immortalibus habendas eſſe gratias. Quandoquidem pontificatus ſemper calamitoſus & infelix extitiſſet iis, qui ui contendendo contra leges ambitus, illum inuitis meliorib. eſſent conſecuti, adfuturũ pro certo cœleſte numen in ſuffragia euntibus,ſi cardinales rerum omnium præterquàm ueræ pietatis obliuiſcerentur. Ad ea Medices graui, & moderato ſermone reſpondit,nulli magis quàm ipſis eas adhortationes conuenire,qui nefaria coniuratione inita, iurare minime dubitaſſent,nemini niſi ex ipſorum ſeniorum corpore ſuffragia daturos: Non deeſſe apud iuniores omni uirtutum prærogatiua digniſsimos,qui expetita ſenioribus ex æquo mererentur,quos eo ſummæ iniquitatis decreto,& deteſtabili ſeceſsione ad contumeliam notatos alienaſſent: Neque ſe, qui tametſi exquiſitis literis abunde non ſit inſtructus, ulli unquàm uel moderatione,uel iuſtitia,uel pietate,uel ſenatoriis officiis, uel clariſsimis erga rempublicam meritis eſſe conceſſurum. Ad hæc etiam liquido conſtare,quanta fide quantaque propenſione, & frequentia gratiſsimorum amicorum confirmatus,id petere,& ſperare poſſet, quod tamen ad declarandam animi temperantiam alteri concedere paratus foret,propterea ſe nominaturum uirum inſignem, ut ſe illo inuidiæ & ambitionis onere liberaret,& præclara uoluntate reipublicæ Chriſtianæ cõſuleret. quòd ſi is à ſenioribus minime probarentur,tum uero manifeſte eorum conſilia obtrectationis,& cœcæ malignitatis pleniſsima nudarentur. Ab eo colloquio quum eſſet diſceſſum,Medices prolixe cum iunioribus diſputando conſtituit, ut poſtero die Hadrianus cardinalis Derthuſenſis, conſcriptis in eius nomen ſyngraphis,in comitio nominaretur, quoniã is eſſet omni pietatis & continentiæ laude conſpicuus, nec Cæſarianas partes deſerturus eſſe uideretur, quibus ipſe uehementer eſſet implicatus.Erat enim ei magnopere timendum,ne ſi Gallus noui pontificis ſtudio bellum in Inſubribus renouaret, Placentia & Parma uixdum receptæ,atque ægre per interregnum defenſæ urbes protinus amitterentur,

& ſubinde ipſe uti belli ſocius Florentia patria pelleretur. Iam enim Franciſcus Maria Feltrius Gallicis inſtructus auxiliis, Vrbinum ſæcundiſsima populorum uoluntate, ciectis Florentinis magiſtratibus recepe rat. Malateſta quoque Baleonus qui tũ cum laude apud Venetos milita bat, cum Horatio fratre in Vmbriam delatus, paternis amicis ad arma excitis, pulsísq. Peruſia Gentile patruo, & Vitellio Trifernate, Pauli patris necem ulturus eſſe uidebatur, quem Leo pontifex in mole Hadriani biennio ante capitali ſupplicio affeciſſet. Nec deerat in agro Romano Rencius Ceres, qui pro Gallis cohortes cõſcriberet, coniunctisque cum Baleono & Feltrio copiis bellum atrox Senenſibus, & Florentinis ſe illaturum tanquàm Gallorum hoſtibus minaretur. Hæc omnia per notas arbitrarias anguſtiſsime conſcripta, ſyngrapis inter fercula ſedulo occultatis, intra comitia & conclaue Iulio Medici quotidie nunciabantur. Quibus rerum grauiſsimarum periculis adductus, nequaquàm diutius in comitio perſeuerandum arbitrabatur, ne dum incertam ſpem adipiſcendi pontificatus obſtinatius ſequeretur, preſentem dignitatem, quæ erat ampliſsima, & regnum item Ethruriæ togatæque Galliæ ditionem, in qua ipſe legationem obtinebat, in manifeſtum diſcrimen deuocaret. Super hæc tenuiſsimam quoque ſpem uel ob id conceperat, quòd certã fidem, uti optimo iure antea ſperauiſſet, in quibusdam cardinalibus minimè reperiebat, quos præſertim ipſo enixe flagitante, Leo pontifex in ſenatum legiſſet. Ii erant ante alios Scaramutia Triuultius, Pompeius Columna, Dominicus Iacobatius, Baptiſta Pallauicinus Ligur, & Raimũdus Vicus Hiſpanus. Itaque Medices deſperato uel neglecto pontificatu Hadrianum nominat, iuniorum ſuffragia perpetuo ſyngrapharum tenore illi fauent, ſubit cunctos admiratio ad inexpectatum candidati nomen. Tum uero Thomas Caietanus ad proximos cõuerſus: Ergo inquit pedibus in ſententiam accedamus, ut poſtquàm Diis ac hominibus placet, uir ſanctiſsimus omnibus numeris Chriſtianæ uirtutis inſignis pontifex creetur. Nec mora plerique tactis religione animis alacres accedunt, alii cunctabundi qui nec eius nomen audiuiſſent, erectè tamẽ ac ueluti præſenti numine impulſi ſpes ſuas abrumpunt, & rationum ſuarum obliuiſcuntur, Hadrianumque Derthuſenſem pontificem renunciant. Vnus omnium Franciottus cardinalis Vrſinus, ut ſuffragio acceſſúue iuuaret, adduci non potuit, quoniam nefas eſſe diceret eum Chriſtianis ſacris præficere, quem non uidiſſet unquam nec ab opinione uirtutis planè cognouiſſet. Cæterum exultante Iulio Medice quaſi uiciſſet, quòd ab inimicis minimè ſuperatus animum ingenti cura liberaſſet, alii ferè omnes deformi quadam mœſtitia deiecti & triſtes ægris animis reputabãt, quis nam rerum exitus eſſet futurus, poſtquàm amiſſo è manibus pontificatu, eum homini externo, nulli ferè cognito, & procul agenti in extremis terrarum oris præcipiti temeritate detuliſsẽt. Id uerò populus adeo indignanter tulit, ut quum patefacto conclaui cardinales domum redirent

rent,paſsim maledictis inceſſerentur,quòd infamibus comitiis non modo urbem Romam ſuo antiſtite orbatam prodidiſſent, ſed quod inſaniæ proximum uideretur,Italiam etiam pōtificatus honore ſpoliaſſent. Erat enim opinio ſtatim edita in uulgus pontificem neglecta Roma, ui aut ſua ſponte permanſurum in Hiſpania aut enauigato protinus Oceano Germanos eſſe petiturum,ut ad immortale decus gētis ſacrorū princeps in terra patria conſpiceretur. Adaperto conclaui quum globus cardinalium Hadriani pontem eſſet præteruectus,& opifices pueríque minacibus oculis,uocéque,& manibus obſtreperent,nec à fœdiſsimis probris abſtinerent,Sigiſmundus Gōzaga cardinalis renidēti uultu his egit gratias, quòd aduerſus extrema ſupplicia meritos cōtumeliis eſſent contenti,nec lapidibus publicam iniuriam uindicarent. Nec multò poſt cardinales ne quid detrimenti reſpublica pateretur,triumuiros authoritate pontificia conſtituunt,qui menſtruo cum imperio ex triplici ſenatorum ordine ſorte ducti,pacis & belli negociis præſint.Ii in Vaticano pontificia in parte ædium cuncta adminiſtrabant.Interim tabellarii cum priuatis literis per Gallias,& Pyreneos ſaltus ad Victoriam Vellicam Cantabriæ urbem tertiodecimo die peruolarunt. Redibat tum forte Hadrianus à Federico Henrico Amirante,quem ægrotantem inuiſerat:itaque tabellarii ædium ſcalas conſcendenti ad pedes prouoluuntur,eumq.porrectis literis pontificem ſalutant. Ille nihil ad tanti nuncii nomen uultu animóue commotus, paulum ſubſtitit, & cum tabellarios ab oſculo pedum auerteret,conuerſis ad amicos oculis, Si uera ſunt inquit quæ nunciantur,mihi profectò plurimum eſt dolendum.Nec mora exultantis & ſalutantis populi turba atrium,porticus,atque ipſa etiam ſuperiora conclauia replentur.Ingruente uerò nocte nobiles equites uti in publica lætitia decuit,Maurorum habitu uibratis funalib. decurrerunt. Verum Hadrianus nihil propterea,aut de corporis cultu, aut de priſtina uitæ conſuetudine ſibi mutandum eſſe iudicauit, quum prius expectandas à ſenatu literas arbitraretur,quàm quicquam uel muneris uel habitus de pō tificia maieſtate,uti præpropero leuíque ſimilis, uſurparet. Erat enim non faſtu aliquo,uti iis plerunque accidit,qui in fæcundis Fortunæ flatibus facilè contumeſcunt,ſed a ſimplici morum nitore ſtabilíq. uitæ continentia grauiſsimus. Siquidem literæ conſcriptæ erant à Gerundenſi epiſcopo haud planè graui & certo authore, quibus ille ad promerendam gratiam,pontificatum omnibus ſuffragiis ei delatum effusè gratulabatur.Sed omnes erecti erant in expectatione literarum quæ à cardinalibus cum ſenatuſconſulto electi pontificis in Hiſpaniam mitterētur. Obſtabat mare hybernis tempeſtatibus fæuum, infeſtísque per omnia littora Gallis prædonibus intercluſum,Pyreneíque ſaltus iuga cum præaltis niuibus,tum perpetuis Gallorū cuſtodiis tenebantur:adeo ut quum tredecim dierum ſpacio nihil ad confirmandam tantæ rei famam penitus adferretur,iam de ea re plerique dubitarent, quaſi Galli hoſtes fícti-

tiis literis ad eludendam hominis dignitatatem totum id commentum in Hiſpaniam deferri curauiſſent. Cæterum ipſe mirum dictu, ea omnia de ſe uti Romæ acta erant, ab initio conſtantiſſimè credidit, quaſi ab oraculis fatidicarum uirginum edoctus, quæ tanto rerum euentu promiſſis fidem attuliſsent, ſiue exactiſsima ſyderum ſcientia, qua plurimum iuuenis oblectabatur, in opinione confirmatus, quum in genitura à ſede planetarum admodum felici, ſtella etiam eximiæ magnitudinis in horoſcopo ad ipſam finitoris lineam præclara ſummæ fortunæ denunciatione præfulgeret, adeo ut Acredio medico anxie nimis, & triſti fronte, tantæ moræ ſpacium per ſingulos dies uti ſpe depoſita, ſupputanti, dicere non dubitarit; ut in ſpe concepta permaneret, neque amplius eo literarum de ſiderio torqueretur; ſe enim Dei optimi maximi beneficio creatum eſſe pontificem & breui fore ut ab ipſo in ſede principis apoſtolorum in urbe Roma ſub illa ſolemni thiara conſpiceretur. Interea à Cæſarea Auguſta os mandibulæ Diui Lamberti martyris ad eum pro inſigni munere delatũ incredibili cum lætitia ſuſcepit, id enim antea uel aſsiduis precibus impetrare nequiuerat, quamuis id Leo põtifex ab ipſis Cæſareauſtanis ſacerdotibus per epiſtolam flagitaſſet, & Carolus Cæſar eos ad communicãdas ſanctiſsimi uiri reliquias etiam atque etiam hortaretur. Hinc eſt illud perfacetum Hadriani dictum ad familiares languidiore ſpe in ea triſti mora literas de põtificatu ab urbe præſtolantes, ſi non uobis arridendo inquit, ſed mihi ipſi futurus eram pontifex, mihi quidem amplius non eſt opus tanta ſummi honoris poteſtate, quando iam Diui Lamberti reliquias, quod unum in tota uita uehementer optauerim, uel ad falſam delati pontificatus famam feliciſsimè ſim conſecutus. Inter hos ambiguæ ſpei ſermones, quum per tredecim dies tota eius aula, & omnis ferè Hiſpania ſuſpenſis animis uerſaretur, cœnanti ſuperuenêre nuncii ab urbe Roma, qui literas à triumuiris cum ſenatuſconſulto ipſiſque comitiorum actionibus deferebant, quos tanta animi tranquillitate ſuſcepit, ut perlectis literis, atque his quòd honeſtè conſcriptæ uiderentur pacata uoce & leni capitis nutu laudatis, nihil plus ſit locutus, quàm ut nuncios tanquàm de uia feſſos ad quietem hortaretur. Adeo ut in eo ſedati animi habitu frigidioreque lætitia Vianeſius Albergatus, qui à Leone miſſus, ſacerdotum defunctorum hæreditates in Hiſpania colligebat, indignanti ſimilis non obſcura uoce dixerit, Renuatur ergo hic ſummus pontificatus poſtquàm tam lenta hilaritate ſuſcipitur. Petebat ſenatus, ut poſtquàm legitimis omnium ſuffragiis pontifex eſſet creatus, de ſe benemeritos cardinales diutius fruſtrari nollet, paratisque ad nauigandum rebus omnibus in Italiam primo quoque tempore maturaret, ut quod Deo optimo ſenatuique deberet, opportuna ope afflictis Italiæ rebus maturè allata, religioſe ſolueretur. Ferunt Hadrianũ uti ipſe poſtea teſtatus eſt, ea nocte diu mente ambigua uolutaſſe, an pontificatum ſuſciperet, nullaq. grauiore de cauſa inductum ſuſcepiſſe

ſcepiſſe, quàm ut Dei optimi maximi nutibus obtemperaret, poſtquàm aſpirante cœleſti numine ab ignotis hominibus tantus honos offeretur. Apparebat enim ipſo recuſante, Chriſtianæ reipublicæ dignitatem, dira diſſenſione cardinalium cõuelli penitus, & ad non dubium interitum fœdiſsimè lacerari, quoniam inſtauratis comitiis exitioſo diroque ſchiſmati materia præberetur. Nolebat etiam uti Cæſari deditiſsimus, recentis eius uictoriæ curſum impedire, nam Gallos Leonis morte plurimum exultare, ſublatiſque animis in ſpem noui pontificis, qui partibus adeſſet bellum in Inſubribus renouare didicerat; quæ omnia abrupta ſpe pacis atque concordiæ ad conturbationem humanarum & diuinarum rerum procul dubio pertinerent. Igitur ſequenti die ſtolatus iu publicum prodit, calciamenta aureis crucibus exornat, ſalutanti turbæ omnis generis hominum exoſculandos præbet pedes; deſumptóque Hadriani Sexti nomine, id confeſtim in publicis libellis literiſque præſcribit. Tum uerò finitimi populi ad conſtantem famam creati pontificis uictoriam undique conuenire, ulteriores trans Hiberum amnem gentes pia quadam hilaritate poſtpoſitis rebus omnibus ad iter excitari, quoniam, quod tum rariſsimæ felicitati datum uidebatur, ab ulla maiorum memoria pontificem in Hiſpania nunquàm uidiſſent. Ipſi reguli inſignes, natura admodum pii atque magnifici, opulentíque item ſacerdotes, & epiſcopi imprimis nobilium ciuitatum inter ſe ambitioſa liberalitate certabant, nam quiſque munificentiæ ſtudio in ſacros præſertim uſus ſeſe regalibus donis onerabat, quibus apud pontificem opimæ gratulationis nomine ad parandam gratiam uteretur. Nec defuêre etiam pleræque matronæ nobiles, & ſacratæ uirgines cœnobiorum ſeptis incluſæ, quæ lintea omnis generis elaborata pictis operibus, & ad cultum pontificis, & in ſacras ueſtes ornamentáque altarium cupidiſsimè conferrent. Iamque Hadrianus, uel ipſo comitatu, uel aulæ frequentia, uel inſtrumentis omnibus in augenda maieſtate ad auguſtiorem pompam exquiſitis, Romano, atque ornatiſsimo pontifici ſimillimus erat: quum ad Cæſaream Auguſtam contendit, ipſe purpurea in ſella ſuccollantibus Hiſpaniæ regulis, effuſa obuiam ingenti equitum multitudine, urbem eſt inuectus. Venerat tum Alexander Cæſarinus cardinalis ab Vrbe, qui pontificem ſacri ſenatus & Romani populi nomine uehementer impellebat ad nauigandum, ut Italiam atrocibus bellis, & imprimis Romani pontificis prouincias ab ipſa factionum inſania, cædibus ac incendiis expoſitas, matura profectione liberaret. Quum eſſet Cæſareæ Auguſtæ, libido ei inceſsit ab ſingulari pietate inſpiciendi diui Lamberti cadaueris, è quo paulò antè, uti dixi mus, mandibulam dono miſſam, tam læto animo ſuſcepiſſet; Itaque loculum, & oſſa cupidiſsimè, & cum eximia quidem ueneratione contemplatus eſt, quæ res in prodigium continuo uerſa, quoniam primum ipſius operum cadauer extitiſſet, famam præbuit, eum cito inter mortales eſſe deſiturum: Quam etiam portenti ſuſpitionem auxiſſe uiſa eſt lampa

dis criſtallus in templi medio ante aram temerè effracta;ob cuius caſum, & ipſum pontificem, & qui circa erant ſolenni in ueſte ſacerdotes,lucernali oleo fœdiſsimè conſperſos conſtat,ariolis id totũ ad funeſti ominis interpretationem facilè trahentibus. Cæterum Hadrianus cum pio tum egregio conſilio in unam eam curam corpore atque animo erat intentus, ut quàmprimum Romam relicta Hiſpania nauigaret. Quanquàm plerique Hiſpaniæ nobiles ſummis precibus, & ingentibus promiſsis eum in Hiſpania retinere conarentur; Henricuſque Britanniæ rex eum ad ſe religioſa contentione in inſulam euocare perſeueraret, pollicereturque uiaticum regiæ munificentiæ uenienti pariter, ac demum quum aliquot dies in Britannia ſubſtitiſſet, per Germaniam ad Vrbem in Italiam profecturo. Sed nihil hæc in tam pia quàm decora propoſiti ſeueritate permanentem omnino morabantur,quin ipſe ſpes omnium,uti parum honeſtas, ſanctiſsima caſtigatione præcideret, & per Derthuſiam, in qua urbe ipſe fuerat antiſtes, Tarraconem ad mare deferretur; ubi claſſem exornarat, contractis undecim triremibus, & nauibus triginta onerariis, quibus præſidiariæ cohortes decem & totius aulæ comitatus imponeretur. Expectabat etiam Ioannis Luſitaniæ Regis naues aliquot à Gaditano freto, atque item nonnullos terreſtri itinere equites, ut aliquantò maiore nobilioréque frequentia nauigaret. Verum hæc diutius non eſſe expectanda iudicauit, quum Cæſarem è Germania in Hiſpaniam redeuntem ad portum, cui in Aſturia Villæ Vitioſæ nomen eſt, felici nauigatione perueniſſe cognouiſſet. Nolebat enim à Cæſare uel retardari, uel omnino in Hiſpania retineri, quanquàm nihil ei foret optatius, quàm Cæſarem ubique uictorem, & dudum à Germanis Imperatorem appellatum conſpicere complectíque arctius, ac item coram docere, quo in ſtatu ſingulæ totius Hiſpaniæ prouinciæ relinquerentur. Sed ſe, uti pius & grauis, iam planè pontificem eſſe meminerat,& propterea publicæ perſonæ rationibus potius quàm priuatæ beneuolentiæ ſeruiendum arbitrabatur, utpotè qui ſtatim repudiatis minorum negotiorum officiis, rerum omnium cogitationes,ad pietatem publicamque ſalutem prudentiſsimè reuocaret. Cupiebat etiam ſeſe confeſtim eripere ab ea ingentis inuidiæ procella, quæ ſub aduentum Cæſaris ſibi uni multò grauior, quàm cæteris magiſtratibus imminebat. Erat enim in eos ſeuerè animaduertendum. qui in tumultuoſiſsima populorum defectione, perturbata uniuerſa ferè Hiſpania à regio nomine rebellaſſent: nam ſi eorum nomina deferret, & in tabulis ad cæteros metu liberandos proſcriberet, nolebat eos ipſius potius quàm magiſtratus iudicio damnatos uideri, quos Cæſar, uti æquum foret, ex merito ad pacandas prouincias eſſet percuſſurus,Quando ad ſanctiſsimi pontificis opinionem piè & clementer dictis factiſque omnibus retinendam, nihil melius atque præclarius foret, quàm à miſerorum ſuppliciis, atque omni cruenta ſeueritate inuiolatum atque puriſsimum animum ſeruauiſſe. Itaque ſcribit ad Cæ

ſarem

ſarem, ut eas colloquii ſpes abiiceret, & uti pium iuſtumque principem deceret, æquo animo pateretur, ſi ipſe grauiſsimis de cauſis incitatus, omnibus poſtpoſitis rebus, quamprimum in Italiam nauigaret, ibi enim cuncta bello deflagrare, populoſque præſertim pontificiæ ditioni ſubiectos, per ſe factionibus implicitos obnoxioſque potentiorum iniuriis uexari paſsim, & uagantibus externarum gentium armis crudeliter euaſtari, nec populum Romanum, qui ſuo principe eſſet orbatus, nec ſacroſanctum ſenatum, qui delato pontificatu, tantum de ſe iudicium feciſſet, & ſpes ſuas in externi hominis fide collocare minimè dubitaſſet, deſerendos uideri; Quando nihil turpius eſſet futurum, quàm eorum opinionem fefelliſſe, qui uni probitatis atque iuſtitiæ nomini famæque ante periculum, non minus piè, quàm benignè credidiſſent: proinde ut maturo aduentu benemeritis de ſe cardinalibus gratiam referret, dum per leniſsimas tempeſtates mare eſſet idoneum, continuo ab Hiſpania ſoluturum, daturumque operam, ubi primum in Vrbe conſediſſet, ut Cæſariani duces aliquantò opportuniore maioréque ſtudio, quàm ſi in Hiſpania moraretur, aduentus ſui beneficium ſentirent. Nec multò pòſt commonefacto ſæpius ſenatu, & Guliermo Enchauordio ob ſpectatam fidem negotiis in urbe præpoſito, circiter quattuor milia peditum & paucos equites nauibus imponit, adminiſtrante Ferdinãdo Andrada, quem copiis & claſsi præfecerat, uel ob id quòd ſub magno Cõſaluo ante uiginti annos in Italia cũ eximia laude militaſſet, pridieq. Nonas Auguſti Tarracone profectus leniſsimis tempeſtatibus Genuam peruenit. Excepêre aduenientẽ Genuenſes cum pie, tum liberaliter, quanquàm ab recenti calamitate direptæ urbis, neq. apparatu, neq. animis ullam omnino lætitiã ferrent. Erat tum princeps in ciuitate Hieronymus Adurnius, uirtute animi & bellica laude inſignis, qui dudum expugnata arce Gallicum præſidium expulerat, is ingentia dona recentis præcipuè commeatus cum publico ciuium, tum ſuo etiam nomine pontifici detulit, quæ tanta fuere, ut Hadrianus quaſi non omnia oculis planè contemplatus, ſingularum rerum indicem depoſceret, ut grato ad eius officii memoriam animo cuncta conſideratius æſtimarentur. Aduenêre etiam à Mediolano ipſe Franciſcus Sfortia, Proſperque Columna, & Ferdinandus Piſcarius, ut de ſtatu rerum Italiæ explicando & communicando ſociorum atque hoſtium conſilia, ipſum earum rerum non planè peritum accuratè perdocerent. Quum triduo Genuæ ſubſtitiſſet, celebratam illam Smaragdum excauatam in hexagonium poculum, quæ una omnium gemmarum præcium ſuperare exiſtimatur, tam cupidè quàm humaniter inſpexit, miratur quòd in tumultu direptæ urbis ſeruari potuiſſet. Ab Genua demum in Delphini portum, atque inde fæcundiſsima nauigatione, comitantibus Adurniorum triremibus, ad Liburnum Piſanum portum eſt deuectus; Quò iam uenerat Iulius Medices, quinque cardinales, & totius Italiæ principum legatos ſecum adducens. Superuenit & ipſe Fede

ricus Gonzaga Mantuanus pontificii exercitus imperator. Itaque extru
cto ligneo ponte, qui in mare prominebat, atque eo feſta fronde & pi-
ctis inſignibus exornato, inter magnas acclamantis populi gratulatio-
nes,& tormentorum bombos excipitur. Is primo ſtatim egreſſu perue-
nuſto totius corporis habitu,omnium oculos ſimul atque animos imple
uit: erat enim ore probo, graui, uerecundo, ab ſancta quadam hilarita-
te ualde conſpicuo, uenerabundis autem cardinalibus,& felicem aduen
tum enixe gratulantibus, Florentiniſque legatis, qui ingentem copiam
rerum eſculentarum ad alendum aulæ comitatum recreandoſque remi-
ges dono attulerant, tranquillo potius quàm læto vultu, & ſermone dul
ci breuitate periucundo reſpondebat,ita ut quum nulla in geſtu aut uer-
bis familiaritate uteretur, nihil temere, quod eſſet elatum, & inſolens,
aut ſubagreſte penitus emineret. Id ſolum cardinales & reliquos blandi
mentis Romanæ aulæ aſſuetos uehementer permouit,quòd pontifex pa
rum humaniter,& ferè contemptim ſecum agere uideretur. Nam quum
ſolus cœnaſſet,& nautæ utendum nocturna aura ſuaderent, adeo cupide
& feſtinanter ad mare ſe proripuit, ut cardinales in proximo ſimul cœ-
nantes nec moneret, nec expectaret: itaque omnibus raptim ad trire-
mes contendentibus,de ſecunda uigilia oram ſoluit,& ad Centumcellas
eſt prouectus. Ibi affuêre à ſenatu miſsi Pompeius Columna,& Francio
tus Vrſinus Romani cardinales, qui exceptum ſub umbella pontificem
ad templum deduxerunt: ubi poſtquàm ad aram ſupplicatum fuit, ora
tio habita eſt à Pompeio tanti aduentus lætitiæ accommodata. A Cen
tumcellis poſtero die Oſtiam peruenit periculoſa nauigatione, niſi ma-
turaſſet, nam Tyberinas intranti fauces ſæua tempeſtas exorta eſt, quæ
triremes uiolento curſu in diuerſum abripuit. Ab Oſtia etiam pari feſti
natione eſt profectus, adeo ut cardinales,qui iumenta ab urbe expecta-
bant, uel paucarum quidem horarum moram impetrare nequiuerint.
Per hunc modum tumultuario deformique agmine, quum cardinales
ignobilibus iumentis ueherentur, & nonnulli minores antiſtites,& toti-
us aulæ incondita multitudo onuſta ſarcinulis in feruido ſole iter face-
ret,ad Diui Pauli templum extra Trigeminam portam eſt peruentum.
Poſtero die quarto Calendas Septembris populus Romanus, ſinguliq.
ſacerdotum ordines,ſolenni pompa per urbem inuectum ad Vaticanas
ædes deduxerunt. Sequẽti die ſe totum præbuit urbanis magiſtratibus,
ut cuncta ſigillatim cognoſceret, opemque afferret labanti reipublicæ;
nam Romæ peſtilentia vulgatis morbis, ignobile præſertim vulgus in-
uaſerat,& ærarium non modo erat inane,ſed gemmas publicas,& ſacro
rum ſolennium ornamenta,& Leo ipſe,& triumuiri demum cardinales
fœneratoribus oppignerarant, ut præſidia afflictis rebus pararent. Ari
minum quoq. per inſidias occuparat Sigiſmundus Malateſta, quoniam
eam urbem à patre Pandulfo diuenditam progenitores eius per ducen
tos amplius annos imperio tenuiſſent. Nunciabatur etiam Solymannus

Turca

Turcarum imperator Rhodum ualidiſsimis tormentis & cum incredibili militum & rerum omnium apparatu iam tertium menſem oppugnare; Præfectoſque Turcarum qui in Illyrico fines tuerentur, Pannoniam citeriorem crebris incurſionibus uaſtare; nec Ludouicum regem uti ætate nondum integra atque ingenii uiribus parum ualidum ſuſtinere hoſtes poſſe, niſi in ſtipendium pontificia pecunia iuuaretur. Quibus de cauſis neceſſe erat pontificem rerum Italicarum penitus ignarum, & tum primum urbium ſuarum & prouinciarum regulorumque nomina perdiſcentem, in omnibus conſiliis uehementiſsime conturbari, adeo ut quũ his curarum fluctibus iactaretur, aliquando diceret, ſibi fuiſſe iucundius Louanii gymnaſium cum ſtudiorum laude moderari, quàm Romæ pontificia in ſede Chriſtianam rempublicam adminiſtrare; quando inquit in eam affectam omnibus malis, & reciſis neruis magnopere debilitatam, miſer inciderim. Sed anxium & diuerſis difficultatibus implicitum, unus maxime de amittenda Rhodo metus agitabat, cuius clariſsimæ urbis ſalus neque negligi ſine ſummo dedecore, neque mature ſtrenuéque defendi ſine grauiſsima impenſa ingentíque periculo poſſe uideretur: cum magnis Turcarum claſsibus non modo portus urbis fretumque ipſum, ſed totius etiam inſulæ littora & circumiecta maria obſeſſa tenerentur. Suadebat Iulius Medices ante alios, ut delectas ex his quas adduxiſſet cohortes, iiſdem nauibus omnium rerum copia repletis Rhodum continuo tranſportandas curaret, fore enim ut eæ per autumnales tempeſtates ualidioribus uſæ uentis, contempta aut eluſa Turcarum claſſe in portum plenis uelis inferrentur. Quarum nauium profectione auſuros fortaſſe aliquid Venetæ claſsis præfectos, qui in Creta cum quinquaginta roſtratis diligenter excubarent, inuitaríque percuperent ad egregium facinus, ſi caſu aliquo delendæ Turcarum claſsis facultas offerretur: quòd ſi Venetus nihil omnino contra ueteres inducias cum Otomannis ſibi tentandum putaret, eo certe ſubſidio cum fortium tum maxime recentium militum feliciter adducto, neceſſe fore ſpes ipſas ex deſidia Chriſtianorum principum conceptas Turcis imminui, & contra Rhodiis plurimum augeri, qui in ea auxiliorum expectatione erecti, tantam belli molem fortiſsime ſuſtinerent. Sed quoniam in fatis erat, ut Rhodus amitteretur, Hadrianus eius rei gerendæ occaſionem propter multas, & rei præſertim numariæ difficultates penitus amiſit. Hiſpani quoque utpote qui ſemel terram Italiam pedibus attigerant, longinquæ nauigationis laborem, ad incertum maxime rerum exitum recuſabant. Et Ludouicus à Corduba princeps Sueſſanus, qui apud pontificem pro Cæſare erat legatus, Italiæ urbes certo præſidio tueri atque exercitum imprimis, qui erat in Gallia Ciſalpina, Hiſpano milite ſupplere, quàm Rhodiis opem ferre malebat; quoniam rex Gallus etiam tot bellis & præliis uictus, quin Italiam repeteret, minime quieturus eſſe uidebatur. proinde ſingulis in rebus orando, inſtandóque, pontificem, ne Cæſari

deeſſe uellet, uehementiſsime perurgebat. Erat Hadrianus ſuoptè ingenio Cæſaris amantiſsimus, & quantum ſalua pontificii nominis maieſtate poterat, eius uictoriis non obſcurè lætabatur, quanquàm uti æquus, & quietis & otii cupidus, execrato bello, maximè cuperet ſedare eam controuerſiam, quæ inter Gallum & Cæſarem ſine ſpe compoſitionis agitabatur. Erant uni omnium Hadriano ualde intimi Guliermus ipſe Enchauordius, quem ſtatim gratiſsima uoluntate à ſubnotandis ſupplicibus libellis datarium & demum Derthuſenſem epiſcopum fecerat, & Theodoricus Hetius à ſecretioribus epiſtolis uir optimarum literarum notitia, & Chriſtiana modeſtia inſignis. Ii Belgæ erant, quibus propter uſum grauiſsimarum rerum aliquando miſcebatur Ioannes Ruffus antiſtes Conſentinus, ei antea familiaris, quum in Hiſpania apud Ferdinandum regem pro pontifice legationis munere fungeretur. Hi Cæſarianis rebus propenſiſsimo ſtudio fauebant, & ſummam diuinarum atque humanarum rerum nequaquàm latè communicata auctoritate gubernabant. Horum conſilio pontifex bellum aduerſus Malateſtas, qui Ariminum occuparant, miſsis in Vmbriam Hiſpanorum cohortibus, ſuſcepit; nec multò labore Sigiſmundus eſt eiectus, utpotè qui iam Ariminenſibus propter naturæ acerbitatem atque ſæuitiam odio eſſe cœpiſſet, Nec alicunde circumuento obſeſſóque auxilia mitterentur, adiuuante maximè pontificios duces Franciſco Maria Feltrio Vrbinate, atque item Alfonſo Ateſtino Ferrarienſi, qui ad promerendam gratiam, eo bello inſignem operam nauare cupiebant. Neque tamen abiecta cura Rhodii belli pontifex ad Adurnios Petrum Raborium Genuam miſit, qui onerarias naues conduceret. Sed ægrè admodum expedita pecunia, aliquantò tardius quàm oporteret, tres excelſæ naues ſunt exornatæ, quibus incredibili euentu felicem curſum Fortuna denegauit. Nam perpetuos duos menſes prodigio quodam contra anni conſuetudinem eurus, & vulturnus, qui ſunt uenti omnium aduerſiſsimi nauigantibus ad orientem, maria tenuerunt, quum eo tempore naturali terrarum halitu eteſiæ flare conſueuerint. Periit & Rhodii Magiſtri inſignis oneraria, quæ à Nicea Prouinciæ omnium rerum ingentem copiam ad inſulam deuehebat. Interim pontifex ingraueſcente peſtilentia Vaticanis ædibus & coniunctis uiridariis ſe tenebat, neq. aditus niſi à maximis uiris legatiſq. principum & cardinalibus impetrabatur. Suſtulerat is more Germanorū qui peſtilētiam contemnunt, omnem ſeueritatem, quam Libitinæ magiſtratus exercere conſueuerat aduerſus eos, qui ſeſe contracto & diſſimulato morbo incolumibus miſcuiſſent, quæ libertas & diſſoluta euagandi tegēdiq. morbi licentia, urbis faciem multiplicatis funerib. mirū in modū deformauit. Itaque hortantib. triumuiris Romani populi conſeruatorib. inſtaurati ſunt magiſtratus cum officialibus, & reuocatæ leges ad ueterem formulam puniendæ multitudinis, quæ edictis minimè paruiſſet. Interea pontifex ad Germanos regulos, & liberas ciuitates,

quarum

quarum legationes ad conuentum Nurumbergæ undique coibant, Frãciſcum Cheregatum miſit, qui omnium primus ab ipſo epiſcopus propter ueterem amicitiam & uirtutis opinionem fuerat effectus. Hortabatur Germanos, ut ad defendẽdam ſalutem Lodouici regis auxilia decernere atque ſummittere uellent, ſimulq́.earum hæreſum obliuiſcerentur, quæ antea rectè atque legitimè pluribus conciliis eſſent damnatæ. Nanque Germania fermè omnis Lutheri diri hominis ſuperſtitione imbuta, Romani pontificis maieſtatem nefario criminationum genere proſcindebat, quum ipſe à ueteribus ſacrorum inſtitutis Chriſtianíſque moribus deſciuiſſet: Sacerdos enim è cœnobio abiecta cuculla ſe proripiens cum ſacrata uirgine nuptias fecerat, ita ut præclari modo nominis theologus in ſago militari conſpiceretur. Propoſita tum erant à Lutheranis centum poſtulata, in queis pleraque ſummæ æquitatis uideri poterant, quòd ſæpius à Romano pontifice ueluti impoſitis ſacrarum rerum uectigalibus auariſsime præmerentur. Cæterum corruptis impietate animis id unum maximè ſpectabant, ut honeſtiſsimo prætextu auaritiæ fœdæq́ue licentiæ, uti quiſque ſua libidine raperetur, ianuam penitus aperirent. Alii nãque dicata templis prædia impudenter uſurpabant: alii profeſsione ſacerdotes, abdicato cultu & eiurata continentia ſacratas uirgines ex templorum ſeptis tanquàm uxores celebratis nuptiis ducebant: alii gulæ dediti nefaſtis diebus contra maiorum inſtituta carnibus ueſcebantur: nonnulli etiam immani furore perciti, Deiparæ uirginis ſimulachra fœdabant, & qui ingenio atque eruditione inſignes erant, ſanctiſsimorum patrum dogmata inſanis interpretationibus peruertere conabãtur. Quorum immanitati neque antea quiſquàm apprimè eruditus, neq. tum Cheregatus, uel ſaluberrimis diſputationibus feliciter obuiam iuit. Miſit etiam pontifex pecuniam in ſtipendium Ludouico Pannoniæ Regi: nam multis, & quidem turpiſsimis de cauſis Pannoniæ regnum paulo ante ſub Matthia Coruino peramplum & florens opibus, deformatum atque exutum omni bellica laude penè conciderat, adeo ut rex ætate fortunaque admodum imbecillus, uix tueri fines & arcere Turcas hoſtes poſſet, qui crebris & repentinis incurſionibus, modo à Dacis & Triballis, modo ab Illyricis limitibus prouinciam euaſtabant. Interim Rhodii magnitudine incredibilium operum ſuperati, feſsíque perpetuo ſex mẽſium labore, & uulneribus fermè omnes debilitati, Solymanno deditionem fecerunt, neque enim ulla iam ſpes auxiliorum ſupererat, & cuncta intus in maximè diuturna propugnatione defecerant. Oſtentabat ueniam præclarè uictis Solymannus, quaſi in parte gloriæ reponeret, ſi longè fortiſsimis uiris iam planè parta uictoria peperciſſet. Enimuero uix credibile erat, non amplius ſeptingentos illuſtres equites cum paucis militibus Græcis, tot mẽſium uigiliis atque laboribus nequaquàm ceſsiſſe; quum minore indies ſui fiducia, & maioribus ſemper rerum omnium periculis, aduerſus ducẽta milia bellatorum nihil intermiſſa dimicatio-

ne reſtitiſſent. Aequauerat Solymannus murorum & turrium faſtigia terrenis duobus ingentibus tumulis, quos coacta ad opus innumerabili foſſorum multitudine excauantium,& ſenſim ante ſe contra urbem terrenum & aggerem prouoluentium paucis diebus erexerat, è quibus tormenta inuſitatæ magnitudinis directa contra pinnarum ſummitatem ad æquiſsimos ictus omnibus horis emittebantur,inuaſerántque.iam foſſas Turcæ:muróque ſucceſſerant,fundamenta ab imo dolabris & uectibus ſubruendo,ita ut ampliſsimis ubique cuniculis in urbem penetrarent, & ſæpè Rhodiis occurrendo per ſubterraneos ſpecus decertarent, iuſtis quoque præliis ſæpè prætoriani,quos Ianizaros uocãt, aggreſsi murum in ſumma propugnacula euaſerant: Sed fortiſsimè repulſi præcipitatiq. in foſſas temeritatis pœnas dederãt:nam tametſi à lateribus ex obliquo minoribus tormentis ſternerentur, nihil uel certiſsimæ mortis metu, quominus occiſis integri recentésque ſuccederent, omnino deterrebantur. Erat Rhodiis tormentum quod ab immani uiolentia Baſiliſcum appellabant,excelſo in loco conſtitutum, cuius pilis ſeſquipedali craſsitudine caſtra & tabernacula longiſsimè cum miſerabili obuiorum Turcarum interitu petebantur:magnã etiam gregariorum,& opus facientium militum manũ autumnus ſolito grauior abſumpſerat,inductoq. & euulgato uentris profluuio, dum illi fatigata corpora meridianis uentis intemperanter exponerent. Sed Solymannus ſtabili decreto innixus, ſingulari perſeuerãtia has tantas difficultates nõ minore ſua uirtute, quàm noſtra deſidia ſuperarat,propoſuerat enim emori potius,quàm abſcedere irrito incœpto,ſuadentique Pyrrho Baſſæ,ut in proximã Cariæ continentem trãſiret,atque inde adminiſtrato bello ex tuto uictorie exitum expectaret,grauiter ignauia increpita ſuccenſuerat,nequaquàm eam inſignem eſſe uictoriam prædicans, quæ præſentis Imperatoris manu minimè pararetur.Itaque nouis delectibus in Cilicia,Syria,Aegiptoq. habitis, copias egregiè ſuppleuit.Nam Feracatus Gazelle uicto cæſoque, & Mamaluchis ad internicionem deletis maximè illuſtris,ab Athalia,Iſi cóque ſinu,& Antiochia, atque item Caierbeius à Memphi Peluſioq. & Alexandria in parãdis & tranſmitendis commeatibus& copiis omnem, uti opus erat,diligentiam adhibebant. His tantis adductus difficultatib. Philippus Villadamus militiæ Rhodiæ magiſter in conſilio diſſeruit, ſummæ eſſe ſtoliditatis id ultra defendere conari, quod nec recentibus quidem receptis auxiliis,egregia ſpe tueri poſſent,quando iam cuncti fere propugnatores conſauciati confectique uigiliis animos deſpondiſſe uiderentur,non eſſe funeſta pertinacia diutius cum Fortuna contendendum,quando ipſi qui in præſidio eſſent,ſatis ſupérque officio & dignitati ſatisfecerint,amiſſe ſiquidem inſulæ dedecus ad eos pertinere, qui toties implorantibus opem ferre noluiſſent, eius herclè admiſsi flagitii, quod extrema neceſsitas attuliſſet,non Rhodios, ſed totius Europæ reges infamia deflagraturos:proinde ſumendum eſſe conſilium à prudentia

tia quam neceſsitas exprimeret, non ab inani animorum obſtinatione, qua nihil iis qui in extremo caſu uerſarentur, lethalius accidere poſſet: Sibi ergo tam honeſtum, quàm omnibus ad ſalutem neceſſarium uideri, dedere urbem, & Solymanni qui pro gloria certare exiſtimari uellet, fidem experiri, ut benemeritos de republica Chriſtiana milites conſeruaret, nec fortibus uiris opportunum in Europa locum eſſe defuturum, ubi meliore fato Rhodiæ militiæ ſigna defigerent, & acceptas à Barbaris iniurias, egregio religionis ſtudio, & commodiore tempore uindicarent. Itaque emiſsis legatis, atque ipſo demum Philippo ſub fide publica ad Solymannum in caſtra profecto, conditiones de dedenda urbe ſunt conſcriptæ, quas Solymannus alioqui ſæuus hoſtis religioſiſsimè ſeruari iuſsit, ipſo enim urbem ingreſſo neque templa, neque priuatas domos, neque obuios milites Chriſtianos, quiſquam uel ingenio ferox Barbarus omnino uiolauit, ita ut Philippus clemẽter admiſſus & à Solymanno Pater appellatus, quum omnia propè præter bellici apparatus inſtrumentum ſuis triremibus imponeret, ſeptem etiam ænea tormenta præſidii nomine contra piratas, uti ab eo didicimus, impetrarit. Eo die quo Rhodus eſt dedita, prodigoſo caſu epiſtylium portæ ſacelli in Vaticano ſpõte corruit, quum non plus paſſu altero pontifex abeſſet à limine ad operanda ſacra ſolenni die Chriſti Natalis ſtatim ingreſſurus, ita ut prætoriani duo milites effracti marmoris fragmine opprimerentur; Cæterum is nuncius toti Europæ admodum lugubris, pontificem incredibili dolore affecit, quaſi recens adhuc primorum menſium principatus, aduerſo quodam rumore adlatrantis uulgi, ea ferali clade notaretur. Nec multò poſt ad pacandam Italiam conuerſus, Alfonſum Ateſtinum Ferrariæ principem in gratiam amicitiamque recepit, quum is Herculem filium cum ornatiſsima legatione Romam miſiſset, ita ut ea, quæ criminoſis admodum codicillis à Iulio Leoneque põtificibus aduerſum eum tanquàm pontificiæ maieſtatis reum decreta & publicata fuerant, penitus antiquaret. Eadem clementia & liberalitate Franciſcum Mariam Feltrium eſt proſecutus, quem Leo pontifex principatu pulſum atque hoſtem declaratum ſacris interdixerat. Miſit & legatum ad Venetos, ut eos Cæſari coniungeret, nouisque initis fœderibus Gallus ab Italia procul arceretur. Erat tum Florentiæ Iulius Medices præclaro ſtudio omnibusque ſenſibus cum Cæſare coniunctus, cuius auctoritatem plerique uetères eius hoſtes, & ante alios Franciſcus Soderinus cardinalis conuellere contendebant, ita ut apud Hadrianum eum palàm accuſarent, quaſi ueteribus pontificum theſauris potiretur, quos conniuente Leone fratre in adminiſtranda republica rapuiſſet. Quæ tametſi falſa & ridenda erãt, quoniam abundè conſtabat Leonem immodicis ſumptibus natura gaudentem, & poſtremò grauiſsimis implicitum bellis, ſuos pariter, atque alienos loculos pecunia penitus exhauſiſſe, contractóque inſuper graui ære alieno uectigalia etiam publica addixiſſe fœneratoribus, tamen hæc

apud externum hominem ingenio ſuſpicacem,imperitũ Romanæ aulæ, & inopia plurimum æſtuantem,ueriſimilia uidebantur. Inuoluit & iiſdẽ propè ſuſpicionibus Soderinus mirabili aſtu Laurentium Puccium & Franciſcum Armellinum cardinales uetere amicitia Iulio medici coniunctiſsimos,quaſi hic,uti prædator inſignis,nullo iure quæſturæ officio potiretur,ille uerò ſanctiſsimis indulgẽtiis, quibus animæ defunctorum expiarentur, immani quæſtu diuenditis, ingentem pecuniæ uim nullo metu pœnæ peculatus auertiſſet. Quaſi ſi hos publica flagrantes inuidia repetũdarum poſtulari,& facilè conuictos damnari pateretur,ærarium inane celeriter eorum opibus eſſet repleturus. Cæterum Iulio auctoritate ſua atque innocentia præclarè cuncta refellenti potentes amici non deerant,qui eius abſentis cauſam diſsimulanter & obliquis maximè ſermonibus tuerentur,& manebat quidem apud æquum gratumque pontificem recentis & antiqui beneficii memoria prorſus incorrupta, ita ut parum ea ſubtili & accurata Soderini delatione commoueretur,quominus piè & grauiter ſe gereret aduerſus eum,qui præclarè cum pontificio nomini,tum ipſi Cæſari bellum gerẽti totius Ethruriæ uiribus nixus ſemper adfuiſſet. Verum fortuna ſicuti ſæpè aliàs, ita & tum Iulio peregregiè,atque oportuniſsimè fauit. In tranſitu enim Arni amnis Soderini literæ à Mediceis exploratoribus intercipiuntur, quibus ille Franciſcum regem hortabatur ad transferendum bellum in Siciliam,exulum multitudine & Hiſpanorum odio nouandis rebus oportunam, ut Cæſariani ab Inſubribus ad tuendum id regnum traherentur; monebátque ut nihil pontifici temerè crederet,qui quum de pace agere uideri uellet, Cæſari tamen perenni quodam ſtudio cunctis in rebus obſequeretur, nec quicquã aliud propenſa uoluntate magis cuperet, quàm Cæſarem noua ſemper dignitate nouísque uictoriis auctum florentemque conſpicere neq. eum debere exiſtimare in componenda controuerſia æquiſsimum iudicem fore,qui in excolendo attolendoque Cæſare parentis & præceptoris officia ſemper impleuiſſet. Erant eæ literæ arbitrariis conſcriptæ notis,ſed adeo rudi artificio,ut uel à mediocri interprete obſeruatis,& deprehenſis caracteribus facilè legerentur. Has itaque Iulius cõfeſtim Romam tranſmittit ad Ludouicum regulum Sueſſanum Cæſaris legatum, eumque diſertè edocet, quanto cum periculo Soderinus pontificiis conſiliis,& grauiſsimarum rerum diſceptationibus adhiberetur; eum enim eſſe hominem eximiis ſimulationibus ambiguæque fidei artibus ualde inſtructum, & ſuper hæc infenſum Cæſari,& Gallorum amiciſsimum, propterea ſe ab eo occultis inſidiis & atrociſsimis criminationibus peti apud pontificem,qui ab ſancta illa naturæ ſimplicitate nullas de magnis rebus ſuſpiciones ſuperfluas eſſe duceret,ut illo falſa perſuaſione depraua-

to,ipſe concideret,circũuentusque,& diſtractus Florentia pelleretur, pateretque Soderinis republica Florentina,& tota ſimul Ethruria uetere ſuo ſtudio Gallico nomini iungeretur. His conſpectis literis Hadrianus

quan

quanquàm ab initio confictas crederet, incredible odium aduerſus Soderinũ concepit, ita ut id tamen egregiè comprimeret, donec Iulius ad conuincendum Soderinum ab Ethruria uocaretur. Is non multò poſt intrauit urbem à Flaminia triumphali fermè pompa incredibili ordinũ omnium fauore exceptus; nam ueteres etiam hoſtes cum eo in gratiam redierant, adeo ut Horatius Baleonus, cuius pater recenti Leonis ſeueritate conciderat, & Fabius Petruccius, cuius frater cardinalis in arce Hadriani fuerat necatus, itemque ipſe Franciſcus Maria Feltrius bis Vrbino Mediceis armis eiectus, à ponte Miluio aduentanti obuiam honoris cauſa prodirent. Nec multo poſt à pontifice Soderinus & Iulius in Vaticanum euocantur, nam de induſtria erat euulgatum, pontificem enixè pieque daturum operam, ut duo maximi cardinales, qui affinitate eſſent coniuncti, ſe pacificatore atque arbitro cognitis & ſublatis ſimultatum cauſis ad amicitiam redirent. Verum ubi eos in penitiorem Borgiæ turris teſtudinem abduxit, & illi inter ſe parum familiari uultu colloquerentur, pontifex ad Soderinum conuerſus, interogauit an unquàm in Galliam per arbitrarias notas ſcripſiſſet, prolatiſque literis, ita cõuicit, ut protinus lethali pallore confuſus cuncta deiectis ad terram oculis fateretur: nec mora quũ interruptis uerbis defenſionem pararet, & ſupplex, ne in carcerem duceretur, oblatis uadibus locum in Vaticano ad dicendam cauſam ſibi dari poſtularet, à prætorii præfecto in arcem eſt deductus. Id factum Gallicarum partium animos fregit, auxítque mirum in modum authoritatem pontifici, qui ab ætate urbanarumque rerum inſcitia, & quadam naturæ lenitate, cum in conſilio perplexus & timidus, tum in agendo maximè lentus & parum efficax eſſe credebatur. Cœperat enim Hadrianus arcana rerum Soderino liberali fiducia communicare; & magna ex parte conſiliis eius regi, nam is erat ætate atq. oris habitu grauis, ingenio & facundia inſignis, cultiorum etiam literarum & humani diuiníque iuris ſcientia perornatus, quibus uirtutum umbraculis ſicuti ſubtiliſsimas artes incerti & parum ſinceri animi peregregiè contegebat, ita Hadrianum nihil ultra perſcrutantem facilè deceperat: ob id pontifex neminem fallere ſolitus iniquiſsimè ferebat ſe ab eo fuiſſe deceptum, qui lenocinio quodam bonarum artium tam ingratè quàm impiè fidem fefelliſſet. His de cauſis aliquantò ſuſpicacior, & ſenatui nihilo familiarior erat effectus, adeo ut cardinalibus tanquàm factioſis & parum fidelibus de belli pacíſque negotiis nihil omnino communicandum exiſtimaret. Proinde Bernardino Caruaiali & Nicolao Fliſco cardinalibus reſpondere nõ eſt ueritus, nemini uel cardinali ſe temerè credere, quod cũ periculo reipublicæ credendum foret. Cum illi forte quererẽtur quòd in conſilium cardinales ſuperiorum pontificum more nequaquàm adhiberet, quando tot graues peritíq. rerum ſenatores, ipſi nouo externóq. homini, alleuando curas, & in partem laboris impigrè ſuccedendo in regenda republica ſingulari adiumento futuri uiderentur. Ioannes quoq.

Ruffus antiſtes Cõſentinus, qui uſu rerum inſigniq. prudentia plurimum ualebat, ab intimis arcanorum cubiculis penè reiectus fuerat, quoniam Foro Liuii in Aemilia, quod illi natale ſolum, Gibellini, quibus impenſius fauiſſet, complures Guelfos nocturna irruptione trucidaſſent. Oderat enim pontifex factioſos homines, nec eos publicarum rerum conſiliis adhibendos putabat, qui priuati ſtudii rationes nequaquàm ſincera iudicii libertate reſpicerent. Hinc fiebat ut pontifex durior & hebetior in adminiſtranda republica diceretur. Nam cum in ualde prudentibus & maximarum rerum peritis, uariis de cauſis nullam omnino uel exiguam fidem reponendam eſſe iudicaret, neceſſe erat ut unis maaimè Belgis, quibus præclara fides abunde ſupereſſet, in arduis conſiliis uteretur, quanquàm in eis maiorem uim rationis atque ſolertiæ in expendendis abſoluendisque negotiis deſideraret. Hinc illud perfacetum & plenum ingenuæ libertatis Hieronymi Baldi dictũ emanauit, quum legatus Romam miſſus à Ferdinando Cæſaris fratre, furentibus Lutheranis atque imminentibus Turcis, à pontifice maturam opem imploraret, & ille cõtra perplexius, & conſideratius deliberata retractaret pleno ſenatu, Fabius Maximus ſanctiſsime Pater, inquit, rem Romanam cunctando reſtituit, tu uero pariter cunctando rem Romanam ſimulque Europam perdere contendis. Quo orationis exordio adeo pontifex uultu commotus eſt, ut plerique ſenatores uix riſum cohibere potuerint; offenderat enim primo aduentu in uniuerſum cardinales omnes, nam præmia quæ illi triumuirali magiſtratu ipſo abſente benemeritis de Repub. tribuiſſent, ita antiquatis decretis irrita fecerat, ut officio aliquot, uel grauiſsimis de cauſis dono data, repeteret: dicebat enim ſibi inopi poſtquàm ærarium penitus eſſet inane, ea pecunia opus eſſe, ad tuendam pontificii nominis dignitatẽ, nec debuiſſe cardinales alioqui rei ſuæ minimè profuſos, liberalitatis laudem ex aliena pecunia quæritate: eodem etiam cõſilio uenalicia officia his omnibus protinus ademit, quæ ſingulari benignitate Leo pontifex literatis uiris & præcellentibus ingeniis uirtutis cauſa tribuiſſet. ita tamen ut eius inuſitatæ acerbitatis inuidiam humaniſsimis uerbis deliniret, quum ea detrimenta ſe totidem ſacerdotiorũ reditibus penſaturum polliceretur, & certe nemini unquàm lætius atque propenſius ſacerdotia conferre erat ſolitus, quàm his qui ab optimis ſtudiis commendationem aliquam meruiſſent. Me quoque dimidia parte equeſtris officii protinus exutũ, quam Leo pon. hiſtoriam noſtrorũ temporum ad eius genium non iniucunde conſcribenti dono dederat, Comenſi ſacerdotio adeo ſtudioſe remuneratus eſt, ut Scaramuciæ Triuultio cardinali uehemẽter pro alio impetrare cõtendenti reſponderet, Iouiũ omnino eo, quãquàm tenui, ſacerdotio eſſe perornandum, quẽ audiuiſſet optimis diſciplinis liberaliter eruditum, & ſcriptorẽ annalium ualdè elegãtem, nec tamen eſſe poëtam ut cæteri, qui cultiores literas ſectarẽtur. Suſpecta enim habebat poëtarum ingenia, utpote qui minus ſyncero ani

ro animo de Christiana religione sentire,& damnata falsissimorum Deo rũ nomina ad ueterum imitationem studiose celebrare dicerentur,ita ut aliquanto plus mihi profuerit non attigisse poëticam, quàm in cæteris grauioribus studiis perpetuo multorum annorum labore desudasse.Gra uissime etiam tulerat se famosis carminibus apud Pasquilli statuam fuisse laceratum,sed id postea ciuili animo tulit, quum didicisset eam male dicendi licentiam obscurorum hominum libertati atque nequitiæ dari, ut quum insignes uiros impune carpserint, fortunam suam, ea uindictæ uoluptate consolentur. Decreuerat Hadrianus uti poëtis non obscure subiratus, Pasquilli statuam, quæ erat in Parione, demoliri, atque eam in Tyberim præcipitare; sed Ludouicus Suessanus urbano salsóque ingenio id fieri debere pernegauit, subdens Pasquillum uel in imo uado, ranarum more, non esse taciturum, ad id uero pontifex, exuratur ergo inquit in calcem, ne eius uestigii ulla omnino memoria superstit: Tum rursus Suessanus, rectè inquit, sed tam crudeliter concremato poëtæ cli entes non deerunt,qui patroni cineres inuidiosis carminibus prosequan tur, & supplicii locum quotannis statuto solenni die concelebrent. Qui bus uerborum lusibus pontifex ab iracundia ad iocos hilaritatémq. sensus omnes lenissime reuocauit. Cæterum qui ab eximiis doctrinæ & pie tatis laudibus, primo aduentu omnibus gratus atque admirabilis euaserat, quum equitum Sancti Petri, & annonæ præsidentium officia sublatis aut dimidiatis reditibus deteriora reddidisset, multis ordinibus aulæ & ciuitatis inuisus esse cœpit, nam plerique uniuersam patrimoniorum substantiam, & totis uitæ laborum atque industriæ fructus in officia con tulerant, allecti scilicet ubertate prouentus, cum pecuniæ sub fide publi ca pontificibus creditæ, supra decumam in annum liquidissime responderent, sed oppigneratis prouinciarum uectigalibus atque portoriis tan tæ facultates minime supererant, ut debitæ pecuniæ, tenore illo ueteris instituti persolui possent. Hinc fiebat,ut pontifex contra naturam suam ab inopia tenacior& illiberalior effectus,iniquitatis & auaritiæ calumniã subiret, ne uti ipse crebro dicere solebat, dum omnibus satisfacere contendit, omnibus demum decoquere cogeretur. Eo decreto exacerbatis officialium animis, quando quisque se impotenter exutum bonis, & sub fide publica deceptum graui uociferatione quereretur, Marius Placentinus uir togatus sacratique nominis desperatis honestæ uitæ commodis, immane facinus confodiendi pontificis uecordi animo concepit, ita ut quum egressurum cubiculo aliquandiu expectauisset, sese demum eodem ferro transuerberaret, siue impetu commotæ bilis, siue atrocioris supplicii timore, quòd rem communicasset,nec constituto in loco socius facinoris, uti crediderat, esset repertus. Ferunt pontificem eo casu uerecunda consternatione perturbatum, sæpius id omnino esse uerissimum prædicasse. quod ab antiquis auctoribus traderetur: multum scilicet referre ad feliciorem fortunam, in quæ tempora alicuius

uel præclara uirtus incidiſſet. Aurea namque tempora Leonis, omnibus florentis pacis atque opulentiæ commodis ad luxum beatíque otii lætitiam affluentia, ita bella & fames & peſtilentia, tot per interregnum pontificiſque abſentis incommoda detrimentis illatis euerterant, ut ex ea recentis ſtatus publici recordatione, cuncta mala uel immerito ad execrationem innocentiſsimi pontificis uerterentur. Interea Franciſcus rex Gallorum magnis undique coactis copiis in Italiam tranſire conſtituit, quibus rerum motibus exciti Cæſariani duces, operam enixe dederunt, ut confecta pace cum Venetis, ii etiam qui plurimum auctoritate atque opibus ualerent, in partes traherentur. In tractandis enim & exæquandis earum rerum conditionibus Hieronymus Adurnus antea uehementiſsime laborarat, morienſque Venetiis cuncta facilius abſoluenda Marino Garaciolo reliquerat. Itaque inter Cæſarem & Venetos fœdus ſolenne percuſſum eſt, nec Hadrianus moram attulit, uti oportebat, quominus Cæſar omnibus Italiæ uiribus ad arcendos Gallos uteretur. Etenim poſtridie nonas Auguſti, qui dies ab admirabili caſu multæ niuis feſta memoria ad Mariæ Virginis templum in Exquiliis eſt inſignis, ſacra celebrauit, fœduſque prolixa oratione aduerſus Gallos eſt pronunciatum, quo adſcripti erant rex Henricus Britanniæ, & Pannoniæ Ludouicus, & quicquid minorum principum & liberarum ciuitatũ in Italia erat, ipſéque Federicus Gonzaga regulus Mantuanus pontificis & reip. Florentinæ imperator eſt declaratus, deditque epulum regio apparatu Pompeius Columna cardinalis cunctis principum legatis & ſenatoribus, quum pontifex, grauiore ſacrorum mora ut in maximo æſtu fatigatus, ſeſe in proximum diui Martini templum ad quietioris prandii commoditatem opportune recepiſſet, ibi leuem ab initio ſed mox lethalem contraxit morbum, ita ut ſenſim ualeſceret febris, adulatione præſertim medicorum, qui nec exuſto intus appriméque ſiticuloſo, & de nocturna iactatione conquerenti uenas tangebant; ne ſcilicet in pernicioſam propinquæ mortis ſuſpicionem dubio metu erectum ſenem adducerent, itaque non diu deceptus ubi hora fatalis inſtabat, ſenatum aduocauit, commendatáque Rep. pileo quem ipſe detulerat, Guliermum Enchauordium gratiſsimo animo decorauit, adiuuantibus præſertim Iulio Medice, & Ludouico Sueſſano, quamuis plerique cardinales, uti in ipſo mortis limine deſpecto pontifice, in ſuffragium ituri minime uiderentur. Obiit Idibus Septembris exacto anno ex quo ab Hiſpania appulerat, & eo forte die quo Gallicus exercitus Boniuetto duce repulſis Cæſarianis Ticinum amnem tranſiuerat, ita ut maximum negotium ſucceſſori reliquiſſe diceretur. Morte eius pleriq. & præſertim ueteris aulæ ſectatores effuſiſsime ſunt lætati, & ſecundum eos nonnulli Romanorum, qui detrimenta rerum ſuarum ſenſerant: nam quum ignotæ hominum facies Vaticano à Belgis atque Hiſpanis occupato, aditum petentibus occurrerent, longum atque operoſum erat, familiaritate difficili, no-

uas

uas amicitias comparare, ita ut quiſque nouo ſtatim principatu, eam lu ctuoſi & peſtilentis ſæculi fortunam præuerti poſſe exiſtimaret, quaſi ea incommoda nequaquàm malignitate temporum, quæ tot calamitatibus eſſent notata, ſed quadam inexperti duriq́ue pontificis acerbitate proue niſſent. Super hæc manauerat in vulgus fama haud incerto auctore pon tificem nouo ſummæ ſeueritatis edicto publicatis ſuper id bullatis ſolen nibus codicillis, diſſolutæ ciuitatis mores eſſe correcturum, ita ut atroci pœna tria præſertim hominum genera perſequeretur; eos ſcilicet ante omnes, qui ad Chriſti fidem reuerſi, impia animorum deuotione Iudai cæ ſuperſtitionis ritus obſeruarent, quorum maxime pecunioſorum in gens turba, iudiciorum metu, ab Hiſpaniis delapſa, in Vrbem, tanquàm in portum certiſsimæ ſalutis confluxerat. His enim Hadrianus uetere conſuetudine plurimum erat infeſtus; utpote qui in Hiſpania ipſis inqui rendis damnandiſq́ue cum inſigni magiſtratus honore præfuiſſet. Sub id genus ii quoque ueniebant, qui ſuperis impuro ſceleſtóque ore male dicerent, & contemptim aut ioculariter de religione Chriſtiana loque rentur; & ii etiam qui minime dubitarent profana negotiatione ſacerdo tia uenditare. Secundo loco erant fœneratores atque menſarii, qui egen tium fortunas acerbiſsimis uſuris euerterent, & annonam impotenti mo nopolio & diris præoccupationibus impudentiſsime flagellarent. Vlti mo inquirere punireq́ue decreuerat iuuentutis corruptores, eius enim criminis nō omnino falſa ſuſpicione, urbs ipſa conniuentibus legibus in fecta credebatur. Qua inopinata & graui ſeueriſs. legis mentione, ma culoſos quoſdam, cum aulæ tum ciuitatis, ueluti deſperata publica ſecu ritate, terruerat adéo, ut non defuerint petulantiſsimi iuuenes, qui Ioan ni Antracino pontificis medico poſtes feſta fronde per intempeſtam no ctem protinus exornarent, cum titulo uncialibus literis inſcripto in hæc uerba: Liberatori Patriæ S. P. Q. R. ſcilicet ut eo iocularí elogio non medicus uti ueneficus aut imperitus, ſed maieſtas ipſa ſanctiſsimi ponti ficis, qui ſalutari cenſura uti dignum erat principe Chriſtiano, urbem atque aulam probroſis uitiis repurgare cogitaſſet, non obſcurè carpere tur. Enimuerò ea eſt natura populorum, ut quum diſſolutæ vitæ licen tia gaudeant, præſentis ſemper principis mores deteſtentur, ſuperiorum uitam commemoratis uirtutibus in cœlum ferant; eius uerò qui defun cto ſit ſucceſſurus mores & conſilia uti plena prudentiæ liberalitatis atq. iuſtitiæ futura pronúncient. Nam, ut plerunque fit, ſpes hominum euen tis rerumque ſucceſsibus alebantur, quando ſibi quiſque fallaciſsima ſæ pè ratione mutato ſtatim principe meliora tempora deſtinaret. Lauda bant in doctiſsimo pontifice & longè grauiſsimo ſanctimoniam, illibera litatem non probabant, oderant ſeueritatem, quam ubi, ſicuti ſæpè erat ſolitus, lenitate remiſiſſet, eam demum clementiæ laudem auaritiæ ca lumniis inuoluebant, quaſi ſontibus & conuictis nequaquàm naturæ fa cilitate, ſed parum honeſta cupiditate præſentis quæſtus omnino parce

retur, nec ſæuiſsima temporum conditione, ualde egentis, & multis ſimul difficultatibus circumuenti pontificis neceſsitatem excuſarent; Ita ut tum ciuitatis ſtatus miſerè deplorandus eſſe uideretur, quum quiſque ferè inſignium atque infimorum ordinum, recti atque honeſti penitus oblitus, cuncta ſibi in ſumma uitæ libertate licere uellet, nec ullum omni no corrigendis moribus cenſorem pateretur, etiam uel ſola pecunia, di gna ſupplicio crimina, uindicantem. Scilicet ut repudiatis Chriſtianæ medicinæ præſidiis, affecti corruptique eò inſaniæ proueheremur, ut in dignãtibus demum Diis atque hominibus in ipſa quæ imminebat horri bili cadentis urbis ruina, immanibus barbaris corpora atque animos ad omnia exempla crudelitatis atque ignominiæ præberemus. Acciuerat Hadrianus paulò antè in urbem, in Vaticanaſque ædes cupidè receperat Petrum Caraffam archiepiſcopum Theatinum & Marcellum Caietanum ueteris Chriſtianæ diſciplinæ moribus uenerabiles, & in omni graui ore doctrina longè lectiſsimos, ut eorum conſilio in cenſura morum, atque adminiſtranda ea parte Reip. quæ ſacra reſpiceret, omnibus horis uteretur. Sed mors eius aliquantò maturior cœptis conſiliis exoptatum ad publicam ſalutem ſucceſſum eripuit. Ferunt Hadrianum alioqui uegetæ uiridiſque ſenectæ contraxiſſe morbum aſsiduo ceruiſiæ potu, quæ Germanica conſuetudine ex lupulis ordeóq. decoctis exprimitur, nam per ſe cibi parciſsimus erat, & in tuenda ualetudine apprimè diligens & moroſus, tanta horarum definitione, ut denunciante architriclino paratas eſſe epulas, uel maximarum rerum colloquia protinus abrumperet: in menſa autem ad remittendum animum ſæpiſsimè delectari ſolebat Toccino ſannione ſalſiſsimo quem ab Hiſpania ſecum adduxerat, quo etiam pro ſpeculatore urbanarum rerum utebatur. Ornamenta in ſignis picturæ & ſtatuarum priſcæ artis nequaquàm magnifecit, adeo ut Vianeſio Bononienſium legato commendante ſtatuam Laocoontis, quam in Beluederii uiridariis Iulius ingenti pretio coëmptam ad loci dignitatem collocarat, auerſis ſtatim oculis tanquàm impiæ gentis ſimulachra uituperaret. Erga propinquos uſque ad notam naturæ ſubagreſtis, durus & illiberalis fuit, ita ut patruelis filium Senæ Ethruſcæ in gymnaſio literis operam nauantem, quòd Romam nequaquàm uocatus intermiſsis ſtudiis repentè ueniſſet, confeſtim meritorio equo impoſitum remiſerit; leuitatem animi identidem obiectans, & ſeuerè admonens, ut ab ſe modeſtiæ & temperãtiæ exemplum opportunè deſumeret: alios quoque nec remoto quidem affinitatis gradu neceſſarios, quum ſpe celſioris fortunæ è Germania pedibus Romam ueniſſent, mirum in modum increpauit, donatoſque ſingulis ſagis laneis, & frugi uiatico, pedibus ſimiliter in patriam redire iuſsit: quarum rerum teſtimonio ſuperiorum pontificum profuſam liberalitatem erga propinquos, uti grauem pernicioſamque Reipub. deteſtari erat ſolitus, Quando eo præſertim errore, cuncta ſenſim labefactata, ſe demum pontifice ruitura uiderentur. Amicis autem & familiaribus gratiſsimo animo ſacerdotia conceſsit, & locupletare

pletare bonos & ſtudioſos moderata ſtabilíque liberalitate concupiuit, honoréque pilei coccinei Theodoricum Hetium quum primum noui cardinales in ſenatum legerentur, exornandum deſtinarat. Præceſſere mortem eius haud obſcura prodigia; nam Borgiæ turris tectum plumbea faſtigii teſtudine inſigne, ſub qua ipſe habitabat, repente conflagrauit: retulerat etiam inter diuos Bennonem uirum ſanctiſsimum,& admirãdis operibus apud Germanos inſignem,& Antoninum antiſtitem Florentinum ſingulari pietate conſpicuum: nanq. antea ſæpius fuerat annotatum pontifices non diu ſuperuixiſſe,poſtquàm aliquem in diuorum numerum retuliſſent: Vti Leone mortuo ſtatim obſeruarant, à quo Franciſcus à Paula ingenti apparatu relatus fuerat. Conditus eſt Hadrianus temporario monumento in æde Diui Petri, iuxta Pios Picolhomineæ familiæ pontifices cum hoc titulo: Hadrianus Sextus hic ſitus eſt qui nihil ſibi infelicius in uita duxit, quàm quod imperaret. Cæterum Gulielmus Enchauordius cardinalis egregia gratiſsimi animi liberalitate non multò poſt magnifici operis ſepulchrum extruxit in templo Deiparæ Virginis Germanorum ad Circum Flaminium;in quo marmoreis pluribus ſignis, clariſsimarum uirtutum effigies erudita arte repræſentauit, quarum auſpiciis Hadrianus humanæ fortunæ faſtigium immortali cum laude eſſet adeptus, & demum moriens,certiſsimum inter cœlites nunquàm interituræ felicitatis locum optimorum omnium iudicio meruiſſet.

FINIS.

HAEC CARMINA SEPVLCHRO FVERVNT AFFIXA

Quam potes merito optimoq; iure,
Inter pontifices Pios iacere,
Maximæ pietatis Hadriane,

Inſignis pietas tua Hadriane,
Viuenti tibi profuit, decusq;
Aurei diadematis parauit
Iure id mehercule, at æquius tuæq;
Certius pietatis hoc trophæum eſt,
Defunctus quòd honoribus tot, inter
Duos contigerit PIOS iacere.

FINIS.

HAEC CARMINA SERVICHRO
IVERVNT AFRIXA

POMPEII COLV-mnæ Cardinalis Vita, A Paulo Iouio Episcopo Nucerino conscripta.

AD FRANCISCVM COLVMNAM ARCHIEPISCOPVM ROSANENSEM.

VELLEM Francisce Columna amplissime Antistes, vt Pompeij patrui tui præclara virtus, nunquàm sacris honoribus addicta pontificijq; imperij rationibus inclusa fuisset; aut postquàm ita fato datum est, in æquiora tempora saltem incidisset. Inusitatæ enim virtutis ducem, magnitudineq; animi valde illustrem, cumulatiore cum laude posteris traderemus, & ipse omni inuidiæ onere, quo vulgi iudicio fortasse premitur, iure optimo leuaretur. Quanquàm eam inuidiam alienis potius quàm suis erratis adauctam, pulcherrimo demum facto magna ex parte extinctam videmus. Nam si funesti eius belli causas & consiliorum origines æquo animo expendere velimus, nihil plus vir ille ad arma potius atque imperia quàm ad sacrorum mysteria natus, peccasse videbitur, quàm quòd Cæsarem maximorum principum conspiratione circumuentum, omnino defendendum susceperit, nequaquàm aduersarum partium odio, sed vt veterem familiæ disciplinam secutus, his adesset, à quibus Columnij magnis opibus, sacerdotijsq; & militaribus imperijs essent honestati, quum fauente Gallis pontifice, totius familiæ opes unum eundemq; cum Fortuna Cæsaris casum subirent. Adeo vt nec ineptè nec insolenter feciisse uideatur, quòd sacrata abusus purpura, vsurpatis bellicis muneribus pro salute & dignitate domus contenderit, quum ipse vnus inter gentiles suos ætate, rerum peritia, ingenioque & corporis vigore superior ad id honestæ quadam necessitate cogeretur, eo præsertim tempore, quo Columnia domus clarissimis ducibus orbata, illos suos æternæ laudis proceres, Fabritium, Prosperum & M. Antonium immaturo, aut importuno certe fato ereptos lugebat. Sed quicquid fatali calamitate pontificio nomini contigit, id proculdubio rite expiatum uidetur, quum authore Pompeio & Cæsar dignitatem suam retinuerit, & Clemens ipse pristinæ amplitudini fuerit restitutus. Cæterum vt te patrui tui virtutes imitari velim, ita similem votis tuis Fortunam exoptem, & eandem felicitatem augurer,

verum aliquanto honeſtiorem ab innocentia ſcilicet, pietate, pudore, temperantia, vt ſæculi melioris, & antiquæ probitatis ſacerdotem lectiſſimis moribus & Chriſtiana eruditione admirabilem effingas. Nos vero in reddenda Pompeii effigie, ea fide & diligentia vſi ſumus, qua libero ore vtimur in hiſtorijs, quum in his perſcribendis non ingenij modo, ſed famæ etiam periculum ſubeamus: paratis ſcilicet cenſoribus qui falſa redarguant, quando notiſſima & ſpectata omnium oculis referantur. Cæterum hoc munus, te poſcente, eo propenſiore voluntate ſuſcepi, quòd gratiſſimo animo veluti debitum memoriæ clariſſimi uiri perſoluere videbar, & iuuabat ea mandare literis, quæ ipſe in eius amicitia verſatus, & illuſtri ſemper familiaritate didiciſſem: Colui enim eum per XX fermè annos, adeo felici ſtudio, vt in domo tua apprime liberali, nequaquàm vel ſpecie vel fructu clariorem locum deſiderem, quàm apud Pompeium ipſum virtutis & literarum opinione fuerim conſecutus.

Vale.

COLVMNIAE Gentis Proceres ante ſexcentos annos in urbe Roma, Latióque potentia atque opibus ſummum claritatis locum tenuiſſe, ex annalib. conſtat, arbitranturque eos nonnulli à Germania oriundos, uel uno maxime argumento, quòd Germanis Cæſaribus in omni fortuna ſemper adhæſerint, quum ex profeſſo Gibellinas ſecuti partes Cæſarum nomen perenni ſtudio tuerentur, & Guelfis adeo infenſi eſſent, ut plerunque à ſummis pontificibus diſſentirent. Quod abundè liquet diro Bonifacii Octaui exemplo, qui quum Guelforum quàm ſacrorum princeps uideri mallet, à Sarra familiæ principe acceptas uindicante iniurias captus, in cuſtodia periit. Gentis uero nomen, haud dubie deductũ fuiſſe pleríque exiſtimant à Columna oppido, cuius reliquias uigẽte adhuc nomine, ultra Algidũ, Latina uia conſpicimus. Nam id Bonifacius atq. item Præneſte, Petrũ & Iacobum Columnas cardinales armis perſecutus (ut ſcribit Blondus) immani rabie deleuerat. Columnæ autem oppidi nomen, uetuſtatis famam non aliunde quàm ex Antonini Pii Cæſaris Itinerario accepiſſe uidemus. Cæterum in Columnia domo Stephanus ſenior utriuſq. fortunæ exemplis Romanorum procerum longe clariſsimus, quum eandem familiæ diſciplinam ſequeretur, inſigníque uirtutis atque potentiæ fama floreret, Romæ per quinque annos continuo magiſtratu ſenatoriæ dignitatis faſtigium obtinuit. Ab eo Henricus & mox Ludouicus Bauarus Cæſares in Capitolium recepti, & ad Vaticanum uel inuitis pontificibus imperatorio diademate coronati ſunt. Ad huius ſtudii officiique memoriam Ludouicus coronam auream dono dedit, ut in gentilitiis inſignibus ſupra columnam perpetuo geſtaretur. Sed Stephanus non multo poſt à tribuno plebis Rentio, atque item ab eius æmulo Varoncello, qui plebem aduerſus nobilitatem concitarant, Roma pulſus uictor tãdem rediit, plebem inimicosq. proſtrauit, filiique & duorum nepotũ indignam cædem ultus, urbi quietem & Capitolio ſuum decus reſtituit. Hic eſt ille qui per ciuiles diſcordias cõtendendo pugnandóq. exactæ ætatis ſenex factus, hortanti Frãciſco Petrarcæ familiari ſuo, ut animum ab inteſtinis contentionibus ad ocium deduceret, præclara & patritio ore digna uoce reſpondit, Romano & generoſo uiro ad ſepulchrum uſque pro dignitate & libertate eſſe dimicandum. Huius domus quum filiorum atque nepotum nobiliſsima ſobole floreret; in queis cardinales & epiſcopi, ſacratique minores uiri literis & pietate inſignes, ſummæque uirtutis & indolis militares duces uiſebantur, optimorum ſtudiorũ & ueræ uirtutis domicilium fuit. Stefano autem quum in Galliam ad pontificem nauigaſſet, in magiſtratu ſucceſsit Vrſus Anguillarius eius gener, à quo ſe Petrarca in Capitolio laurea donatum ſcribit. Sed mihi ueterum annales excutienti, & quales quantosque uiros tulerit Columnia domus memoria repetenti, Ioannes Columna cardinalis Odoar

do genitus omnes qui antea fuerint, uel poſtea uirtute ac armis illuſtre nomen ſint conſecuti, cum pietate, & magnitudine animi, tum rerum geſtarum gloria ſuperaſſe uidetur. Is enim trecentos & uiginti ante annos ab Honorio pontifice Chriſtiani exercitus & ingentis claſsis legatus, in Aegypto ad Peluſium Nili oſtium, Aeliopolim, quam Damiatam uocant, ualidiſsimam urbem expugnauit; ſæpe & diuerſo quidem euentu cum Saracenis acie conflixit, captusque & demum ſolutus, & uictor ex ancipite periculo laboréque honeſtiſsimum ſacrato uiro atque id incõparabile, omniqúe armorum ſpecie ſplendidius triumphum Romam detulit, Columnam ſcilicet in qua Chriſtus ſeruator Hieroſolymis deligatus & flagris cæſus fuit; quam in ſanctæ Praxedis templo ſupra Suburam ad Aeſquilias hodie ueneramur. Huius quoque opibus hoſpitales domos ad Lateranum cum magnis reditibus in alimenta peregrinorum calamitoſorumque hominum cum ſingulari pietatis laude ædificatas conſtat. Sed familiæ nomen & opes aduerſis ſæpe ciuilium bellorum motibus nutantes, poſt ducentos annos à Ioanne cardinale Oddo Columna coufirmauit atque auxit, quum apud Conſtantiam in concilio Chriſtianorum omnium uirtutis commendatione & Sigiſmundi Cæſaris inſigni ſtudio pontifex eſſet renunciatus, Martini nomine deſumpto. Huic ex Agapito patre fuêre tres fratres, Iordanes Salernitanus princeps, Sarra tertius, qui ſine prole deceſsit, & Laurẽtius Albæ Marſorum comes, & Neapoli magnus ærarii præfectus. Hic in quadam turre fortuito incendio abſumptus Proſperum ſummæ authoritatis cardinalem, atque item Antonium præfectum urbis & Odoardum Amalphitanum principem filios reliquit. Ex Antonio Proſper, ex Odoardo Fabritius editi, ante alios præclara familiæ lumina maiorum omnium famam uirtute bellica & fortunæ prouentu, ætate noſtra feliciter adæquarunt. Proſpero ex alia matre frater fuit Hieronimus POMPEII cardinalis pater, qui Sanctacruciis Valleios ciuili exorta ſeditione oppugnantibus, quum armatus prodiſſet, pilo ab aduerſa acie eminus contorto, per thoracem traiectus interiit. Pompeius & reliqui fratres, de quibus mox dicemus, patre orbati, ſingulari diligentia Proſperi patrui perdiſcendis literis in ludum ſunt coniecti, ſub erudito ſed admodum rigido præceptore, & procul ab urbanis delitiis. Is enim in monte Compatrum in Tuſculanis collibus eos alebat ſimul & docebat. Enituit in eo ſtatim ingenium acre, uiuidum, ſublime, & in perdiſcendo pangendoque carmine adeo gloriæ auidum, ut quum M. Antonius idem Patruelis frater, & in ludo ſocius, aliquid ipſo felicius dictaret, aperto quodam æmulationis dolore torqueretur. Decimumoctauum agens annum, eò ingenium corporisque ſtaturam ad militares artus protulerat, ut quanquàm imberbis, imperia præceptoris eluderet, nihil tamen de literarum ſtudio remitteretur, Sed cum M. Antonio ætate paulo maiore, de bellicis laudibus & de maiorũ ſuorum præclare geſtis aſsiduè diſputaret, ita ut euolare atque arma tractare

ctare malle uideretur quàm conſeneſcere in literis, quæ præſtantiſsimis tantum ingeniis gloriam afferrent, mediocribus autem uix neceſſaria uitæ frugi alimenta præbere conſueſſent. Contendebant eo tempore inter ſe armis Columnii Vrſiníque proceres, quum diſsidentibus inter ſe Sabellis, dùo eius familiæ Syluius atque Traianus ad Vrſinos ſe contuliſsent, uſíque illorum armis, Iacobum & Troilum paternis oppidis expellere conarentur, quos aduerſus parum æqua poſtulantes, Columnii pro dignitate Gibellini nominis defendendos ſuſcepiſſent. Eam uero controuerſiam in immenſum alebat Alexander pontifex mira ſimulatione modo his, modo illis fauẽs, & occulte utriſque pecuniam atque arma ſubmittens, ſcilicet ut mutuis attriti cladibus, ab ipſo demum ſine negocio delerentur. Deſcendebant à Cruſtuminis uallibus Columnii Proſper atque Fabritius, ut ſecus Palumbariam in Latium redirent. Vrſini ſub monte Cælio caſtra poſuerant. Itaque Pompeius & M. Antonius cõtineri non potuêre quin in caſtra conuolarent, intereſſéntque memorabili prælio, in quo triduo poſt utriusque factionis clari duces, partium opibus aucti confirmatíque Germanorum atque Hiſpanorum auxiliis concurrerunt. Nullo unquàm prælio, maiore æmulatione uehementioreque odio certatũ eſt, quum ab inſignibus & de facie noſcerentur, & in prima utrínque acie criſtis & uoce inſignes inter ſe noti amplius uiginti proceres depugnarẽt, qui poſtea celeberrimi nominis duces euaſerunt. Ceſsêre Columniis Vrſini capto Carolo Vrſino Virginii filio, qui cæteris imperabat, ceciditque apud Columnios Antonius Sabellus omnium pugnaciſsimus. Eo die inſigni militiæ rudimẽto Pompeius profligatos inſecutus hoſtes inſignem equum deiecto cataphracto in caſtra retulit. Secundum eam uictoriam Proſperi conſilio, & Fabritii pugnaci manu haud dubie partam ſequenti die uictores ultra Labicanum Anienis pontem in Tiburti ſub diuo epulati ſunt, Carolusque generoſe dimiſſus quum utrinque inſidioſi pontificis conſilia ſero detexiſſent, inítáque pace & compoſitis rebus Proſper Pompeium ad Federicum regem Neapolim perduxit, apud quẽ ſtatim inter cariſsimos eſt habitus, quum forte ſpectante rege nobiliſsimi iuuenes triplicato ſaltu decertarent; ipſeque productus in ſtadium, cæteros omnes cum multo ſpectantium plauſu ſuperaſſet. Interea Alexander pontifex diro ſceleſtóq. conſilio, ut amplum Cæſari filio imperium pararet, cum Ludouico Gallorũ rege fœdus iniit, cui & Venetus adaugendi imperii maxime auidus aderat, ea conditione, ut Ludouico Sfortia Ciſalpinæ Galliæ imperio depulſo, Venetus Cremona urbe; Alexander uerò Togatæ Galliæ urbibus, circa Flaminiam uiam potirentur, & reguli omnes qui pontificiæ ditionis eſſent, mulctandi delendíq. Cæſari Borgiæ traderẽtur. Ita Columnii uim imminentis procellæ felici coniectura metuentes, ſponte atque opportune diffugerunt. Ioannes Columna cardinalis Proſperi frater poſt multas latebras in Siciliam euaſit. Fabritius & Proſper apud Federicum

cum uniuerſa familiæ iuuentute,militiæ adſcripti ſubſtitêre. Secutus eſt Iubilei ſæcularis annus funeſto totius Italiæ motu, & immani pontificis ſæuitia inſignis, quo Ludouicus Sfortia & Aſcanius cardinalis frater proditione Heluetiorum capti detruſíque in Gallicum carcerem,paterno imperio excederunt.Catharina Sfortia bello capta Forocornelii & Foroliuii poſſeſsione exceſsit. Euſtorgius Manifredus adoleſcens necatus & in Tiberim proiectus,Fauentiam cum uita reliquit.Varanii Camertes reguli quatuor ſtrãgulati.Vrſini nullo ſalubri conſenſu coeuntes Paulus & Franciſcus,itemque Vitellocius Tifernas Liberoctusque Firmanus necati;Baptiſta cardinalis Vrſinus in arce cantaridũ ueneno ſublatus.Bernardinus & Iacobus Sermonetæ in Latio reguli,hic ferro, ille aconito extincti; Præterea Malateſtæ Arimino,Sfortiæ Piſauro;Feltrii Vrbino pulſi,& in exilium acti, ita ut uni omnium Colomnii proceres, admodum prudenter in ea turbulentiſsima tempeſtate egiſſe ſint uiſi, quòd paternis oppidis quæ Borgiarum nefariæ cupiditati inuadenda reliquerant,ſalutem prætuliſſent. Secutus demum eſt annus quo Ludouicus & Ferdinandus reges in Federicum Aragonium conſpirantes,nobiliſsimum inter ſe regnum diuisêre,authore pontifice, Breuíque Federicus deſertus ac proditus in inſulam Aenariam profugit,atque inde ſuperante odio in Ferdinandum quòd propinquitatis & fidei iura uiolaſſe uideretur, Ludouicum prætulit,ad quem ſupplex in Galliam confugeret.Fabritius & Proſper id conſilium improbantes, utpote qui ſalutem ſuam Gallis minime committendam exiſtimabant,exilióque ignobíli in remotiſsimis terris ſeneſcere, repetendísque paternis oppidis ſpes ſuas corrumpere nolebant,enauigante in Galliam rege, ad Conſaluum Agidarium Conſentiam ſe contulerunt, à quo ſummis honoribus excepti, magnísque auctí ſtipendiis,in id tempus permansêre, quo bellum inter Hiſpanos & Gallos exarſit, quum de finibus primo inſolenter uerbis, mox immodice armis contendiſſent.Eo conflato bello Pompeius quanquàm plane imberbis alam leuis armaturæ equitũ ductandam ſumpſit. Euaſerat enim iam & habitus uigore & animi ſpiritu plane militaris, ita ut inter Hiſpanos induſtria atq.uſu clareſceret.Ceſſerant Hiſpani ab initio Gallis.Borolumque in Apuliam ſe receperãt,uti maritimæ urbis copiis iuuarentur,atque interim è Sicilia atque Germania nouas copias expectarent.Editæ fuêre per id tempus aliquot tumultuariæ equeſtres pugnæ,complura ex inſidiis peditum prælia,iuſtísque per hiemen expeditionibus oppida multa tentata captáque, & in his Rubium Columniorum maxime conſilio & manu tormentis expugnatum,oppreſsis ibi duarum Gallorum alis,& Palitia claro duce capto.Neque ullum illuſtre bello facinus eſt editum,in quo non Pompeius aut acriter pugnãdo,aut ſeſe fortiter explicãdo,nominis famam extenderit.Suborta demũ eſt præclara contentio de uirtute inter Italos & Gallos, quum Galli ſe Italis equeſtri gloria præſtare dictitarent, atque id ſe paribus armis cum totidem

dem cataphractis, concluſo in ſtadio ad certum uictoriæ præmium oſtẽ furos affirmarent; Nam paulò antè undeni etiam Galli Hiſpaníque equi tes ambiguo Marte & incerta uictoria ad Tranium dimicarant, prouocante Motta Gallo, quem poſtea uti Borbonii ſatellitem in occupata Cæſarianorum armis urbe Roma prætorem uidimus. Indicus Lopes Hiſpanus pro Italis recepit idque mox ratum habuere Proſper atque Fabritius, qui pro decore Romani nominis, retundendam Gallorum inſolentiam exiſtimabant; quo illi numero præſcripſerant tredecim equites conſtantis præſertim ingenii & indomiti roboris delegêre. In his adnumerari Pompeius magnopere cupiebat; ſed patrui ſeueritate ei uix dum erumpentem primam lanuginem obiectantis, ab eo grauiſsimo facinore deterritus, id tamen impetrauit, ut alienæ uirtutis ſpectator foret, armigerique habitu haſtam caſsidemque Iano Capoccio equiti Romano deferret. Audiui ego ſæpe ipſum id memorabile prælium recenſentem affirmantemque ſe nunquàm poſtea, aut pulchrius ſpectaculum, aut honeſtiorem uoluptatem oculis atque animo percepiſſe; quum Itali ſtratos vulneratoſque hoſtes Gallos in caſtra captiuos cum acclamatione totius exercitus adduxiſſent. Nec multo poſt adulto iam uere commiſſa eſt inſignis pugna, ad Gerionem prope Canuſium. Iam enim Octauianus Columna Pompeii frater ad Maximilianum Cæſarem in Germaniam miſſus à Tergeſte per Hadriaticum lectiſsimas Germanorum cohortes adduxerat, Conſaluuſque eductis Barolo copiis prælio certaturus ad Gerionem peruenerat, æſtuoſo ſiticuloſoque itinere, ita ut pedites ſiti fatiſcentes ab acie ſoluerentur. Proſper Romana diſciplina idoneum caſtris locum aggere ab agreſtibus facto, & tum adaucto opportune munitum, conquieſcendum atque ibi expectandos hoſtes eſſe cenſuerat, ut Gallorum magna ui irruentium impetus obiecto aggere frangeretur. Nec eum omnino fefellit opinio; nam Ludouicus Namurſius ex Armeniaca familia, cuius erat exercitus imperium, uti plane iuuenis, quin confligeret, retineri non potuit; tametſi toto eo die cum Fabritio Columna totius equeſtris leuis armaturæ præfecto, ex itinere laceſſendo prælandoque ſuos ad magnam ſitim ac laſsitudinem perduxiſſet. Inter utrumq; enim exercitum medius conſtiterat Fabritius tam felici labore quàm periculoſo munere defuncto, ut late diffuſis alis in queis Pompeius nauiter operam præſtitit, proſpectum omnem in ea nuda planitie Gallis hoſtibus adimeret, ita ut non ſatis perſpicue conſpicere, aut coniectari poſſent, quonam ordine compoſitæ acies incederent, quibus præſidiis impedimenta firmata eſſent, quo interuallo peditum agmina ducerentur; quem denique itineris flexum Conſaluus cum ſignis atque tormentis teneret. Iam ſerum diei erat ad Quartum Calendas Maias, quum appropinquantes Hiſpanos atque Germanos Proſper intra munitiones ſalubri conſilio recepit, quanquàm illi elatis ferocia animis ea munimenta deſpicerent, profiterenturque ſe æquali & expedito in campo, uel cum

duplicato hoſte pugnaturos. Sed in Proſpero ea erat authoritas & prudentiæ militaris opinio, ut facile paruerint, quum humaniter alloquendo mirum in modum in eis magnitudinem animi laudaſſet, ut demum arrogantiam, uti exitioſæ temeritati proximam caſtigaret. Superueniente Cõſaluo inſtructæ ſunt acies, ipſe mediam, Fabritius & Proſper cornua tenuerunt. Emisêre interim tormenta Galli puluerulentóque agmine progreſsi, & propoſito pugnæ ſigno, hinc equites, illinc Heluetii Galliq́ue pedites æquata fronte incitati curſu in hoſtes procurrêre. Non tuliſſent uim irrumpentium Hiſpani, niſi ea uel exigua munitionis iniquitas nequaquàm ab ipſis Gallis explorata eorum impetum retardaſſet atque fregiſſet. In ea cunctatione Ludouicus quum alium tentaturus in hoſtem aditum confertiſsimas cataphractorum turmas reflecteret, Germanica glande traiectus occubuit. Ciandeus & ipſe Heluetiorum dux criſtarum ſylua conſpicuus à Germanis atque Hiſpanis, qui cum eius peditatu pugnam exceperant, interficitur, uixque ſemihoræ ſpatio tota Gallica acies cæſa proſtratáque eſt. Equitum Gallorum acer impetus fuit, ſed mox inſignis fuga, hæſitq́ue eorum tergis Fabritius in multam noctem, quum Alegria & Arſius duces diuerſis itineribus euaſiſſent. Proſper diuerſa uia cum Pompeio, tumultuariiſq́ue equitum turmis delatus ad hoſtium caſtra ingenti præda potitus eſt; ita ut etiam hoſtium menſæ omni cibariorum copia uſque ad luxum exornatæ, laſsitudinem uictorum abunde recrearent. Proſper ingreſſus Ludouici tabernaculum omne argentum quod in abacis expoſitum erat, Pompeio ob nauatam fortiter operam donauit, quod ipſe demum ad rationem ſpectatæ uirtutis liberali animo penè totum equitibus ſuis diuiſit. Pernoctarunt in ipſo interfecti hoſtium ducis prætorio Proſper atque Pompeius, & id quidem cum inſigni dolore ſolicitudinéque Conſalui ipſiuſq́ue Fabritii, qui quòd ea nocte in caſtra non redierant, ambos haud dubie cecidiſſe exiſtimabant. Pompeius eo die ter ſummum uitæ periculum adiit, nam quum in denſatos hoſtes irrumperet, trinis Heluetiorum indutus contis, ex equi ſella in ſublime eductus, ita cecidit inde elabente equo, ut ferè protritus erepſerit; deſtitutus eo modo in pedes quum uacuum ſeſſore hoſtilem equum correpto freno aſcendere conaretur, ab Hiſpanis eius prædæ auidis penè eſt interfectus; ſeruatuſq́ue beneficio M. Antonii & Marcelli fratris, qui opportunè ſemioppreſſo opem attulerant. Exinde perſecutus effuſos in fugam hoſtes priuſquam patruum adſequeretur, quum in nobile Galli ducis ſcortum magno auri onuſtum pondere incidiſſet, diſiecto fugatoq́ue eius comitatu atque præſidio iam manibus prædam teneret, ſuperuentu hoſtilis turmæ, penè ei ſeſe explicandi & refugiendi ad ſuos tempus defuit. Profligatis eo modo Gallis, Neapoliq́ue ſubinde capta, admirabiliq́ue artificio Petri Nauarri duabus arcibus expugnatis, Pompeius ad recipienda Fundani agri oppida cum ala ſua & peditum manu miſſus, Caietanæ familiæ principes celeriter in

de

de expulit, uſuſque Hiſpanorum uictoria in Hernicis aliquot caſtella oc cupata paulò antè à Comitum familiæ regulis in poteſtatem redegit. Interim Alexander pontifex moritur, quum ad fontem Vaticanum inſtru cto conuiuio cardinales aliquot conuiuas ueneno tollere cogitaret, & er rore miniſtri à Iagenis Diis ueluti tot inſignium uirorum neces uindicantibus, Falernum aconito dilutum ebibiſſet. Deſcenderat per eos di es è Gallia Ciſalpina Franciſcus Gonzaga atque Tramulia Gallorum du ces cum ualidiſsimis Heluetiorum cohortibus equitatuque ingenti, Ro mamque peruenerant, ut Neapolim repeterent. Conſaluus ſoluta obſi dione Caietæ ad tuendam Lyris amnis ripam in Sueſſanum Minturnen ſemque agrum copias omnes adduxerat. Cæterum multis paruis utrin que ſuſceptis expeditionibus res eò deducta eſt, ut magna ui multóque apparatu Galli, Lyri amne, ponte conſtrato, tranſeundum omnino, & cum aduerſariis patenti in campo confligendum decernerent. Erant Gallis ampliora numero, expeditioráque agilitate curruum & equorum ænea tormenta, quibus è ſua ripa ex obliquo & extremum pontis caput, & patentia camporum ſpatia petebantur, ita ut erumpentibus per pon tem Gallis, nequaquàm ſine certa pernicie occurri atque reſiſti poſſe ui deretur. Sed ambigente Conſaluo atque eum caſum reformidantibus pleriſque fortiſsimis ducibus, Fabritius Columna ad Conſaluum con uerſus. Negocium hoc (inquit) nequaquàm cunctanter conſulendo conſiderandóque patrandum eſt, ſed forti manu & expedito pugnacis animi uigore, quum iam tranſeant, & mox duplicatis turmis inuicti ro boris denſatum agmen, cui pares eſſe minime poterimus, circa pontem ſint inducturi. Extemploque collaudatus à Conſaluo Fabritius, euocatis excitatiſque ad pulcherrimum facinus familiarium promptiſsimis, & uno maxime Pompeio audacter progredi iuſſo, quum plerique Hiſpano rum ſequerentur, inter uolantes colubrinarum pilas, multoſque milites paſsim earum uiolentia diſcerptos, ad pontem peruenit, tanta ui in pri mos irruens, ut Galli cæſi pulſique partim retrò per pontem uerterentur in fugam, partim hinc & inde auerſi & reſtitantes, quum ab extrema ripæ margine deciderent, profundo & rapido amne mergerentur. Ne que unquàm Gallis poſtea fractis, aduerſo rerum euentu, ducum ani mis conſilium fuit, ut de tranſitu amnis cogitarent. Eo die Pompeius à ſpectata uirtute ab ipſo Conſaluo publicè laudari, donarique inſigni equo promeruit. Nec mulo pòſt, quum auaritia Gallorum ducum, qui ſtipendia militum auertere & commeatus procurationem ad infamem quæſtum reuocare perſeuerabant, Gallorum copiæ per hiemem imbri bus & gelu incommodam inedia afflictæ, & multis extenuatæ malis cala mitoſi exitus fortunam tulerunt; ita ut caſtris & demum Caieta urbe poſt cruentam & miſerabilem fugam pellerentur. Per id tempus Iulius Secundus Alexandro ſuffectus, uti erat Columniæ familiæ amiciſsimus, capto Cæſare Borgia atque eo Hiſpanis dedito, occupata paulò antè op

pida Proſpero atque Fabritio reſtituit, miſſuſque ad ea Pompeius ut inuiſeret atque reciperet, eo cumulatiorem lætitiam eſt conſecutus, quòd Alexandri ſumptu, & in Algido & Genetiani, & apud Neptuni portum in Antiate, & in Luculli Tuſculano, arces ædificatas comperiſſet, quibus ipſi Columnii proceres ſingulari atque inſperato ab exilii calamitate, beneficio accepto, abſque ulla armorum contentione & ſumptu potirentur. Eo modo Columniis patriæ reſtitutis, ad augendas inſuper eorum opes, Pontifex Lucretiam ſororis filiam M. Antonio Columnæ exquiſitis ingenii naturæque munerihus ornatiſsimo in matrimonium collocauit, donóque ad dotem adiecit Fraſcatum oppidum in Tuſculano, percelebrem olim Lucii Luculli uillam, atque item ædes magnificas præaltaque turre inſignes ad Apoſtolorum templum ſub Quirinali, quas ipſe in minore fortuna conſtruxerat. Ob id Proſper graui quidem iudicio Pompeium ſacris initiandum exiſtimauit. Iam enim Ioannes frater cardinalis Alexandro morte ſublato è Sicilia redierat, erantque illi ſacerdotia perampli reditus quæ omnia ſeneſcente patruo Pompeius iuuenis ad corroborandam rediuiuis opibus familiæ dignitatem excepturus eſſe uideretur. Verum ille ab ingenio planè militari, uti bellicæ laudis quàm ſacræ dignitatis auidior, uix auribus patrui conſilium admittebat, utpote qui ſperaret poſtquàm militiæ rudimenta initiáq. ſecundiſsimè proueniſſent, maioribus ſuis ſe pari cum laude ſucceſſurum, qui familiæ opes armis enitendo contendendóque amplificaſſe, & militaribus imperiis atque honoribus uirtute partis inſignem gloriam Columnio nomini quæſiuiſſe uidebantur. Sed eò acrius renuentem urgebat Proſper & ſeuerè admodum caſtigabat, quòd Marcellus & Iulius natu maiores fratres iam uxores duxerant, & Octauianus pariter connubio ex vſu factionis opportune quæſito, operam liberis eſſet daturus. Per hunc modum obſtinato animo ſacerdotales honores repudianti per quietem apparuit ei Hieronymus pater, minaci & ſeuera fronte acribus itidem caſtigans uerbis, & dextra quatiens flagellum, eo ſcilicet nudum uehementiſsimè percuſſurus, ni extemplo propinquorum iuſsis obtemperaret, atque ut in fatis eſſet ſacris initiaretur. Itaque Pompeius poſt multos æſtus fluctuantis animi, quum paterno oſtento & patruorum imperiis parendum foret, ualde mœſtus, & reluctante quidem genio protonotarius creatur; ſuperinductaque lintea ſtriata ſtola apud Ioannem cardinalem patruum familiæ magiſter eſt effectus. Tum uero, uti noui ſacratique ordinis profeſſorem decebat, intermiſſa diu optimarum literarum ſtudia, ſedato compoſitóque ad ocium ingenio, repetere cœpit. Aderant ei uiri elegantes, claríque poëtæ, Tamiras Macarocius & M. Antonius Caſanoua Comenſi patre genitus; Phædroque in primis Volaterrano, & Camillo Portio Romanæ eloquentiæ profeſſoribus familiaritate coniunctis utebatur, adeo ut ingenium excoleret feliciter, extemporaneiſque ſermonibus memoria rerum omnium fretus præcellenti, & ſublime iudi-

cium

cium,& luculentum Latinæ eruditionis apparatum proferret,ita ut non ſit mirum, ſi demum ſupremis uitæ annis grauiter ſcribendo ingenii fœcunditatem oſtenderit. Nequaquàm tamen illos elati & generoſi animi ſpiritus militares, à patre ſimul familiæque moribus ductos, adauctoſq. demum in caſtris abiecerat, quum in omni conficiendo negocio expeditus quidam & uere bellicus uigor, geſtu, ſermone,fronte, ſingulari alacritate ſemper emineret, adeo, ut cum Hiſcero Hiſpano, ob exortam cum ipſo ſimultatem ex Reatini ſacerdotii reditibus, ad ſingulare certamen prouocante congredi ſit conatus, proiecto in ſolum pileo, & ſtola ſacerdotali iracundiæ feruore dilacerata. Vetuêre inſani propoſiti exitum propinqui; Ianus Bracalonius eques Romanus eius controuerſiæ ferro finiendæ munus ſuſcepit,quod indignum eſſet & procul à Chriſtianis moribus, eum præſertim qui ſacris eſſet initiatus, in harena decertare. Sed Hiſcerus Bracalonium repudians, quum arrogantius quàm decebat, Pompeium itidem laceſſendo prouocatoriis libellis irritaret, res eum habuit euentum, ut præco Hiſpanus ad Columniæ domus aream miſſus,quo Pompeium ad ignominiam tubæ cantu certamen detrectaſſe pronunciaret, à ſeruis ſit trucidatus, poſtquàm ea atria ſuperbo auſu uiolaſſet, quæ damnatis & perfugis, propter inueteratam familiæ exiſtimationem ſaluti ſecuritatique eſſe conſueuiſſent. Ob id Rogeius Hiſpaniæ regis legatus de præconis cæde multo faſtu & uehementi oratione apud Iulium queſtus, quum obnixe peteret, ut id facinus, quod ad publicam gentis iniuriam pertineret, inſigni exemplo puniretur; rectiſsime factum pontifex reſpondit, quòd ſerui à pedibus, ut tantam iniuriæ indignitatem uendicarent, Hiſpanicam inſolentiam Romana ſuperbia contudiſſent. Nec multo pòſt Ioannes cardinalis autumnali febre extinctus interiit; impetranteque Proſpero ab amiciſsimo pontifice ſacerdotia in Pompeium translata. Ea fuêre epiſcopatus Reatinus & ſacerdotium diuæ Scholaſticæ peramplum,amœnique ſeceſſus ad Sublaqueum,aliudq. item Deiparæ uirginis ad Cryptam ferratam in Tuſculana Ciceronis uilla. Exinde lautius & luculentius uitam egit, literas ardentiſsime amplectens, nihil tamen intermiſsis cogitationibus quæ ad magnas res gerendas pertinerent, ut ſcilicet uarias Romanorum ciuium, externorumq.hominum clientelas pararet, gratiamq. ſuam, atque item gentis authoritatem ſubleuandis his qui opem implorarent uehementiſsime conferret. Id enim unum in eo uiro eximium & perenne ſtudium fuit, ut amicis præclaram conſtantemque operam præſtaret; perſequeretur uero eos pertinacibus armis, quos ipſe aut partium nomine, aut amicorum nutu oppugnandos omnino ſuſcepiſſet. Interea Iulium pontificem uehemens inuaſit morbus dolore animi ab aduerſis belli ſucceſsibus haud dubie conceptus; paulò antè enim Franciſci Mariæ Vrbinatis qui ex fratre nepos erat adoleſcentis & imperiti ducis copias, & Venetorum item auxilia Triuultius ueteranus imperator ſine ullo ſuorum vulnere

profligarat, Bononiamque Bentiuolis ueteribus tyrannis reddiderat. Qua freti uictoria cardinales ſeptem qui à pontifice deſciuerant indicto Piſis & demum Mediolani concilio uehementius & arrogantius ad dicendam cauſam Iulium uti pſeudopontificem, criminoſiſsimis editis libellis citabant. Itaque manante per urbem fama Iulium intra paucas horas expiraturum, coiuêre in Capitolio Romani ciues, atque item utriuſque factionis proceres miro conſenſu de republica conſultantes. In his principes erant Pompeius Columna, Robertus Vrſinus Pauli qui à Cæſare Borgia necatus fuerat filius, Georgius Cæſarinus, & Anthimus Sabellus, qui nobiles opulentaſque ſecundæ claſsis familias, atque item populum & infimam plebem, rerum nouarum cupidam, ad publicum audendum facinus pertrahebant. Summa conſiliorum omnium erat, uetere libertatem tanquàm fallaciſsimis ſacerdotum artibus ereptam, armis recuperarent, nec ſe in poſterum per inane iuſiurandum noui pontificis & inſidioſas cardinalium pollicitationes fœde decipi, circumſcribique, & indignæ ſeruitutis compedibus uinciri paterentur; urbem & uectigalia & iurisdicundi magiſtratus antiquiſsimæ poſſeſsionis iure ciuium eſſe Romanorum. Porrò ſacrorum curam ſacerdotum atque pontificum iuris eſſe, quorum auguſtæ dignitati æquum eſſet ſummos honores exhibere, & in tota admiratione reipublicæ Chriſtianæ eorũ authoritatem ſequi. Cæterum uetere Romani nominis gloria indignum uideri, quòd paucorum ſacerdotum impotenti auaritia libidinéque cuncta populi commoda interciperentur, illorum enim profectò eſſe emolumenta rerum omnium; porrò ipſi ueluti ad ſolatium ſenſim inductæ ſeruitutis, ueterum tantum honorum imagines eſſe relictas; quum ſenatoris paludati ſceptrum & triumuiralis magiſtratus conſeruandæ urbis, uirentes faſces ſpecioſa uiſu inſignia inter pompas & agonales ludos, inanem & irriſam authoritatem obtineant, & ſi qua ſint quæ pudore ſuperiorum pontificum minime abolita uideri poſsint; ea tamen prætoris urbani ſummo & peracerbo quidem imperio circumſcripta & anguſtiſſimis iuris dicundi finibus incluſi teneantur. Omnium profectò pontificum id eſſe decretum, quod nemo niſi planè uecors non intelligit, ut ex ciſa uetere Romani ſanguinis ſtirpe ſublatiſque proceribus, tota urbs occupanda inquilinis & ſemibarbaris hominibus concedatur. In eam quoque rationem principes urbis familias ſolito purpurei galeri honore, quo iamdiu orbatæ ſint, pertinaci pontificum liuore priuari, excludiq. uirtutem ipſam ab aditu ſenatus, quem ex aduerſo probroſis hominibus abunde repleuerint, ne unquàm generoſis, Romaniſque ingeniis pateat locus unde ad faſtigium ſummæ dignitatis eniti poſsint, Quaſi Romanæ ciuitati omnino erubeſcendum ſit, aut Chriſtiano orbi pœnitendum, quòd Cæleſtinus Comes, Honorius Sabellus, Nicolaus Vrſinus, & Martinus Columna ſacris & reipublicæ præfuerint, qui pietate, innocentia, uirtutéq. animi illuſtres, multas ſucceſſoribus tenebras offudiſſe uideantur.

In his

In his concionibus ut quiſque acerbiſsime atq,infenſiſsime de ſacerdotũ moribus,dominatuque prolocutus eſt, is ante alios conſtãtiſsime & pro dignitate Romanæ libertatis dixiſſe eſt uiſus & publica uoce celebratus. In his Pompeius uehementiore eloquẽtia fuit inſignis quum libero ore cunctis dicendum,& cardinalibus per interregnum ui & manu perſonã omnino detrahendam eſſe peroraſſet.Indignabatur enim quòd Vrſino, Sabello,Columnæ,& Cæſarino nuper defunctis,nemo Romani ſanguinis eſſet ſuffectus,quum Alexander & Iulius aliquot nouos homines, & ſcelerum infamia notatos in ſenatum delegiſſent.Itaque decretum eſt ut armati conclaue in Vaticano circunſiderent; à cardinalib. ante inita comitia ſingulis ſacramẽto adactis poſtularẽt remitti uectigalia,ſalísq. præſertim,& demum aliarum rerum immunitates,per uim antiquatas aboli tásque reſtitui, utque à nouo pontifice priuſquàm conclaue excederet, & ad diui Petri aram deferretur,triumuiris antiqua ſpatia iuriſdicundi, & populo creandorum magiſtratuum iura ædilitatísque munera redderentur;& uti primo quoque tempore legeret in ſenatum quatuor Romani nominis cardinales, legemque promulgaret, qua urbana ſacerdotia ueteribus Romanis,aut ante Patres ciuitate donatis,conferrentur.Fuêre & qui intemperantius uocem efferendo & in his M.Altherius & Iulius Stephanutius (is tum erat triumuir) molem Hadriani repetendam, Romanóque præſidio cuſtodiendam cenſerent. Sed dum Romani in Capitolio horis propè omnibus cõſultant,Scipio Lancelotus medicus, pontificem ſtomachi uitio proſtratum & alimenta repudiantem,oblato perſico pomo,ad certam uitæ ſpem feliciter erexit. Ad eius rei famam diſſoluta extemplo populi cõſilia, & dilapſæ cohortes quæ iam ad ſigna conuenerant. Verum de Capitolinis concionibus nihil omnino à cubiculariis pontifici fuit delatum, ne in ægrè conualeſcente iracundoque homine,ad eius exitium bilem mouerent.Forte per eos dies Petrus Vallius cardinalis Rheginus Togatæ Galliæ præfectus, quum falſo rumore defuncti pontificis prouincia excitus, Romam mutatis ad celeritatem iumentis ad comitia conuolaret, inuſitato labore, & calore confractus interiit,ambigentéque Iulio quem nam idoneum atque negocio parem ſufficeret, unus ante omnes Pompeius delectus eſt, quum in prouincia factioſa bellicoſáque,inter Gallicos tumultus, Bentiuolorum & Ferrarienſium armis expoſita uiro opus eſſet,qui generis authoritate,expeditóque conſilio & militaris ingenii uigore præſtaret. Porro Pompeius qua de cauſa in Vaticanum uocarentur ignarus, in ancipiti conſilio aliquandiu hæſit, ut ipſe unus quòd ordine ſacerdos eſſet,turbulentæ concionis pœnas daret.Quamobrem aduocatis in concilium ex utraque factione amicorum primoribus, dixit ſe omnino ad pontificem iturum; ſi uero aliquid ſibi durius accideret,nauiter ad arma conclamarent,& celeriter opem ferrent.Sed Iulius ita eum amicè excepit,ut inde non modo metu liberatus, ſed auctus prefecturæ honore domũ reuerteretur, ſuper hæc

optima ſpe etiam plenus;Nam Iulius dixerat eum è prouincia purpureo galero inſignem eſſe rediturum. Sed dum Pompeius iumenta parat & familiam inſtruit,biduo in prouinciam profecturus,amici Franciſci Mariæ,& in primis Iſabella Gonzaga ex adoptione mater,quæ tum aderat, metu conſternati, Iulium adeuntes docuêre eo conſilio nihil eſſe alienius à rationibus pontificis ac ſalute Franciſci.Nam ſi Pompeio deſignato præſidi Togata Gallia traderetur,præberi inde aditum Fabritio Columnæ ad inuadendum Vrbini principatum, quum is tum ualidiſsimis inſtructus copiis, aduerſus Gallos bellum gereret, & in propinquo eius rei aggrediendæ occaſionem opperiri uideretur. Nam Fabritius ex Agneſina Guidonis Vbaldi pariter ſorore liberos ſuſtulerat,ad quos ex æquo dimidia eius principatus hæreditas pertineret; adeo ut ad iniuriã Columniæ domus Agneſinæque & liberorum, Franciſcum à Guidone adoptatum fuiſſe quereretur,dictitarétque ſæpius, ſe aliquando aut iure aut armis eius hæreditatis controuerſiam finiturum. Addidit & infeſto ſermone mulier itidem periculum deprecata, nequaquàm è republica uideri,ſi eum obiter dignitate exiſtimationeque auctum, prouinciæ toties commotæ, paratæque ad ſumenda arma præficeret, qui dudum in Capitolio princeps,turbulentiſsimis conciliis & concionibus,Romanos ſpecie recuperandæ libertatis aduerſus ſacerdotes concitaſſet. Ea re Iulius tum primum audita extemploque aduocatis familiaribus ordine recitata,iratus Pompeio ſignificari iuſsit,ne ſe ad iter compararet; quoniã ipſe aliud de præfectura Togatæ Galliæ conſilium deſumpſiſſet. Nec mora Pompeius non tam ſibi metuens,quàm feruido ingenio contumeliam non ferens Hieronymum Viccum Ferdinandi regis legatum orauit,ut ſe ad pontificem deduceret.Dicturum enim ſe,coram, publicam Romanorum omnium cauſam,quæ æquiſsimis poſtulatis munita atque defenſa uideretur,priuatíque officii ſui erga ciues neceſsitatem excuſaturum. Quum ea Vicco probarentur, deducereturque in Vaticanum Pompeius amicos monuit obſecrauítque ut inſtructi paratiq. eſſent ad defendendam iniuriam,ſi ſibi uis inferretur.Cæterum pontifex ad cubiculi fores expectantem,fruſtra rogantem legatum non admiſit;hoc unũ auſtero ore prolocutus. Nolo ego iracundus cum ſuperbo & turbido uerbis decertare.Neque ulla res Pompeio moram attulit,quin extemplo ab urbe in Nemorenſem uillam proficiſceretur, planè alienatus & pontifici futurus hoſtis,quum ei ſalutem minime commitendam exiſtimaret.Nec multo poſt Petrum Marganum urbe profugum ad ſe recepit.Is iuuenis,ingenio ferox,opibus & clientelis potens,Centium cohortis uigilum præfectum in campo Floræ trucidarat,ut ùeterem contumeliam uindicaret, quòd ab eo non multo antea, quòd ferro ſuccinctus inambularet, abſque ullo uerborum honore in carcerem eſſet perductus. Præerat tum prætorianis equitibus Marganus pontificis amicitia inſignis,quòd eum à ſacro baptiſmatis fonte,& demum per omnem æta-

tem

tem in delitiis habuiſſet. Sed in Margano nequaquàm tanti reuerentia erga principem atque eundem prope patrem atque nutritium fuit, ut honeſtiſsimis ſacramenti militaris rationibus, uindictæ libidinem anteferret. Inueterata enim cõſuetudine Romani maxime decorum putant præfectum uigilium interfeciſſe, quòd eo facinore fortiter patrato totius iuuentutis, gladiatorumque omnium gratia atque inſigne ſtudiũ comparetur; confirmeturque ea opinio apud omnes ordines, in Romanis pectoribus non deeſſe generoſos ſpiritus pro tuenda nominis dignitate, Quanquàm fatali temporum iniuria ſenſim decepti, oppreſsique, à uetere ſua amplitudine, fortunáque deciderint. Itaque Pompeius atque Marganus adueniſſe tempus rati quo arma expedirent, Robertum Vrſinum in ſocietatẽ adſciſcunt, cum Marcello, Iulioq. Pompeii fratribus, itẽque Petro Franciſco Columnæ conſilia communicant, decernuntque in Gallorum partes tranſeundum, ut eorum adiuti pecunia, conſcriptísque copiis, pontificem domeſtico conflato bello, ab Ethruria ſimul & è Latio adoriantur. Coniuratione itaque inita & conſtitutis rebus, Marganus atque Robertus in ulteriorem Galliam magnis itineribus contendêre, explicatisque gerendi belli conſiliis, à Gallis ducibus liberaliter ſuſcepti laudatique, ſupra uigintimilia aureorum nummûm ad præbenda militi ſtipendia, per ſyngraphas accepêre; eaque mox pecuniæ ſumma Mediolani atque Florentiæ per menſarios curata eſt. Galli eo tempore cum Venetis ſimul pontificéque & Ferdinando rege bellum gerebant, maximumque ad maturandam uictoriam momentum putabant, ſi utriuſque factionis uirium acceſsione Iulius, nouo repentinoque domi laceſsitus bello, urbe Roma pelleretur. Ferunt Proſperum ab initio non ignarum eius coniurationis, ab honeſto quodam liuore, nequaquàm diſsimulanter optauiſſe, ut Iulii Ferdinandique ſpiritus aliquo aduerſo rerum ſucceſſu frangeretur, quòd ab his in eo armorum tumultu, ipſe tantus imperator eſſet prætermiſsus; quum hic Raimundo Cardonio uiro eleganti potius quàm belli perito aut forti, copiarum imperium detuliſſet; Ille uero fratis Iulii adoleſcentis opera parum feliciter uteretur; cuius ipſe antea imperio parere recuſaſset, ne graui cum iactura antiquæ exiſtimationis ſuæ, quæſtui potius quàm antè partæ laudi conſulere uideretur. Verum ubi rem ad extremi diſcriminis aleam omnino deductam uidit, feruidorum iuuenum audaciam ciuili remedio reprimendam ratus, dedit ſedulo operam ſubſtracta pecunia, ne militares copiæ conſcribi poſſent; Prouidebat enim uir æque pius & ſapiens atque in omnino conſilio moderatus, humana diuináque omnia fœde conturbari, amiciſsimíque pontificis conuelli dignitatem, Neapolitanumque regnum in longè maximũ diſcrimen deuocari, pro cuius poſſeſsione cum Gallis paulò antè tanto cum periculo & tanta cum laude dimicaſſent. Itaque Pompeius atque Marganus exuti pecunia & præſentis Proſperi authoritate miníſq. deterriti, ad Sublaqueum ſe receperunt, oppidóque munitiones addide

runt, quibus ſeſe aduerſus irati pontificis imperium tuerentur. Interim Robertus Vrſinus, Iordani Vrſini hortatu, qui pontificis erat gener, & propinquorum omnium precibus, libertatèque item pontificis expugnatus, ad officium rediit; Archiepiſcopusque Rheginus in ſpem & propinquum gradum ſenatoriæ dignitatis creatus eſt. Sed nequaquàm Gallis reſtituta pecunia, quòd eam domeſtico cultu, conuictúque, & feſtinata in milites largitione profudiſſet. Conflixerant per eos dies ad Rhauẽnam Gaſtonus atque Cardonius funeſto utrinque euẽtu, quum ſtratis pari prope clade ualidioribus utrinque copiis Gaſtonus memorabilis adoleſcens in ipſa uictoria cecidiſſet, Cardonius uerò deſerto exercitu fœdè profugiſſet, & Fabritius magiſter equitum, & Nauarrus peditum omniũ præfectus, legatusque ipſe Ioannes Medices cardinalis in Gallorum poteſtatem ueniſſent. Eius aduerſæ pugnæ nuncius adeo pontificem exterruit, ut mari profugiendum deſerta Vrbe cogitaret, ne ab inteſtinis hoſtibus opprimeretur, quum Pompeii conſilia repentinumque impetum magnopere formidaret. Sed eum concepto metu ualde commotum, neque tamen deſperantem in ſpem erexit confirmauitque Iulius Medices, qui tum Rhodiæ militiæ eques, poſtea pontifex Clemens Septimus eſt appellatus. Is enim omnium primus è Gallorum caſtris in urbem intento curſu peruenerat, ut pro redimendo fratre Legato, cum ab ipſo pontifice, tum ab amicis omnibus, opem atq. pecuniam impetraret. Is detecta & ſigillatim expreſſa Gallorum calamitate, recitatísque nominibus eorũ ducum, qui in acie cecidiſsent, aut grauiſsime ſauciati Ferrariã delati eſſent; tantis incommodis debilitatas hoſtium copias eſſe docuit, ut quum Hiſpanos pedites denſato agmine foriter euaſiſſe diceret, nihil iam amplius ſibi timendum Iulius arbitraretur; ſed continuo pecuniam affatim proferret reparandis copiis, mitteretq. ad Heluetios Matthæũ eius gentis cardinalem, ut inde auxilia pararentur. Quibus intra paucos dies euocatis & adiuncto Venetorũ exercitu, Galli ab Atheſis ponte deiecti, pulſíque demum Ticino urbe, atque amiſſa fœde Italia, ultra alpes continenti curſu profugerunt. Ita pontifex ex ſummo dolore repentina affectus lætitia, incomparabilique uictoria potitus, Bononiam recepit; Ioannem Medicem legatum quem Rainaldus Zactius nobili facinore edito è manibus Gallorum eripuerat, Florentiæ patriæ paternæq. amplitudini reſtituit, Petro Soderino inde pulſo, quòd profugis ad ſe ſeditioſis cardinalibus & concilio demum Piſis ſedem dediſſet. Conuerſus demũ contra Pompeium, tametſi eum nequaquàm hoſtili animo armísque perſequendum iudicabat, ut eius errata familiæ cõdonare uideretur, ad retinendam tamen ſacroſancti imperii exiſtimationem, ut exemplo cæteros ſacerdotes deterreret, ei geſtandi uiridis pilei honorẽ atque item ſacerdotia ademit, promulgatis in eum iudicialibus libellis; cæterum ſacerdotiorum reditus M. Antonio largitus eſt: Is Iulii ex ſorore neptem Lucretiam in matrimonio habet, inſigníque gratia ſupra affirmantem

eximiis

eximiis bello & pace uirtutibus parta apud Iulium florebat. Quas ob res Pompeius conſulendum ſaluti ac libertati ratus, ſupra Sublaqueum præ alta in rupe, arcem quem Ceruariam appellabant ædificare cœpit, ut ſi aduerſum ſe armis Iulius utendum ſtatueret, loci munitione defenderetur. Sed M. Antonius lenito Iulio Pompeium fratrésque eius omni metu facile liberauit; nullis tamen præcibus potuit impetrare, ut ei ſacri pilei dignitas redderetur. Ignoſcebat ei pacato animo iniuriamque remittebat, ita ut etiam maturè per breuem epiſtolam gratiam & reditum polliceretur. Sed epiſtolam reiecit Pompeius generoſo, atque indomito prorſus ingenio, quòd pontifex epiſcopi Rheatini titulum in præſcriptione non poſuiſſet; adeo ut præconi qui eam attulerat, uultu in amarum renidenti & ſubirato diceret; Alibi eum Pompeium ad quem pontifex ſcriberet eſſe requirendum, ipſum certe eſſe epiſcopum Rheatinū, ad quem minime ea epiſtola ſcriberetur. Sed eam rem ad excitandum riſum M. Antonius detulit, feſtiueque peruicit, ut in literis epiſcopi nomen adderetur. Paucis poſt menſibus Iulius diuturno fluentis alui morbo conflictatus, uotorum fere omnium compos, & pro lati imperii gloria plenus interiit. Nec moratus eſt Pompeius, quin in Tuſculanum amicos & propinquos omnes aduocaret, cogeret copias & ænea tormenta pararet; quibus irruptione in urbē facta Antonii Montani cardinalis qui Rheatinum epiſcopatum ambitiosè potius quàm honeſtè ſuſcepiſset, & Mariani Cucini, qui fiſco præfectus criminoſum libellum quo fuerat damnatus dictauerat, domos bellico more diſturbaret. Hæc parantem tardauit Fabritius, egítque cum cardinalibus ad ineunda ſuffragia paratis, ut Pompeio inſignia ſua redderentur; idque facile impetratum eſt. Effuderant enim ſe omnium ordinum Romani ciues, ut redeuntem uiſerent, eique ſtudia ſua pollicerentur, adeo ut Tuſculana uia euntium ac redeuntium frequentia percelebris efficeretur. Andreas quoque Valleius qui poſtea cardinalis eſt effectus, ad eum ſenatus nomine legationem ſuſcepit, fidemque publicam interpoſuit, ut egregia omnium uoluntate priſtinæ dignitati reſtitueretur, ſi ab armis diſcederet, intraretque urbem eo animi decreto, ut commotæ ad arma urbis tumultus compeſceretur, & comitiis publica ſecuritas atque libertas ipſo ante alios præſidente præſtaretur. Intrauit itaque urbem Pompeius, magna omnis generis togatorum & militum frequentia ad ueteres ædes deductus; foribus concluſi ad ineunda ſuffragia ſenatus præfuit. Nec multo poſt, quum Iordanus Vrſinus, Fabritius Columna Iuliusque Vrſinus & Lucas Sabellus ſalubri conſenſu erumpentes paſsim tumultus feliciter compreſsiſſent, Ioannes Medices deſumpto Leonis Decimi nomine pontifex eſt renunciatus. Is ſingulari humanitate Pompeium ad oſcula pedum admiſsum, extemplo dignitati ſacerdotiísque omnibus reſtituit, proſecutúsque eſt inſigni liberalitate Columnios proceres, Fabritium in primis & Proſperum quum eis peramplas & tripar-

titas ædes cum ornatiſsimis hortis daret, quas Iulius in priuata fortuna Columnio in ſolo ad ſanctos apoſtolos ædificarat. Exinde Pompeius in honore habitus, urbem atque aulam biennio coluit. ita ut æſtate ad Sublaqueum & ſæpius in Tuſculanum ſecederet; nihil intermiſſa Romanæ iuuentutis familiaritate, amicitiáque ſummorum ciuium & eorum præſertim cardinalium, qui generis nobilitate & magnitudine animi præſtarent. Venationibus enim & aucupiis ſtudebat, ita ut ſæpe ab eo miro apparatu & exquiſitis ſumptibus publica cõuiuia mediis in campis & apud fontes ſumma comitate atque hilaritate præberentur, Erat enim in omni re, quam attingendam tractandamque ſuſcepiſſet, & ciuili ſplendore pergelegans, & ſacerdotali copia ſumptuoſus, & ſupra omnes mortales in omni ioco atque negocio, militari quadam libertate lætiſsimus, ut non ſit mirum plurimos omnium ordinum ciues atque externos eius uiri authoritatem & ſtudia alacriter & conſtanter in utraque fortuna fuiſſe ſectatos; Quum generoſa admodum fronte atq. eximio corporis habitu, cultuque & erudita nobilique facundia, in alloquiis, & in omni diuinarum atque humanarum rerum actione præcelleret; utereturque præſertim munificentia & comitate, & id quidem ſubtili iudicio erga eos, qui magnorum procerum gratia & familiaritate florentes, aut optimarum artium & uirtutis laude conſpicui, eius liberalitatis atque amicitiæ munera & ornamenta præferre atque oſtendere poſſe cenſerentur. Propterea dicere ſolebat Columniam domum, ipſa Vrſinorum familia, quæ opibus & uetuſtate originis, atque item honorum præclare geſtorum dignitate par eſſe uideretur, multo nobiliorem euaſiſſe; Quòd Vrſini ſub agreſti negligentia, & quodam ſupino literatorum contemptu, certa ſcriptorum luce caruerint; Columnii uero, uel uno illuſtri Petrarcæ teſtimonio, memoriam apud poſteros cum ſumma uirtutis commendatione fuerint conſecuti. Interea pulſis Italia Gallis & Ludouico rege uita functo, Franciſcus eius gener coacto ingenti exercitu, per Argenturias alpes in Italiam peruaſit, capto ex itinere Proſpero Columna, qui cum Heluetiorum cohortibus atque Italico equitatu ad occupandos Coctiarum ſaltus fruſtra præceſſerat. Nec multo poſt rex iuuenis plenus animi bellicique uigoris ad Mediolanum ſtratis Heluetiorum legionibus inſigni uictoria potitus eſt, uenitque ſubinde Bononiam ad pontificem ſalutandum. Eò Pompeius propere contenderat, ut patruo in ea calamitate pietatis officia præſtaret; Apparebat enim Gallos Proſperum tanquàm ipſorum nomini uehementer infenſum ac ducem omnibus bellis aduerſa ſemper acie ſibi oppoſitum, ægre uel ingenti accepta pecunia dimiſſuros. Sed Pompeius adeundo orandoque ueteres amicos, tantum labore, ingenio, diligentiaque perfecit, ut Leo qui omnes mortales beneficentia ſuperare erat ſolitus, id inter multa initæ amicitiæ argumenta prolixe peteret, ut Proſper cuſtodia educeretur. Neque Franciſcus qui reges omnes, magnitudine animi, clementia & liberalitate ſuperabat,

explen

explendo Leonis uoto moram attulit, adeo ut benigna etiam manu, impositæ mulctæ onus, persoluta ex fisco dimidia parte, subleuaret. Quatuor enim duces qui eum ceperant octona aureorum nummûm milia depoſcebant. Itaque Pompeius expedita re nummaria, redeuntem in Galliam regem subsecutus, media hieme trans Alpes contendit, quo iti nere summum se uitæ periculum adiisse sæpe memorabat, quum ipso Peninas superante alpes deuoluta ingens è summis alpium iugis niuium moles permultos omnis generis mortales, & in his integram Sedunorũ legationem paucis ante se passibus oppressisset. Absumptis itaque in Gallia paucis mensibus Pompeius hospitaliter ubique receptus, dinumerata pecunia, patruum custodia eduxit, ea tamen conditione, ut per syngrapham Prosper promittere cogeretur sese sub signis regiis militaturum, si intra certum tempus ipsius opera Franciscus præbito stipendio uti uellet, eo enim tempore rex Gallus qui dudum Maximiliani Cæsaris Heluetiorumque conatus ad Mediolanum Triuultii atque Borbonii uirtute ac studio & copiis Venetorum egregie repressérat, noua inire consilia ferebatur, quibus Neapolitanum regnum repeteret, quum paulò antè Rex Ferdinandus in Hispania decessisset. At Prosper ubi Italiam attigit, quum ad eum magni militum concursus fierent, lentis admodum itineribus apud Regium Mutinamque progredi cœpit, ita ut res nouas moliri, & cum Cæsarianis, qui Venonæ oppugnabantur, consentire diceretur. Ea res solicitos & anxios reddebat Gallos, qui Parmæ Placentiæque in præsidiis erant, adeo ut Lotrechius Veronam oppugnaturus, de syngrapha certior factus Prosperum perfidiæ compellaret, quòd in grato infidelique ingenio recentis beneficii & datæ fidei memoriam abiecisset. Ea Prosper tanquàm necessitate carceris expressa, ut apud Cæsarem Carolumque nepotem perspicue maturéque diluceret, simulq. ut præmia à Ferdinando accepta nouo regis diplomate firmarentur, Pompeium delegit, uirtuti eius industriæque confisus. Neque is Germanicæ & Belgicæ legationis munus quanquàm plurimi laboris atque periculi plenum detrectauit, penè etiam subiratus matri fratribusque, & amicorum præcipuis, qui crebris patrui literis euocatum in Vrbe retinebant, quum inutilem & multis subiectam casibus eius profectionem improbarent. Sed parêre patruo certus, & in nocturnis uisis, Genióque simul magnam spem reponens ad Prosperum contendit. Nam per quietem uiderat, sibi in palestra fesso uictorique pampineam coronam cum Iulianæ uuæ racemis à uiro gigantea specie certaminis iudice, in ipsa ludorum celebritate alacriter deferri. Nec somnio defuit fides, aut spem eius Genius fefellit. Acceptis igitur ad Mutinam mandatis Mantuam concessit, ut inde aliquo astu ad alpes euolaret. Didicerant enim Galli & Veneti per exploratores Pompeium suscepta legatione Mantuam peruenisse; propterea diurnis nocturnisque stationibus itinera omnia diligenter obseruabant, ita ut non nisi summo cum periculo ad Alpes se pro

ripere posse uideretur. Sed eam hostium diligentiam consilio Sigismun di Gonzagæ cardinalis elusit, quum agrestes tramitum omnium peritos, eius itineris duces accepisset, quorum fideli felicique opera in Brixiana rum alpium ualles inusitatis callibus perductus ad Ludronios primo regulos, atque inde in Rhetiam & Vindeliciam ad Maximilianum peruenit. Quum susceptus humaniter à Cæsare regum omnium longe humanissimo, mandata exposuisset, adhibereturque deinde grauissimis consultationibus, tantum quotidianis sermonibus profecit, ut iam plane familiaris & multarum horarum comes, in uenationibusque præsertim in signem gratiæ locum sit consecutus. Pernobilem enim peritumque rerum omnium hominem, & partium necessitudine sibi coniunctum nactus Cæsar, adapertis sensibus arcana proferre, rationesque suas effusius atque liberius communicare cœperat. Querebatur enim nepotem Carolum à Ceurio Belga nutritio circumscriptum, obsessumque teneri, illi gariq. nouis Gallorum fœderibus, quæ ad minuendam conuellendamque Austriæ domus dignitatem pertinerent, fallacissimas recensendo artes, quibus Galli paucis ante annis intercepta ipsius uxore, & filia pariter repudiata inexpiabiles iniurias intulissent. Itaque à Pompeio petiit ut hisdem de rebus suo nomine ad nepotem mandata ferre uellet, daretque operam sedulo, ut Caroli adolescentis animus, ipsius industria falsis opinionibus liberatus, ab amicitia Gallorum auerteretur, secus ac Ceurius contendebat, quum fœdere uel parum æquo, atque insuper sponsalibus amicitiam firmare properaret, Dicebatque Cæsar Ceurium non animi iudicio inductum, sed Gallico corruptum auro, aliena à salute dignitateq. Belgicarum rerum & apertæ penè perfidiæ plena consilia protulisse. Nec detrectauit id munus Pompeius, quum se grauissima ea legatione suscepta plurimum honestari perspiceret, arbitrareturque ampliore, neque ab se quæsita dignitate, patrui negocia opportune atque facillime confecturum. Per eum modum dimissus à Cæsare & regulis liberisque ciuitatibus per quorum agros iter erat facturus, per literas magnopre commendatus ad Carolum in extremis Belgarum terris ad Oceanum peruenit. Ibi Pompeius quum magnam partem aulæ ad ineundum cum Gallis fœdus ualde propensam & inclinatam comperisset, & multi in adulationem prompti decora atque salubria reticere quàm Ceurio parum secundè obsequi mallent, in quo uno summæ potentiæ iura, & regni sceptra uiserentur, officii sui munus ingenti animo, & libero ore implere constituit; honestissimum enim atque pulcherrimum ratus, si Cæsarianarum partium decus quarum Columnii in Italia principes esse uiderentur aduersus Gallicæ gentis potentiam, quæ Romano nomini infesta semper fuisset, à Columnio Romanoque homine defenderetur. Sed appositè differendo orandoque Pompeius frustra egit, plerisque proclinatam rem adiuuantibus, qui Ceurii uotis in spem certissimi quæstus fauebant. Quibus de causis Pompeius iam planè Ceurio infensus,

hæc ad Cæſarem ardentiſsimo ſtudio perſcripſit, monuitque, ut ſi flagitioſis corruptorum hominum cõſiliis reſiſtendum, nepotisque dignitati omnino conſulendum arbitraretur, iter mature ſuſciperet, ueniretque in Belgium ut ipſo præſente demonſtranteq. aduerſariorum animi frangerentur. Nec profectionem diſtulit Cæſar, extentiſque itineribus Macliniam peruenit. Cæterum eius aduentu nihil amplius de ueteribus conſiliis eſt impeditum, quàm ne Carolus cum Gallis una connubii ſponſione iungeretur. Fœdus itaque percuſſum Nouioduni neceſſariis potius quàm honeſtis conditionibus. Vnde poſtea exortum eſt id bellum quo Europa omnis per uiginti annos deflagrauit. Fuêre qui exiſtimarent Maximilianum egentem pecunia, occulta Ceurii largitione, cui ea pecunia ex Gallorum legatis prodiiſſet, facile expugnatum atque placatum aſſenſiſſe fœderi, quoniam non prius Carolo in Hiſpaniam ad obtinenda regna nauigandum uideretur, quàm Belgicas ciuitates omni belli ſuſpitione liberaſſet. Nec multo poſt Pompeius quum prolixa Maximiliani authoritate adiutus Proſperi patrui negocia confeciſſet, eſſetq. adhuc in Sicambris, ab Vrbe lætiſsimum collati ſibi honoris nuncium accepit. Detecta nanque Alfonſi Petrucii cardinalis coniuratione, quum reliqui ſenatores fermè omnes ea ſceleris atrocitate parum commoueri uiderentur, leuioreſque ſententias dicerent. Leo pontifex expedito uiriliq. iudicio inſignis, alio ſenatu ſibi opus eſſe exiſtimauit; atque ita Alfonſo in carcere necato, & conſciis quòd conceptum auditumque facinus minime detuliſſent, pecunia damnatis, unum & triginta cardinales ex lectiſſimo genere hominum una pronunciatione creauit; In queis fuêre Romani nominis octo, ipſeque in primis Pompeius, facile impetrantibus Proſpero atque Fabritio, ut ſuus honos Columniæ familiæ redderetur; qui aliquandiu pontificum callida fruſtratione aut malignitate, ut tempora tulerunt, intermiſſus, continuata ſerie ferè perpetuus eſſe conſueſſet. Nec multo poſt purpureis inſignibus de manu Ludouici Aragonii cardinalis qui tum aderat, magna eius diei celebritate & gratulatione omnis generis hominum ſuſceptis, in ſuperiorem Germaniam urbibus uiſendis cognoſcendiſque earum gentium moribus aſcendit; ab Auguſtaque Vindelica Cæſaris ueſtigia ſubſecutus, poſtquàm vulgabatur eum uenandi cupiditate, uagis atque impeditis itineribus ad Herciniam uſque ſyluam penetraſſe, in Italiam rediit, exceptus paſsim inſigni partium ſtudio. Romæ uerò publico ei ſenatu dato, ſeſſum ſuo ordine, inter patres receptus, breui oſtendit, ſe omnibus naturæ atque ingenii dotibus, tanto muneri parem, ac multùm antea eius ordinis honore, qui familiæ deberetur, digniſsimum fuiſſe, Sacrorum enim cerimonias, & numeros ſalutationeſque ſacerdotum exactiſsime quidem & mira celeritate percepperat; nec quiſquam erat, uel uetus etiam ſenator, qui eo grauius aut eloquentius ſententiam dicere, ſolennia ſacra præclarius atque decentius operari familiæque ordine & comitatu, atque menſarum elegantia, con

uiuarumque delectu, perſonæ dignitatem luculentius atque lautius tueri uideretur. His moribus obiter apud Leonem perilluſtrem gratiam & beniuolentiam quærebat, promerebatur ſtudia hominum, quum grauiſſimis ſuſceptis officiis, lites dirimeret; ueteres componeret ſimultates; miſeris & afflictis intercedendo, iuuandoque certum ad ſalutem perfugium præberet. Et id quidem ampliore nominis exiſtimatione, quòd pontificem ad beneficentiam ornandamq. uirtutem natum, educatumque, opportune admodum nactus, cuncta quæ polliceretur, facile præſtare conſueſſet. Secutum eſt demum uix dum exacto triennio Gallicum bellum; quod ingenti animo coniunctus Carolo Cæſari Leo pontifex ſuſcepit, ut urbes Parmam atque Placentiam recuperaret, partas antea à Iulio, & ſibi demum ereptas, quum Franciſcus in eo uictoriæ curſu deſerentibus pontificiis tanquàm ſuas Mediolanenſique adſcriptas imperio recepiſſet. In tanto armorum apparatu, quum pontifex M. Antonium Columnam qui pro Gallorum rege militabat, diuellere, atque traducere in partes uel militaris imperii pactione nequiuiſſet, Hieronymo Columnæ cataphractorum turmas duas liberali ſtipendio ductandas dedit. Is erat Marcello Pompeii fratre genitus, itemque leuis armaturæ alam Iacobo Zambecario Pompeii uterino fratri attribuit; adeo ut pontificem nihil non facturum in gratiam Pompeii appareret. M. enim Antonius generoſi pudoris maxime flagitioſum putarat à beniuolentiſsimo rege in eo erumpentis belli motu, parum honeſta de cauſa diſcedere, à quo auctus eſſet cataphractorum alæ præfectura, ornatuſque inſigni honore torquati, conſecratique ordinis, qui præcipuis tantum amicorum, lectiſsimiſque ducibus, à Galliæ regibus demandari erat ſolitus. Cæterum Gallico bello haudquaquàm felicibus initiis cœpto, maturè letiſsimus finis impoſitus, Mediolanumque authoritate & conſilio Proſperi, ingentique uirtute Piſcarii, profligato expulſoque Lotrechio captum. Ad cuius uictoriæ nuncium Leo pontifex incredibilem, ſed omnino breuiſsimam lætitiam cepit. Febribus enim ad Manlianam uillam ex peſtilenti aura conceptis, aut certe ueneno, uti in eius uita perſcripſimus, quinto die correptus interiit, ſæpe nouiſsimis ſermonibus repetens, ſupremæ neceſsitatis caſum, quo ſibi immerenti intempeſtiue admodum uita eriperetur, ſe uel ob id æquiore animo ferre, quòd Parmam atque Placentiam pontificio imperio reddidiſſet. Audita fratris morte Iulius Medices apud exercitum legatus, magnis confectis itineribus, ad comitia Romam rediit. Is hortatu ſuorum omnium, ſenatorumque aliquot inſigni uſus ſtudio prodierat candidatus. ex aduerſo autem plerique ſeniores pontificatum petebant, quum ætatis honorem & uariarum uirtutum, ac literarum ornamenta præferrent. His magnopere fauebat Pompeius, oppugnabatque Iulii partes, quum illum paulò antè præhenſantem ſingulos, & grati animi officia repoſcentem præclarè adiuturus uideretur. Nouos ſiquidem cardinales ferè omnes Iulii iudicio & commendatione

ne

ne Leo pontifex in ſenatum legerat. Sed multis de cauſis quas hic refer re minime neceſſarium putamus, Pompeius à Iulio diſcedens, & ſubinde apud ſeniores aduerſarum partium effectus princeps, id unum uehementiſsime contendebat, ne exæquatis & mox adauctis ſuffragiis Iulius Pontificatu potiretur. Cui uero ipſe maxime ſuffragaturus eſſet, ægre poterat reperiri, quum nemo eſſet è ſenioribus qui alteri quicquàm de dignitate concedendum putaret, uel ex merito non ſperaret fore ut ipſe in tantis comitiorum æſtibus ad pontificatum eueheretur. At iuniorum globus fide conſtantiáque firmiſsimus (ſuffragiis ſcilicet miro conſenſu ad unius arbitrium reuocatis) nullis omnino artibus aut machinis diſiici labefactaríque poterat. Ob id præclare omnes intelligebant, neminem quem non probaret Iulius, bis tertiam ſuffragiorum partem, uti ex lege opus eſſet, eſſe conſecuturum. Sed ubi nunciatum eſt Franciſcum Mariam, Vrbino ac Piſauro potitum; Baleonoſque fratres Malateſtam & Horatium, pulſis inde pontificiis præſidiis, Peruſiæ receptos, ualidis in unum coactis copiis Senam atque Florentiam petituros; animum deſpondit Iulius, ne ſi ſpes ſuas adipiſcendi pontificatus diutius alendas cen ſeret, uertente ſe Fortuna totius Ethruriæ principatu & concupito ſimul honore excluderetur. Itaque fatali quadam inuidia & inuſitata patrum obſtinatione, Thoma Caietano commendante, & miris attollente laudi bus, Hadrianus ex ultima Batauorum inſula, quem nemo unquàm eorum antea uidiſſet, pauci qui uir eſſet audiſſent, Pontifex eſt creatus, ſuffragante Iulio & Pompeio ſeniores maximè cohortante, qui eundem tradendis literis, formandísque moribus Cæſaris magiſtrum atque nutritium, ex uſu Columniæ familiæ & partium neceſsitudine cunctis an teferendum putabat; ac item Iulio maxime probaretur, poſtquàm ipſe ex repulſa quam tulerat, neminem Hadriano reb. ſuis commodiorem, amicioremque futurũ proſpiceret, utpote qui Cæſaris ſtudia ſecutus facile ſperare poſſet uetere nouóq. beneficio obſtrictum, & dignitati ſuæ & Florentinis rebus Cæſarianæ cauſæ incluſis nunquàm defuturum. Cæterum redeuntes è comitio cardinales, uti hoſtes Italici nominis probroſis appellationibus, maledictísque populus onerauit, adeo ut exibilando, exprobrandoque dirum inſanúmque eorum conſilium uix ab inferenda iniuria temperarint; quòd nefaria ambitione, immaníque liuore corrupti, oblitíque publici decoris, põtificem ab ultimo petitum Oceano, multis qui aderant ætate & uirtute conſpicuis prætuliſsent. Erat tum Hadrianus in Hiſpania, quam dudum populari tumultu exorto rebellãtem, regulorum adiutus armis, cũ inſigni uirtutis & Chriſtianæ pietatis laude pacauerat. Itaq. Pompeius in Tuſculanũ ac demum ad Sublaque um ſeceſsit urbem relinquens orbatam pontifice, mœſtamq; & ſuborta etiam peſtilentia infamem. Conſtituerant cardinales ex ipſorum ordine, triumuiralis imperii menſtruam poteſtatem. Sed eam grauis inuidia ſequebatur, quum pleríque uel media in urbe, tanquàm inanem contem

nerent,irridereturque paſsim in prouinciis, quæ ueterum tyrannorum, exulumque armis,renouatis factionum nominibus uexabantur. Quibus de cauſis pontifex frequentibus collegii literis, atque urbium legationibus accitus Romam, poſt ſeptimum menſem conſcenſis triremibus, in Italiam nauigauit. Excepêre eum Genuæ Hieronymus Adurnius, & ad Liburnum Piſano in portu Iulius Medices cum ſeptem cardinalibus, quorum comitatu auctior, ornatiorque Centumcellas peruenit. Ibi à Pompeio, qui cum aliquot cardinalibus multísque epiſcopis ad mare deſcenderat,ſalutatus eſt,deductusque in templum, ut antea aram Deo & ſuperis quod incolumis adueniſſet,de more hymni canerentur. Quo in loco Pompeius orationem habuit luculentam,publico priuatóq. nomine ei gratias,quòd pontificatum Dei ſummi, Diuorúmque omnium monitu ab optimis ſenatoribus delatum ſuſcepiſſet;adueniſſetq. opportuniſsimo tempore quo feſsis rebus,afflictæq. Vrbi, & tumultuantibus prouinciis opem ferret;mores ſalutari cenſura corrigeret,darétq.operã ut obſeſſæ Rhodo ingentibus Solymani copiis auxilia mitterentur. Ad ea pontifex miti oratione ſed paucis admodum uerbis reſpondit, & uultu quidem parum familiari, quum ore & geſtu Chriſtianæ diſciplinæ ſe ueritatem præferret; Se Dei optimi maximi certiſsimo inſtinctu ſuſcepiſſe pontificatum in Italiamque ueniſſe: propterea ſe ſperare,ut reliqua eodem numine gubernata, feliciſsime ſuccederent; ita ut nihil ſenatorio ordini ſe debere, omiſſa gratiarum actione fateretur. Quum uero inde ad Tiberina oſtia peruenisſet, & ſuborto repente coro triremes ab importuoſo littore ad Caietæ portum raperentur, Pompeius in ſcapham deſiliens, ut pontificem ſequeretur, fluctibus penè obrutus magnum uitæ periculum adiit. Nec multo poſt,quum in Vrbe componendis diuinis pariter atque humanis rebus, pontifici operam præſtaret, in longe maximum ſalutis diſcrimen eſt coniectus,intimis ſcilicet familiarium repentina peſtilentia correptis,adeo ut in Tuſculanum,atque inde ad Sub laqueum aufugere cogeretur. Eo etiam libentius quòd iam euulgatis contagione morbis Vrbs ipſa funeribus complebatur, metuque pontifex Vaticanis hortis ſe concluſerat,ita ut nec cardinales niſi maximis de cauſis, in colloquium admitteret, utpote qui eorum ingenia fide pietateque uacare exiſtimabat, & uix paucorum conſilio uteretur, neceſsitate quadam, uti imperitus Romanarum rerum, ſed nec his quidem ſuprema rerum arcana committeret. Initio autem æſtatis eius anni qui ſecutus eſt, reſtincta ea morborum lue urbeque demum omnibus diuinis atque humanis remediis ſalubritati reſtituta, Pompeius ad urbem rediit; quo & Iulius etiam Medices ab Ethruria paulò antè iam uenerat, cum quo ſtatim in gratiam rediit, haud dubie pœnitentia ductus,ita ut præteritæ contentionis inſaniam deteſtari, pollicerique præclarum ſtudium uideretur, ſi ſeni ad inſolitum cœlum traducto,& inſalubri quidem æſtate, fata uitæ finem attuliſſent. Renouabant tum Galli ingens

bellum

bellum, Duceque Guliermo Gofferio, quem à præfectura maris Amirantem uocabant, traiiciente alpes Mediolani inita fuerat coniuratio,è qua Bonifacius Vicecomes,Franciſcum Sfortiam illato leui uulnere fruſtra aggreſſus fuerat, & in Ethruria interceptæ Soderini cardinalis literæ, quibus Gallos admonebat docebatque quibus modis eſſet enitendum,ut Ceſariani Italia atq.Sicilia pellerentur.Quibus de cauſis pontifex Soderinũ in carcerẽ duci iuſſerat,tanquàm & infidum ſibi & partium Cæſarianarum hoſtem.Vnum enim eum opinione ſcientiæ humani diuiniq.iuris, & exactæ peritiæ rerum urbanarum grauiſsimis conſulationibus adhibuerat,querebaturq.propterea ſe ab eo tãquàm à maligno ſpeculatore fuiſſe deceptum,cui tanquàm uiro probo atq. beniuolo rationum ſuarum decreta communicaſſet·Suopte etiam ingenio Hadrianus Cæſari alumno principíque ſuo fauendum,atque omnino repugnandum Gallis exiſtimabat, ne ſi medius in neutram omnino partem ſtudia atq.arma inclinarent, Parma demum atque Placentia uictori Gallo dederentur.Itaque cum Cæſare Venetísq· ac Florentinis aduerſus Gallos fœdus renouauit,ſolenníque feſto Deiparæ uirginis ad Aeſquilinum tẽplum ſacra fecit,recitatumq. eſt ex tabulis id fœdus,quo Gallos ab Italiæ finibus arcendos decernebant.Eo die Pompeius Cæſarianarum partium princeps Iulio Medici,atque item principum liberarumque ciuitatum legatis lautiſsimum epulum præbuit,ad ædem Antonianam, quòd pontifex feruidiſsimo die operatis ſacris,ad curandam laſsitudinem, in proximos Mellini nobilis poëtæ hortos tranſierat,ut in priuato ſecretioque cœnaculo,cibum caperet:& deinde cubitaret. Amicitia itaque illuſtribus argumentis inter Pompeium & Iulium renouata,Hadrianus leui ſed tabifica febre, ex eius diei labore concepta, decubuit; adulationeque medicorum eò perductus eſt ut penè prius quàm uenæ tangerẽtur,nihil prouiſa morte perierit. Tum uero inter Nouemdiales cerimonias,quibus defuncto pontifici iuſta perſoluuntur,quum Iulius facile primus omnium, ex profeſſo ipſius ſectæ candidatus prodiret, & præhenſando ſingulos ſenatum ſibi conciliaret, Pompeius aut commutata, aut certe detecta uoluntate, reſpõdebat ſe initis comitiis illi ſuffragaturum, qui bonus reipub.futurus pontifex optimorum iudicio cẽſeretur. Quæ uerba parum propenſi,& plane alienati animi indicia præferebant. Ob id Ludouicus à Corduba Cæſaris legatus ſeuera quadam & parũ familiari obteſtatione uſus à Pompeio poſtulare cœpit,ut ſtudium atque ſuffragium ſuum in attollendo Iulio cõferre uellet;ſi ſecus feciſſet,eum aduerſus Cæſarem facturum,à quo unus omnium Iulius maximè probaretur.Ad ea Pompeius, arrogantia hominis plurimũ offenſus, nihil aliud reſpondit,quàm ſe daturum operam, ut plane intelligeret nequaquàm legatorum iuſſu, ſed liberis ſenatorum ſuffragiis, pontifices creari.Inerat enim Pompeio ea uis ingenii, ut ſi quid ab eo impetrandum foret, demiſsis ac blandioribus alloquiis, lenienda potius, quàm ulla ſuperba

denunciatione exagitanda uideretur. Nemo enim eo ſuperbius arrogan tiam elatorum hominum contempſit atque irriſit, quum ex aduerſo erga modeſtos iocundosque demiſsè & comiter omnibus humanitatis officiis uteretur, utpote qui in tota uita humanitate uinci longe turpiſsimũ eſſe dicere conſueſſet. Fuere qui exiſtimarent Pompeiũ à Iulio ſtudium ſuum his maxime de cauſis auertiſſe, quòd pontificatum in una domo, duobusq. fratribus, cõtinuari parum æquum & maxime ambitioſum putaret, quòd Florentinorum ingenia quæſtui pecuniæque dedita, quibus neceſſe eſſet aulam repleri, magnopere faſtidiret, quòd ſenioribus iure optimo ſuffragandum arbitraretur, quódque demum ualde dignũ cenſeret, eum Chriſtiano orbi, & ſacroſanctis cerimoniis ante omnes patrũ iudicio præfici, qui parum certa, neque propalam legitima Iuliani patris uxore natus eſſe diceretur. Quanquàm eius rei notam, quum ille inter ſe natores aſciſceretur, prolixa iuris teſtificatione ſacrati iudices aboleuiſſent. Itaque ſumma contentione comitiis initis, in duas partes ſcinditur ſenatus, Seniorum prærogatiuam Pompeius uehementiſsime tuetur. Iuniores in unum denſati globũ conſtantiſsime Iulio fauent; & eo quidem firmius atq. felicius, quòd nemo eorum ferè eſſet, qui uel occulte ambiret, quum ex aduerſo corpore ſeniorum pleríque eſſent qui flagrantibus animis ad pontificatum aſpirarent, fiebatq. ut quũ obtrectatione atq. inuidia alienæ felicitatis, & dolore ſimul fruſtra ſuſceptæ petitionis angerentur, inter ſe nequaquam ſyncera fide ſuffragia ferrent; colludentesq. ſyngrapharum nominibus rem impedirent, magnísque propterea æſtibus comitia iactarentur. Adauxêre ſeniorum ſpes Galli ſenatores, hiberno & procelloſo mari, cunctis inopinantibus Romam delati, qui id unũ cõtendebant, ne Medices Gallici nominis apertus hoſtis pontificatu potiretur. Ii fuere Claramõtius, Lotharingus atq. Borbonius; quibus cũ Pompeius frequenter epulabatur. Extractaq. iam erant comitia ad quinquageſimũ ferè diem cũ inuidia generis humani, & ſummo dolore conſternatæ ad arma urbis; adeo ut pleriq. magnopere timerent, ne dira patrũ obſtinatione, ſenatus in diuerſa ſecederet, comitii clauſtra frangerentur, creatísq. inde duobus pontificibus ſupremam cladem ſacris, & reipublicæ allatam conſpicerent. Sed in ipſos præſentim contentionis authores & principes Iulium atq. Põpeium inuidia uertebatur, lacerabaturq. amborum fama acerbiſsime, atq. liberrime, quũ quiſq. in periculo publico, priuatim ſaluti ſuæ fortunisq. metueret: Adeo ut quũ in maledicẽtiſsima ciuitate probroſis carminibus uti laſciuirẽq. liceret, Crotus è Regio Lepidi, poëta amarulentus, hoc epigramma in foro legendum affixerit.

Ecce iterum è ſummo deiectam culmine Romam
Pompeij & Iulij mens furioſa premit:
Brute pium, Photine pium nunc ſtringite ferrum,
Quid ſeruaſſe iuuat, ſi peritura fuit?

Neque uati demum fides defuit, quum paulò poſt ex eorũ diſsidio, urbs

Roma

Roma, ſummæ calamitatis cladem penè funditus euerſa ſubierit. Porrò Iulius ad declinandam inuidiam, ſuperiorum comitiorum euentu doctior & conſtantior effectus, ſe iturum in ſuffragia dixit, cohortaturumque amicos ſuos ut idem facerent, ſi quiſpiam è ſenioribus, ſupremo honore dignus uirtuteque animi inſignis nominaretur. Erant dignitate, gratia, atq. ætate pares plerique, & in his Fliſcus, Farneſius, Montanus, Craſſus, Soderinus & Caruaial, qui uel occulto ſuo, uel publico iudicio ſibi neminem præferebant, æquali ambitu ſpes alebant, ita ut conſilia, uotaq. uariis animi receſsibus implicarent. In eo æſtu occultarum uoluntatum, Pompeius quum Iacobatium nominaſſet exactæ ætatis ſenatorem, uitæ innocentia, & iuriſdicundi laude conſpicuum, illumque minus probari à Gallis ſenioribusque earum partium uideret, commutata conſilii ratione, ſibi maturè proſpiciendum eſſe conſtituit. Nam quum Iocobatiũ uti Columniæ familiæ clientẽ, & Cæſarianæ factionis ſtudioſum repudiare uiderentur, etiam Claramontius Franciottum Vrſinum uti nobili & moderato, tractabilique ingenio hominem, cumulata cum laude nominarat. Quamobrem commotus cæca bile & eo motu Pompeius ne Vrſinus familiæ ſuæ Cæſarísque ex profeſſo hoſtis pontificatu potiretur, ad Iulium ſe conuertit, quem ſi ei obſtinatius obniteretur procul dubio Vrſino ſuffragaturum uidebat, uti amico ueteri, beneficiarióque, & arctiſsima cognatione Mediceæ domui coniuncto. Iam enim ex inſolito tetroque odore, nõnullos ſenatores inuaſerat grauis morbus, ſeniorésque macie deformati & exangues, cupiditati & reliquæ ſpei conſequendi honoris finem imponere quàm peſtilentiſsimi carceris tædia ad certum uitæ diſcrimen diutius perpeti malle uidebantur. Galli eo tempore compulſis in urbem Cæſarianis, & tum ægre ſuſtinentibus Mediolanum obſidebãt; Proſperque Columna ex morbo qui ei ſupremus fuit, decumbẽs, frequentibus literis Pompeium obteſtabatur ut pertinaciæ & contentioni finem faceret, uertereturq. totus ad ſubleuandum Iulium, quo uno põtifice creato propter ampliſsimas Ethruſci imperii facultates, & inſigne eius ſtudium defendi res Cæſaris & profligari Gallorum copiæ poſſent. Itaque Pompeius ubi ſeniores magna ex partæ Gallicæ factionis ſtudioſos eſſe comperiit, ſecretò Iulium adiens: An non mihi, inquit gratiam habebis, ſi te iam ad pontificatum extulero? At ille, ſi ſerio dicis, egregie profectò tecum agam, reſpondit; & tu cum priuatis rebus tuis honeſtè ſeruies, tum publicis, Cæſaríque in primis præclarè atque opportune cõſuleris. Tum Põpeius altitudine generoſi animi honeſtiſsimam laudem quærens, id unum enixè poſtulauit, ut Soderino ueteri inimico, & pleriſque item cardinalibus à quibus acerbiſsimè atque inimiciſsimè fuerat oppugnatus, ſyncera fide parceret, eoſque omnes in gratiam reciperet. Fore enim et ex clementiæ laude qua nihil eſſet in ſacroſancto pontifice præſtantius, inſignem apud omnes Chriſtiani orbis nationes gloriam adſequeretur. Dextram tum Iulius Pompeio dedit, prolixe pollicitus id ſe

præſtaturum, obligauitque ea in re fidem ſuam Clementis Septimi nomine deſumpto, qua una nominis profeſsione, tanquàm edicto, inimicos aduerſariosque omni metu liberare uideretur. Nec mora authore atque hortatore Pompeio, quum is nudatis conuerſi animi conſiliis comitiorum haud dubie princeps prodiret, illuſtrique authoritate quàm plurimos adduceret, cuncti ferè cardinales Iulium adorarunt, tanta ſeniorum mœſtitia ut non multos poſt dies, ex egritudine animi cõceptis morbis, Soderinus ipſe & Craſſus, itemq. Caruaial & Fliſcus perierint. Nauatæ autem operæ Põpeius præmiũ tulit, luculentiſsimas ædes à Raphaële Riario, regio ſumptu extructas, atq. item uicecancellarius eſt effectus. Is acta ſenatus perſcribit, eſtq. eius officii dignitas ab inſigni prouentu exercendæq. liberalitatis poteſtate longe omnium ampliſsima. Paucis inde diebus Pompeius, Proſperũ patruum audiit ex diuturno morbo, cum ingenti ſeruati ab ſe Mediolani, gloria deſiderioque improbabili, & luctu totius Galliæ Ciſalpinæ, deceſsiſſe; cui mutata ueſte, maioribusque cerimoniis, ſumptuoſiſsime parentauit. Nouo autem Clementis pontificatu Cæſarianorum Venetorumque armis, uirtutéque maximẽ Piſcarii ſummi ducis, Guliermus Amiras, duobus ad Seſithem amnem uictus præliis, Italiæ finibus eſt depulſus. Ab ea uictoria tantos ſibi ſpiritus Cæſaris duces deſumpſerunt, ut Borbonio exule concitante, in Galliam penetrarint. Borbonius enim coniuratione detecta, qua Galliæ Imperium affectaſſe credebatur ad Cæſarianos ſe contulerat. Quibus de cauſis Franciſcus, quum pro ſalute imperii & totius Galliæ dignitate ingentes copias comparaſſet, hoſtesque ad oppugnandam Maſsiliam progreſſos, Prouincia expuliſſet, in Italiam tranſcendit, potitusque Mediolano, Ticinum obſedit, Formidoloſa iam Cæſaris arma pontifici ac Venetis eſſe cæperant; uidebatur enim Cæſar immodica animi cupiditate, totius Europæ imperium concepiſse, quum Galliam demum ipſam, nõ contentus Italia, qua Gallos dudum exuerat, protinus inuaſiſset. Ob id occulto conſternati metu & de libertate Italiæ ualde ſolliciti, ſtudia erga Cæſarem ſua non modo remiſerãt, uerum nequaquàm tranſmiſsis auxiliis cunctabantur; ex ſociisque & fœderatis, ſpectatores facti, dabant operam, ut inter Gallos & Cæſarianos induciæ multorũ menſium fierent. Pontifex enim Cæſarinorum impetum retardare, confirmare Gallum regem, pacem honeſtis conditionibus parare contendebat. Sed dum intempeſtiuè neque harum neque illarum partium fautorẽ ſeſe oſtendit, Cæſariani Germanorũ auxiliis adaucti, hærentem Ticino regem ingẽti edita pugna, ſuo atque equi uulnere tardatum, ceperunt. Tum uero Clemens ad tantæ uictoriæ nuncium perturbatus Albaniũ è Sabino & Furconenſibus reuocauit. Is enim Clementis conſilio è regis caſtris cum ualida parte copiarum ad Aquilã uſq. peruenerat; haud dubie in Neapolitanũ regnum nudatũ copiis, fauente Andegauenſium factione peruaſurus. Quum itaq. Gallorum auxilia ex Corſis, Italicísque delectibus cõſcripta

ſcripta ad urbem reuerterentur,in ea Latini populi Columniæ factionis ad predam exciti,atque item Cæſariani equites impetum fecerunt,protracto certamine per Lanuuinam uiam uſque ad diui Pauli templum. Quod ubi in Vrbe auditum eſt non dubitauêre Hiſpani è familia Ludouici à Corduba Cæſaris legati,atque item Columnii, in quibus etiã fuit Iacobus, Pompeii uterinus frater, quin correptis armis Oſtienſi porta erumperent,atq.intercluſos hoſtes adorirentur.Horum aduentu Albanianæ cohortes fuſæ profligatæque ſunt,cæſis nonnullis,multis captis,atque omnibus ferè armis & ueſte exutis. Ad eam enim capti regis famã Hiſpani atque Columnii adeo inſolenter ſuſtulerãt animos,ut per ipſam quoque Vrbem fugientes Gallos perſequerentur; & Camillus Columna Marcelli filius,uti Piſcarii alumnum decuit,ad Iordanem uſq.mõtem atque Vrſinas domos penetraret,utpote qui Clementem cõtemnerent, nihilque uel ob id irati minas timerent, quòd is à Gallis ſtetiſſe uideretur.Id facinus pontificii imperii authoritatẽ magnopere cõuellit; adeò ut profunde in Clementis pectus deſcenderit, & tot cladibus,quæ mox ſunt ſubſecutæ,initiũ haud dubie præbuiſſe cenſeantur.Non multo poſt Clemens multo auro exoluto cum Cæſarianis ducibus antiquum fœdus renouauit;ea conditione ut Regium Lepidi quod Hadriano mortuo Alfonſus Ateſtinus receperat,à Carolo Lanoio ſponſore fœderis pontificio imperio redderetur.Celebratum eſt id fœdus Calendis Maii in templo Apoſtolorum ad Columnias ædes, fecitque ſacra ſolennia Pompeius,qui etiam pontifici patribusque & principum legatis ſummo apparatu epulum dedit.Verum id fœdus Cæſar nequaquàm ratũ habuit,quòd pontificis opes eius urbis acceſsione adaugeri nolebat, Ita ut Lanoius à quo beneficium pontifex expectabat, Hiſpanorum cohortes in æſtiua trans Padum mitteret à quibus Parmenſes, Placentinique ueluti hoſtili quadam populatione tantis affectis ſunt detrimentis, ut ad deprecãdam agrorum uaſtationem,crebræ legationes cum lachrymis ad Vrbẽ mitterentur,ita ut Clemens ſua ſpe deiectus,circumſcriptusque pecunia, & tot iniuriis extimulatus; conſilio cum Venetis Gallisque proceribus occulte inito,Cæſarianos Mediolano exturbare cogitarit.Videbant enim Cæſaris uires in Gallia Ciſalpina confirmari, eóque ſuorum omnium hortatu,cõſilia uerti,ut expulſo Sfortia,eius imperio potiretur. Præbuerat occaſionem Piſcarius, qui à Lanoio eluſus traductusque ex magnis offenſionibus, alienatum à Cæſare animum præferebat. Nam Lanoius Franciſcum regem ſecus ac dixerat, repentina nauigatione in Hiſpaniã aduexerat neque ipſe uti optaſſet potius quàm petiſſet, ex prouentu uictoriæ præmia tulerat,cuius ipſe ab inſigni uirtute præclarus author fuiſſet.Ei itaque ægritudine animi plurimum æſtuanti Moronus Sfortiæ intimus fœderatorum nomine Neapolitanum regnum obtulit, quod ſummorum pontificum eſſet beneficiarium, ſi ipſius manu ductuque Italia omnis externarum gentium iugo liberata, priſtinæ quieti dignitatique

redderetur. His conſiliis annuiſſe Piſcarius ab initio eſt uiſus. Sed demũ nudata ſimulatione in gratiam Cæſaris, Moronũ ſub fide ad ſe uocatum cepit; Franciſcumque Sfortiam perfidiæ inſimulatum, occupatis eius imperii urbibus, graui tum morbo laborantem, in arce obſedit. Id Piſcarii facinus Italiæ principes uehementer exterruit, quum publica libertas ſummum omnino periculum adire uideretur. Et eum quoque ſubeundæ ſeruitutis metum adauxerat Cæſar dimiſſo Franciſco rege, his conditionibus, ut ſex milia peditum, tria equitum, decemq. roſtratas naues ſibi auxiliorum ſpecie daret, quibus auctior atque ualidior ad deſumendam Auguſtalis imperii coronam eadem æſtate in Italiam tranſiret, ut demum compoſitis ibi rebus, indictoque ſacro bello, in Turcas Chriſtianorum arma uerterentur. Verum Franciſcus eo inito fœdere, celebratiſque nuptiis cum Heleonora Cæſaris ſorore, liberisque obſidibus traditis, ubi primum Aquitaniæ fines attigit, uti iam planè liber, negauit ſe his conditionum tabulis ſubſcripturum, quòd grauiſsimæ, quod inuſitatæ, quòd denique ultima carceris neceſsitate expreſſæ cenſerentur. Nec multo poſt cum Clemente Venetisque, ad tuendam Italiæ libertatem, & Sfortiam obſidione liberandum, amicitiam fœdusque percuſsit. At Pompeius conſiliis Clementis diligenter exploratis & prouiſo Cæſarianarum rerum periculo, uehementer fluctuaſſe agitaſſeque animo dicitur, an in officio ſenatoriæ dignitatis pontificisque amicitia perſeuerandum foret, pertinerétque ad ipſius, totiusque familiæ decus Cæſarem deſerére undique circumuentum armis, atque inſidiis eorum principum, qui obtrectatione alienæ felicitatis, ruptis repente fœderibus fidem fefelliſſent. Sed in generoſo militarique ingenio ea ſententia facile peruicit, ut priuatæ dignitati, publicum decus, quod cum ſalute familiæ coniunctum uideretur, præferret; quum ab aduerſo Cæſarianorum euentu Columniorum omnium fortunæ, trahente ueluti ruina, peſſundari atq. euerti penitus iudicarentur. Atque ita nequaquàm occultato animi decreto ſimulata moleſtiore podagra in Tuſculanum ſe recepit. Interea Veneti admotis de improuiſo copiis Laude Pompeia potiti ſunt, introducente Viſtarino, qui patriam acerbiſsima Cæſarianorum militũ auaritia, immaniſque ingluuie liberandam iudicarat. Quo ſucceſſu pontificiæ copiæ Venetis iunctæ ſunt, ac demum Gallorum Heluetiorumque auxilia ab Alpibus deſcendêre, ut obſeſſo, fameque laboranti Franciſco Sfortiæ opem ferrent. Sed uirtute Alfonſi Vaſtii qui Piſcario patrueli morte ſurrepto pedeſtribus copiis præerat, induſtriáque Antonii Leuæ equitum præfecti, adeo egregie cõtinuata eſt Iouiæ arcis obſidio, urbsq. ipſa Mediolanũ uel nudata muro fortiter defenſa, ut Frãciſcus certa pactione arcem relinqueret, & Feltrius Venetorum dux, deſperatione potiundæ urbis adductus, à conſpectu hoſtis caſtra reducere cogeretur. Quibus cognitis rebus Põpeius aliquid ſuo nomine auſurus, ut ſtudium ſuum erga Cæſarem edito aliquo facinore præclarius uideretur, in Tuſculano

sculano copias parare cœpit. Aderat Ludouicus Corduba regulus Suessanus, qui legatus apud pontificem, cœpto bello cum Hispanorum & Germanorum manu, urbe excesserat. Hæc quum à Pompeio pararentur, Clemens tria milia peditum & quingentos equites præsidii causa conscripsit, quibus Pompeium noctu opprimere, aut certe copias eius delere potuisset, cohortantibus ut id faceret Stephano Columna uiro impigro prudentique, & Salamone Siculo, uetere peditum præfecto, quos copiis præfecerat. Sed Clemens eo animo cum Cæsare gerebat bellum, ut nihil ei planè nocere uellet cuperetque solum ut Gallia Cisalpina Francisco Sfortiæ redderetur, uti antiquo in fœdere disertè cautum à Leone fuerat; ad exæquandas scilicet in Italia principum uires, quibus singuli ab æquitate quadam & metu, suis contenti imperiis stabilem & securam pacem tuerentur. Propterea postulabat à Columniis, ut armatos quos coëgissent, extra pontificii imperii fines educerent, & uti luberet Neapolitani regni terminos armis defenderent. Authore itaque Valleio cardinale, Vespasianus Columna Prosperi filius ad Clementem uenit, compositæque res in eum sunt modum, uti supra diximus, scilicet ut Columnii pontificio in solo armis abstinerent; si Cæsari præstare operam uellent, intra regni fines regrederentur. Gibertus eo tempore in grauissimarum rerum consiliis Clementi intimus, id factum ut probaret, diuino quodam iudicio adduci non potuit; utpote qui Columnios præsentis exercitus metu, nulla uerò æquitate animi, aut sacrosancti pontificis respectu permotos, pacem appetisse existimabat. Sed ea erat natura pontificis, ut bellico sumptu mirum in modum angeretur, nihilque magis cuperet, quàm milites missos facere, ut ærario parceretur. Improbantibus itaque cunctis & detestantibus, dimissæ sunt cohortes, fatalique secordia exutus omni præsidio pontifex sese iniuriæ inimicorum, atque adeo hostium opportunum præbuit. Itaque Pompeius ubi Clementem confisum nouo fœderi nudatumque omni præsidio conspicit, patrandæ rei tempus adesse idoneum ratus, cum Vgone Moncata colloquitur; decernitque, ad urbem reuocato coactoque exercitu, protinus esse conuolandum. Ostendebat etiam literas Moncata, quibus ex Hispania monebatur, ut sedulo operam daret, ne pontifex commouere se posset; utque si Cisalpinæ Galliæ rebus studeret, domestico bello implicaretur, pellereturque urbe Roma, atque etiam uti indignus & parum legitimus sacrorum princeps, ipso honore summi pontificatus ex concilii censura, suffecto altero priuaretur. His de causis rogauit Ascanium, ipsumque Vespasianum nomine Cæsaris, ut sibi adesse uellent; si secus fecissent, aduersus Cæsarem esse facturos. Sed dum copias contrahunt, & tormenta currulia coaptant, quanquàm ea quàm occultissime pararentur, & interciæ essent, obsessæque custodibus uiæ omnes, quæ è Latio ad Vrbem ducebant, certior tamen fiebat Clemens parari arma atque aliena prorsus à quiete fœderéque consilia à Pompeio Co-

lumniisque omnibus agitari. Sed de his, Veſpaſianóque præſertim, ut quicquàm hoſtile crederet, adduci non poterat; confingíque ea à militibus, quos, quòd ad ſtipẽdia reuocari cuperent, maiora uero nunciare, aut ementiri penitus exiſtimabat. Adeo ut quum iam Pompeium ad Murenæ uillam, Albanumque lacum peruenisſe nunciaretur, uix demum aliquot prætorianos equites emitteret ad explorandum; qui Cælimontana egreſsi porta, ſegni excurſione intra ſuburbanas uineas facta, quum ſigna acieſque aduentantium hoſtium facile conſpici poſſent, retro equos uerterint, falsò cuncta pacata renunciantes. Dixerat enim decurio nequaquàm longius eſſe præcurrendum, poſtquàm ea eſſent Clementis ſtipendia, quibus neque equi hordeo paſci, neque ipſi abſque inedia & ueſtium ſorde uitam traducere poſſe uiderentur. Armellino enim Clemens auariſsimo quæſtore, & naturæ ſimilitudine ſibi coniuncto uſus, ita extenuarat equitum ſtipendia, ut nemo, ne militia quidem, nedum corporis atque prætorii cuſtodia dignus conſpiceretur. Ita Pompeius adaperta, nec ab ullo cuſtodita Cælimontana porta irrupit, tanta celeritate, ut quum eius aduentus in Vaticano à nemine ſentiretur, facile pontificem nihil tale credentem in cubiculo opprimere potuerit; niſi tormenta ægre conuecta Bubalorum iugis expectanda cenſuiſſet. Quibus adductis per mediam Vrbem, armata inſtructaque ſub ſignis agmina Xyſti ponte & Septimiana porta ad Vaticanũ contenderunt. Tum uero Clemens ex conſcientiæ pudore, & metu magnopere confuſus in arcem profugit, fruſtra in auxilium aduocatis militibus quos paulò antè dimiſerat; quum aurei nummi etiam profuſa manu in nomina dantes, ridente foro ſpargerentur; quòd nemo eſſet uel aſpectu uel cultu capiendis armis idoneus, nec ulli mens eſſet pontificis protegendi, cuius nomen ueluti ad decipiendos fallendoſque homines, ab initio deſumptum eſſe uideretur. Eo die turmas cohorteſque ſuo ordine, & compoſito quidem incedentes gradu, populus Romanus ociosè ſpectauit, atque etiam ſalutauit, ipſique opifices, uti in nullo metu, nec occluſis quidem tabernis, effuſi in Tiberinam ripam, ſub Ianiculo tranſeuntes ſpectauêre; quum à Pompeio præcones in fora & compita dimiſsi pronunciarent, nemini eſſe timendum, quando nulla grauiore de cauſa intuliſſent arma, quàm ut Romanum populum auariſsimi pontificis tyrannide liberarent, Fœdum id omnino & miſerabile bonis pariter ac malis uideri potuit, ſi reputatione ſacroſanctæ maieſtatis id facinus pudore aliquo ad Chriſtianæ pietatis cenſuram uocaretur. Sed Clemens alioqui prudentia & uſu rerum nemini ſecundus, quum fatali adductus auaritia omnes ordines afflixiſſet, uſque adeo hominum uoluntates auerterat, ut miſericordia omnis, in tanta publicarum rerum deformitate atque in tanto principis periculo, inuidia atque odio uinceretur. Sacerdotes enim inuſitatis decumis onerarat, officiorum collegiis reditus auerterat; ſalariáque in gymnaſio antiquitus ex certo uectigali liberaliter conſtituta, liberalium

artium

artium profeſſoribus, cum perenni infamiæ nota ſubtraxerat. Irata quo que plebs uidebatur, quòd nequaquàm agrorum malignitate, ſed certis conuectionum atque horreorum monopoliis, magno fiſci quæſtu, anno na ad triplum creuiſſet. Dirutæ etiam funditus, aut miſerabilem in mo dum deformatæ fuerant multorum domus, ignobiliumque præſertim atque egentium, æquandis ſcilicet frontibus, dirigendiſque ad normam urbis regionibus, tanta duumuiralis magiſtratus auaritia ſæuitiáque, ut non maiorem Barbari immanes uaſtitatem attulerint. Et eo quidem gra uiore Clementis inuidia, quòd nequaquàm ad reuocandam antiquæ Vr bis elegantiam, quod infelici ſæculo ineptiſsimum uidebatur, ſed ut al terum è duumuiris famoſo nomine conciliatum, vel iniqno oblato quæ ſtu expleret; cui etiam magiſtratum contra conſuetudinem impotenter continuarat. Commouebant tum ſeſe triumuiri cõſeruatores in Capito lio, ut opem ferrent; ſed nulla inerat iuſsis aut cohortationibus eorum authoritas, quòd in his eſſent Scarſius algenti ingenio, facieque legule- ius; & quidam ignobilis ſcurra, cui Saccogelato cognomen fuit. Huic Marius Peruſcus præfectus fiſci, & rerum capitalium truculentus iudex, Clementi carus, indignante populo magiſtratum impetrarat, ut in eo mitigaret iniuriam, quòd poſt multa pocula, ſtrogulæ impoſitum ſeruo rum lacertis in laquearia per iocum ac uoluptatem excuſsiſſet. Per hunc modum Marcello Pompeii fratre peditum ductante ordines, præeunte- que cum ala equitum Hieronymo Sarnenſi comite qui Marcelli gener etat, Vgo Moncata & Veſpaſianus & Aſcanius in Leoninam urbem irru perunt, paucis qui ad portam iuxta Sancti Spiritus templum conſtite- rant, in fugam coniectis. Ita Vaticana domus momento temporis occu pata, direptaque eſt; neque prohiberi miles potuit, quin ſacra omnia & in auguſtiſsimo quidem diui Petri templo ſemper antea inuiolato, nefa riis manibus attrectaret. Ceſsit & auaritiæ militum cum priuatus, tum publicus pontificiæ aulæ apparatus, adeo ut aulea etiam ingentia eximii operis diſciſſa raperentur. Vaſa quoque nobilia figulini operis quæ mit tit India, ſolo illiſa frangerentur. Aberat inde Pompeius quòd in domo ſua conſtitiſſet. Quibus cognitis grauiſsimo dolore eſt affectus, quòd milites pontificia etiam præda expleti onuſtique, à ſacrario demum tem pliſque altaribus arceri nullo ducum imperio potuiſſent. Porrò Clemens ubi nullum in arce frumentum, nulla cibaria, quæ uel in paucos dies tole randæ obſidioni ſufficerent, eadem quæſtoris auaritia eſſe comperit; ne que in Vrbe hoſtium armis occupata milites parari, uel è Tuſcia, Vm- briáque, opportunè acciri poſſe uidet. Vgonem ad colloquium magnis precibus aduocauit, miſsis ad eum obſidibus Innocentio Cibo & Nico lao Rodulpho cardinalibus, quibus Leo pontifex auunculus fuerat. Non grauatur Vgo nec aduentum ſuum differt, uel improbante & diſſentien te Pompeio qui de obſidenda oppugnandáque arce cogitabat, ut Cle- mente in poteſtatem redacto, è ſententia Cæſaris, bello finis imponere-

tur. Itaque Moncata cum paucis in arcem receptus, ſalutato pontifice, ei ſupplex lituum paſtoralem argenteum, atque item gemmatam mitram, inſignia pontificatus, militibus erepta reſtituit; officii ſui neceſsitatem excuſat; nefariam militum temeritatem deteſtatur; orat demum, ut ab oppugnando Cæſare deſiſtere uelit, pro quo Dii atque homines, nuſquàm aduerſante fortuna feliciter propugnarent. Eam uero inſitam eſſe animo Cæſaris pietatem, iuſtitiam, moderationem, ut non alio arbitro quàm ipſo pontifice ſit uſurus in pacanda Italia; cuius imperium nunquàm affectarit, quanquàm ad id iure optimo, uti partum poſſeſſumque ab antiquis Cæſaribus aſpirare poſſe uideretur. Ad ea Clemens parum de Pompeio, & id quidem ironice, de Veſpaſiano autem plurimum & uehementer oblocutus, quòd ab eo impudentiſsimè ſe deceptũ atque impiè proditum quereretur, reſpondit ſe omnibus temporibus Cæſaris dignitati amplitudinique ſtuduiſſe, neque in poſterum ſtudia in eum ſua remiſſurum, modo ille adulatione malignitateque conſiliariorum planè deprauatus ad ingenium ſuum rediret, ſequereturque æquitatem & iura fœderum, quorum tabulæ uigerent, & Galliam Ciſalpinam ipſi Sfortiæ impotentibus circumuento armis reſtitueret. Decere enim eum qui tot auitis regnis adauctus, totque inſignibus potitus uictoriis ad ſummam authoritatem auguſti Imperii ſummamq. opum & uirium amplitudinem perueniſſet, liberali animo non modo antiquis poſſeſſoribus ſuas ditiones, ſua iura non adimere, ſed etiam de integro largiri atque concedere, ipſumque Sfortiam per ſummam inuidiam falſi criminis inſimulatum, totius Italiæ precibus condonare. Cæterum poſt multos ſecretioreſque ſermones, res in hunc modum compoſitæ ſunt, ut pontifex è Gallia Ciſalpina copias reuocaret, Pompeio & Columniis parceret, mitteretur à Clemente Neapolim datæ fidei obſes Philippus Strozza uir pecunioſus, cui Petri Medicis eius patruelis filia nupſerat. Vgo ipſe cum omnibus copiis in Regnum proficiſceretur, daretque operam ut quæ ex ſacrariis ablata eſſent, pertinerentue ad apparatum ſacrorum, facta conquiſitione redderentur. Cautum quoque eſt; ut Camillus Columna ſine pretio dimitteretur. Is enim paucis ante diebus Senenſi in pugna dum intemperantius profligatos hoſtes perſequeretur, à Braccio Baleono Florentinorum equitum præfecto captus fuerat. Atque ita Vgo Moncata urbe exceſsit, grauiter indignante Pompeio, atq. id factum deteſtante, quod ſub inanibus ſimulatæ concordiæ promiſsis, interpellari, eripique certam uictoriam uideret. Fuére qui exiſtimarent Vgonem multo corruptum auro, pontificem tanto periculo liberaſſe, eoque maturius atque libentius, ne eo capto, ac demum aliquo forte caſu, aut Columniorum inſidiis ſublato, ex ea re Cæſari qui religionis & pietatis laudem quæreret, inexpiabilis inuidia conflaretur. Ferebant enim Pompeium adiutore Cæſare paratis iam ſeniorum ſuffragiis, pontificatu haud dubie potiturum, ſi Fortuna Clementem in eo armorum

ſtre

ſtrepitu conturbatiſque rebus abſtuliſſet. Interea Clemens præſenti ſolutus metu in ſpem uindicandæ iniuriæ ſuorum omnium hortatu, uehementer accenditur, in Pompeiumq. præſertim & Columnios omnes. Reuocat tamen Mediolano copias, ut initæ concordiæ, præſcriptis legibus ſtare, pacatoque animo, ab æquitate Cæſaris pacem ſperare uideatur. Nec mora Heluetiorum duo milia & Italicas cohortes ſeptem uirtutis eximiæ, ex his quibus ad Mediolanum præerat Ioannes Medices dux egregie fortis atque audax; ad urbem accerſit. Præterea magnam equitatus partem, & in his Federici Gonzaghæ ducentos circiter cataphractos: Stephanum etiam Columnam Prænestinum, à cæteris Columniis diſſentientem, cuius fidei uirtutique plurimum fidebat, conſcribere quatuor cohortes iubet; atque item Valerium Vrſinum, & Ioannem Baptiſtam Sabellum, Ranucciumque Farneſium magnæ ſpei adoleſcentes, ſinguli equitum alis præficit. Negabant enim Pontificii pacem confici poſſe cum Cæſarianis arma tenentibus, niſi pariter ab armatis & ad gerendum bellum inſtructis pax ipſa peteretur. In eo rerum motu Carolus Cæſar conſiliis atque armis hoſtium, maiore uirium mole occurrendum ratus; Lanoium proregem Neapolitanum cum ſex milibus Hiſpanorum, & triginta onerariarum nauium claſſe, in Italiam miſit; ſcripſitque ad Ferdinandum fratrem, ut Georgius Franiſpergus, ſummæ dux authoritatis apud Vindelicos, cum tribus Germanorum legionibus in Italiam mitteretur. Occurrêre Lanoio Gallicæ Venetæque triremes Cyrneo in mari, ſed nullo conſenſu. Nam quum Ludouicus Armerius Venetus præfectus cum dimidia ſuarum triremium parte ad portum Veneris ſubſtitiſſet, ſerò admodum Andreas Auria, Petruſque Nauarrus & Paulus Iuſtinianus ad hoſtes peruenêre; certatumque eſt tormentis maioribus. Sed Lanoius una atq. altera naue è ſuis cum milite demerſa, tribus autem quaſſatis, & cum multa nautarum & militum ſtrage uehementer afflictis, ſuaque demum prætoria pluribus colubrinarum pilis adeo perforata, ut penè mergeretur, ualido repente ſuborto uento, è conſpectu ſe eripuit, tenuitque Herculis portum, atque inde Caietam incolumis peruenit. Pari quoque euentu apud Mantuam Cæſarianis Fortuna arriſit, quum Feltrius Veneti dux exercitus, expugnata iam nauiter Cremona, & cum eo Ioannes Medices Germanorum legionibus occurriſſent, Nam quum hi iunctis copiis denſata incedentium hoſtium agmina (ut eos Padi tranſito prohiberent) per expeditos Sclopettarios aliquandiu proſperè, minutis præliis retardaſſent, ad Gubernulum demum uicum Medices, tormento ab ulteriore Mincii ripa, in incertum emiſſo, ictus occubuit, non tam priuato ſuo, quàm publico ruituræ mox urbis Romæ fato ſurreptus; quum nemo eo fortius atque felicius ab inuſitata uirtute, libertatem Italiæ aduerſus externas gentes defenſurus eſſe uideretur. Interea Clemens Pompeium reipublicæ, pontificiiq. imperii hoſtem decernit, ſenatu mouet, addit diras, interdicit aqua &

igni, cæteroſque Columnios eodem crimine damnatos armis perſequi tur. Inducto enim in Latium exercitu ad quatuordecim oppida inſigni pontificiorum acerbitate direpta incenſaque ſunt; adeo, ut magna ſenum, puerorum, & fœminarum agreſtium multitudo, alieni facinoris pœnas daret, paucíque plecterentur ex his, qui è Vaticano templo altarium ornamenta rapuiſſent. Infecerat tamen ferè omnes is ſacræ pecuniæ & predæ contactus, ipſamque maxime Neapolim, ita ut in foro, ſacræ ueſtes ad haſtam propoſitæ ſpectarentur. Cæterum in Sublaqueum proprias Pompeii delitias atrociſsimè ſæuitur, atque item ad Genatianum, ſed aliquanto remiſsiore ira, ſcilicet ut elegantioribus Veſpaſiani ædibus, quas Proſper extruxerat, diſsimulanter parceretur. Porrò Pompeius ubi Latina oppida incendiis fumare atque omnem armorum impetum in ipſos Columnios conuerſum uidet, poſtulat à Lanoio, ut affli ctis familiæ ſuæ rebus maturè opem ferat, hortatur ut productis copiis potius in hoſtili agro quàm propugnãdo ad regni limites, bellum ruptis iam planè fœderibus cœptum gerat. Concilii quoque indicendi, cuius nomen Clementi maxime terribile fore uidebatur, ex formula tabulas conſcribit, noctuque Romæ per clientes ſuos affigendas templorum ualuis, publiciſque in locis euulgandas curat, dictante inſtruentéque Philippo Sergardo Senenſe. Per hos libellos pontifex ad concilium citabatur, quod Cæſar ad Spiram Nemetum urbem (ea eſt ad Rhenum ſita) eſſet habiturus, ut facile intelligerent homines eum Balthaſaris Coſſæ exemplo, ſummum dignitatis & uitæ periculum, inimico Cæſare & infeſtis Lutheranorum animis aditurum. Nec multo poſt excitis ad id bellum regni proceribus, magno equitatu coacto, additiſque Germanorum atque Hiſpanorum cohortibus, ad Fruſinonem caſtra poſuerunt; Quod ubi Clemens cognouit, uiditque eos iam nudato planè conſilio, auſpiciis Cæſaris bellum eſſe geſturos, ut grauiore metu iniecto eos deterreret, è Gallia Valdemontium regia ſtirpe ortum accerſiuit, hortatuſque eſt, ut in ſpem potiundi regni, Neapolim claſſe inuaderet. Vigere enim adhuc toto regno Andegauenſium regum memoriam, & præclarum ſtudium multorum procerum in id nomen. Proinde ingenti animo arma capeſſeret, ut uirtute fortunáque maioribus ſuis æquaretur. Itaque Valdemontius ſingulari alacritate claſſem conſcendit; Campaniæ oram metu complet; Salernum expugnat: ſigna ad ipſam Neapolim uertit, expoſitiſq. cohortibus, ad pontem Sebethi amnis, effuſum cum Neapolitana iuuentute Moncatam, intra portam compellit. Parte alia Lanoius atq. Pompeius, Fruſinonis mœnia tormentis quatiebant; ibi præſidium inerat earum cohortium, quæ ob ducis ſui Ioannis interitum, à funeſto uexillorum colore, vulgo nigræ uocabantur, quarum ea erat conſtantia & uirtus, ut diffracta cadentiáq. mœnia, adiectis tumultuariis operibus repente reſarcirent, & ſæpe audacter atq. feliciter eruptione dimicarent. Pompeii mens erat, quum primum aliqua muri pars concidiſſet,

admouere

admouere ſtatim cohortes, & uera ui, trinísq. ſubſidiis ex triplici natio num genere cõſtitutis, ſupremũ oppugnationis caſum experiri. Per ſpe culatores enim didicerat aduentare pontificios duces, ut obſeſsis opem ferrent; prouidebatque ſi ſegniter oppugnare pergerent, ancipiti prælio dimicandum fore. Sed Lanoius haud ſanè multum belli peritus quum uariis ſuorum ſententiis diſtraheretur, nec facile conſilium explicaret, potiundi oppidi occaſionem corrupit, adiítque diſcrimen accipiẽdi gra uis incommodi, quum propinquo hoſte mouẽda caſtra uiderentur. Per uenerant enim pontificiæ copiæ ad Ferentinum, Rentio Cerite, & Vitel lio Tiphernate ducibus; aderátque legatus cardinalis Auguſtinus Tri uultius, Clementis hortatu & ſuopte ingenio nauandæ operæ cupidus, quòd ſtudio à maioribus tradito, Gallicæ factioni uehementer eſſet ad dictus. Nec mora pontificii quadratis agminibus Ferentino egreſsi pa tentibus in campis ſuorum pariter atque hoſtium oculis diſpari animo rum habitu ſpectaculum præbuerunt. Erat enim è collibus, ipſáque op pidi ſumma arce in ſubiectos campos deſpectus, ita ut peditũ & equitũ agmina diſtinctis & præfulgentibus uexillis enumerari poſſe uiderẽtur. Non tulêre ſubeuntium impetum Lanoii cohortes ponti Coſæ amnis præſidio impoſitæ, atque ita loco pulſæ profligatæq. amiſsis tribus uexil lis terga uertêre, adeo ut perturbata magna parte exercitus, ſola Germa norum phalanx immobilis imperterritáque conſtiterit; quod nigræ co hortes conſpicatæ, auctis ſpe uictoriæ animis audacter eruperunt. Ita pa tefacto aditu, commeatus affatim intromiſsus præſidiumque nouo co hortium aduentu renouatum. Abſtinuit prælio Rentius quum uictoria in manibus eſſe uideretur, ſatis ſuperque actum ratus, quòd ſine ſuorum uulnere, concluſos obſidione atque periculo liberaſſet. Ea quæ ſecuta eſt nocte Pompeius, Lanoio in re aduerſa repentináque perturbato, reduc endi exercitus munus ſuſcepit; ita ut ipſe maiora tormenta, ſuiſmet hu meris atque lacertis impelleret; minora enim ſingulis ducibus reducen da attribuerat; cuius implendæ operæ ſpecimen atque exemplum dabat ne tale dedecus admitteretur, ut tormenta in poteſtatem hoſtium deue nirent. Ita ſingulari Pompeii cura, laboreque & diligentia exercitus in columis in pacatum tutúmque locum eſt receptus. Nullo quippe per no ctem tenebris atque terroribus importunam accepto incommodo, nul lo maiore minoréue tormento, uel in ſumma uiarum aſperitate deſerto, nullísque poſtremo amiſsis impedimentis, quum hoſtis, uiribus, animis, loco, atque eius diei fortuna, abunde ſuperior, abeuntium tergis inſtare, & non mediocrem omnino cladem afferre potuerit. Ea bene gerendæ rei facultas, Pompeii celeritate & uigilantia, pontificiis erepta, magnam Rentio atque Vitellio (ipſius Triuultii legati & minorum ducum teſti monio) cõflauit inuidiam, ut qui uacare quæſtui, delectari imperio, odiſ ſeque belli finem, & pericula uniuerſæ pugnæ deuitare, uel malignitate, uel ignauia dicerentur. Cæterum cognito Cæſarianorum diſceſsu, pro-

mouere ſerò caſtra, multósque dies nulla memorabili re geſta, circa Poſſium atque Cæcanum conſedêre. Ex aduerſo Lanoius atque Pompeius, ad oppidum Caſtrum conſtiterant. Verum conſumpto in his locis omni frumento, quum fame uterque exercitus laboraret; & equi deficiente pabulo, quòd nullum gelidâ adhuc hieme gramen erumperet, inedia & macie conficerentur; applicuit ex Hiſpania Franciſcus Angelius cucullatus, Diui Franciſci ſectæ princeps. Is opinione religionis Cæſarem nudato omni ſimulatione animo arcana crimina Chriſtiano more confitentem, audire expiareque ſolitus, mandata Cæſaris de pace, ad pontificem afferebat. Eius uiri hortatu, quum ſingula ad religionem reuocaret, & ſumma omnia de lenitate æquitateque Cæſaris pollicerentur, Clemens ad pacem inclinauit, quòd ærarium ſumptu, animum uerò cura & moleſtia bellicarum rerum leuare percuperet; indignaretur-que pulcherrimam omnino occaſionem potiundæ uictoriæ, aſſuta, aut ignobili certe ducum ſuorum cunctatione, fuiſſe prætermiſſam; annonamque demum non modo creuiſſe, ſed in caſtris totoque Latio tantum non conſumptam eſſe conſpiceret; & Borbonius maxime formidandus uideretur, qui ingentibus lectiſsimisque inſtructus copiis, togatæ Galliæ & Ethruriæ urbes Romanæq. urbis opes, in prædam militi ſe concedere prædicabat. Itaque Romam accitus eſt etiam Cæſar Feramuſca Campanus Cæſaris familiaris, qui dudum ab Hiſpania uenerat, attuleratque ad pontificem à Cæſare humaniores literas, quibus ſe pacem expetere, odiſſe arma, & pontificiam maieſtatem religioſe colere ſignificabat, teſtabaturque Deos immortales ſe regnis ſuis eſſe contentum, & ab ſe cuncta facile poſſe iuſtis precibus impetrari; ſed minime paſſurum, ut ſibi à quoquàm in his quæ iuris atque arbitrii ſui ſint, arroganter præſcriberetur. Non eſſe enim ex dignitate Auguſti, longe maximi principis, leges accipere, minisque terreri, ab his maximè qui imperio ſuo ſubiecti, & diiudicante Fortuna toties bello uicti, ingratique demum, grauiore pœna digni cenſerentur. Itaque Idibus Martiis, qui dies ſummarum calamitatum Vrbi atque Italiæ initium fuit, inita iterum pax eſt, conſcriptæque renouati fœderis leges, ea conditione, ut Lanoius ad Vrbem ueniret, ſcilicet præclara adſtipulatione tabulis rite confectis, grata omnium animis ea concordia ſacris ſolennibus celebraretur. Nec multo poſt Lanoius recepto prius Cæſariana in caſtra Triuultio legato, ut fidei obſes eſſet, ad Clementem uenit; notatusque eſt haud dubie Deorum monitu aduentus eius, ut lugubris & maxime funeſtus Vrbi futurus; quum ea pars Vaticanæ domus qua ipſe fuerat hoſpitio exceptus, terribili uagoque fulmine icta tremuiſſet. Ab ea autem pace maxime auerſus erat Pompeius; dixeratque diſcedenti Lanoio, ne magnopere laboraret, ut pontifici conciliaretur. Se enim acta Clementis, quib. galeri ſibi honos adẽptus eſſe uideretur, breui reſciſſurum; quòd ille nequaquàm legitimus ſed uitio creatus pontifex, dignitatis ſuæ de-

cus

cus eripere nequiuerit; quod Leo X. diuini atque humani iuris ſciens, ueræque uirtutis amantiſsimus, ſibi abſenti ex ſenatuſconſulto detuliſſet. Solebat ille elato contemptoreque animo Clementis ingenium, nomen, fortunamq. deſpicere, quum haud dubie commoda omnia rerum ſuarum, & dignitatis ornamenta, ex amicitia & liberalitate Cæſaris expectaret. At Clemens confirmata pace cum Lanoio, ut Florentinis rebus, quibus maxime timebat, opportunè caueret; ab eo poſtulauit ut in Ethruriam proficiſceretur, præſentique authoritate atque imperii iure, Borbonii conſiliis obuiam iret, impediretque iter, quod ab eo per pontificios fines, infeſta ubique populatione ſuſceptum eſſet; ſcilicet ut tot coactæ in unum audaciſsimarum gentium legiones, audito pacis nomine ſoluerentur; quum ipſe Lanoius, ad quem ſumma militaris imperii reſpiceret, uti belli & pacis arbiter, præclara ante omnes authoritate, perſuadere militi, atque ipſo demum iure ſupremæ poteſtatis, Borbonio præſcribere facile poſſe uideretur. Sed milites in ſpem diripendæ urbis Romæ, conſociatis animis tantos ſpiritus ex felicitate rerum geſtarum deſumpſerant, ut quum ſuperbia licentiaque corrupti, Borbonium, Lanoiumque contemnerent; neminemque eſſe in terris qui ipſis reſiſtere poſſet, exiſtimarent; publico tantum, & tumultuario conſilio regerentur. Quin & per eos dies, quum in Bononienſi euaſtatis agris fame laborarent; noctu in Borbonii domum irruperant; tanto ipſius periculo, ut uix ignobili latebra, quin interficeretur, ſit ſeruatus; Quæſito tamen & pacatis animis iuſſo, ut prodiret, honoris nomen reſtituerunt, ut aliqua ducis imagine ad diſciplinæ ſpeciem uterentur; moreque militiæ auſpiciis eius atque imperiis parere uelle ſimularent. Irridebant enim eum Hiſpani uti ſtolidum & exulem, quòd ambitioſè expetitis Heleonoræ nuptiis, intercipiente demum Franciſco rege, deluſus repulſam tuliſſet, & ad Galliæ Ciſalpinæ imperium aſpiraret. Germani uerò eum egentem, exutumque omnibus fortunis, & proditorem gentis ſuæ uocitabant. Itaque Cæſariani ab Alfonſo Ferrarienſi, commeatu omnis generis abunde adiuti, recreatique, euaſtatoque demum atque incenſo Bononienſi agro, egreſsi hibernis per Flaminiam uiam, nullo hoſtium occurrente, ad Apenninum ſupra Fauentiam contenderunt, Feltrio Venetorum duce, & Michaële Salaſſo regulo, qui Gallicis præerat auxiliis, in aciem prodire non auſis: quanquàm his magnæ adeſſent copiæ, tormentorum apparatu, atque urbium opportunitate ſuperiores. Borbonio ab Amandula oppido ſubeunte ea alpium iuga, quæ Aretinos de ſpectant campos; Feltrius atque Salaſsus per Petram malam breuiore itinere in Ethruriam tranſcederunt, rati hoſtem (uti euulgatum fuerat) Florentiam continenti curſu petiturum. Sed is læuorſum in Senenſium agros deflexit; uix tantiſper moratus, dum ex inſigni illorum ſtudio ac liberalitate exercitus duorum dierum cibaria acciperet. Edicebatur enim toto agmine cunctis eſſe feſtinandum, quum præcepta animis ui-

ctoria, ſpeſque omnis, uberrimæ prædæ, in una celeritate, poſita uideretur. Præbuerat ſpem Borbonius Florentinorum legatis ineundæ concordiæ, ſi ipſorum ſumptu ſtipendia militi ſoluerentur. Sed in immenſum augebat in dies eam petitæ pecuniæ ſummam, nec inſtitutum tamen iter ulla in parte remittebat: ut iniecta ſpe pacis, ab apparatu belli hoſtes auerteret, quos imparatos & nec opinantes inuadendos eſſe cenſebat. Lanoius quoque qui ad Aretinas alpes occurrerat, ludibrio habitus, quum Borbonium ex itinere monuiſſet, ut retentare agmen uellet, idoneóque ad colloquendum loco ſubſiſtere; poſtquàm Romæ pace celebrata ex ſententia Cæſaris fœdus cum pontifice eſſet renouatum. Sed Borbonius militesque, cum Lanoium ipſum, tum etiam pacis nomen impensè oderant: adeo ut irriſus atque repulſus, non mediocre uitæ periculum adiret, quum in ſubalpinos agreſtes incidiſſet. Porro Borbonius ænea tormenta à Senenſibus oblata parataque minime ſecum aduehenda iudicans, ut inſtituta celeritate uteretur in opprimendo pontifice, anteuertendisque hoſtibus qui iiſdem ueſtigiis ſecuturi uiderentur, ad Pompeium ſcripſit ut ſibi aduentanti tormenta muralia, & commeatum affatim apud Romam pararet: Se enim ſecretiora à Cæſare mandata nuper habuiſſe, quibus iuberetur, ut ſtrenuam operam daret, ut occupata Vrbe Cæſariani nominis hoſtes delerentur. Paruit Pompeius, è Fundanoque agro ad Palianum profectus præſtitit officium in his rebus, uti opus erat, maxime liberaliter ac diligenter. Cæterum tanta fuit in Cæſariano milite duceque celeritas, in ſuperandis prælatis fluminibus conficiendoque itinere, uel per imbres maxime lutulento, ut aliquanto citius quàm opinione hominum expectari poſſent, ad mœnia Vaticana peruenerint. Tum uero Clemens repentino inſtantis periculi metu conſternatus, ſummæque rerum & ſaluti plurimum diffidens, diuerſa perturbato animo conſilia uolutare, modò conſtanter, modò trepidè à patribus & à Romanis, ducibusque ſuis opem, consilium atq. operam poſtulare; ambigere an ad mare, ubi triremes erant ſeſe proripere præſtaret, an deſerto uaticano interciſisque pontibus intra Vrbem ſe recipere, opperiri ſuorum auxilia, cum Borbonioque aliqua pactione, oblata magna ui pecuniæ, pacem mercari, ut qui ſe omnia alia ſpe deſtitutum uideret. Paucis enim ante diebus Heluetiorum duo milia, atq. item mirificas ad tuendam urbem nigras cohortes, deprecantibus cunctis ne id faceret, atque reclamantibus, importune dimiſerat, ut ærario parceretur. Etenim animo eius tanto rerum uſu, tantisque exactæ prudentiæ præſidiis inſtructo ad elidendam uirtutis aciem, auaritia fatalis inhæſerat, ut cuncta quæ publico omnium iudicio timebantur, ipſe unus nequaquàm timeret; fideretque his maximè, in quibus nullam omnino ſpem reponendam, ſummi pariter atque infimi homines exiſtimarent. Extruxerat Rentius Ceres dux patriæ ſuæ admodum funeſtus tumultuariam munitionem in ipſo Vaticani dorſo, irridendam

hoſti

hoſti,nobis autem ſummo cum dolore & lachrymis ſpectandam. Armauerat item im belles Romanas tribus,& paucos collegerat milites ex his qui nuper dimiſsi,diuenditis armis in urbe remanſerant; Profitebaturque ſe Leoninam urbem,ipſamque Romam,unum atque alterum diem egregie defenſurum. Putabat enim Clemens Feltrium ipſumque præſertim Guidonem Rangonum, magnis ſibi obſtrictum beneficiis, per Flaminiam uiam,uitata Caſsia qua hoſtis iter intenderat, ad urbem cum expeditis copiis aduolaturos. Sed Borbonius anteceſsit, urbemque Romam ſubiectam oculis,è monte Mario militibus oſtendens, ubi ex præda multo opulentiore quàm opinione auiditatéque ipſorum concepiſſent perpetuo ditarentur, edixit ut corpora tanti itineris labore feſſa, & enecta fame paululum curarent;ſolitaque celeritate murum ſubirent.Erat enim ab ea præſertim parte qua in meridiem obuertitur,uetuſtate conſumptus atque humilis.Inuasêre itaque loca nequaquam munita ſub auroram, pridie Nonas Maias;dimicatumque eſt utrinque acriter minoribus tormentis: quum pauci ueterani & prætoria Heluetiorum cohors,conſtanter irruentes, conſcendentesque repuliſſent. In ea parte quæ Obeliſcum reſpicit, Borbonius dum cohortatur ſuos & ſcalam conſcendit, in inguine plumbea glande traiectus occubuit; multique ingentis tormenti pila, è ſummis collibus in latera denſiſsimi agminis emiſſa diſcerpti ſunt: raptaque in prælta mœnium parte duo Hiſpanorum uexilla ſigniferis è muro præcipitatis. Sed repente nebula craſsior paluſtri exorta campo, ita hoſtium aciem intexit, ut tormentorum uſus dirigendis ictibus fatali noſtrorum incommodo, penitus eriperetur. Irrupêre itaque facile Hiſpani per coniunctas muro ignobiles caſas,ubi Borbonius amiſſa uoce defecerat: Diis haud dubie concepto ſceleri pœnam maturantibus: ne uir perfidioſus atque impius, direptæ atq. euaſtatæ ſacroſanctæ urbis ſpectaculo lætaretur. Parte alia Germani munitiones in colle tranſcenderunt, circumuentamque in medio Romanam plebem quæ ſub uexillis regionum intra Turrioniam portam conſtituerat, tanta ſæuitia immanitatéque trucidarunt: ut imbelles homines proiectis ad terram armis, ſuppliciter uitam deprecantes, crudeliſsimè cæderentur.Nunquàm enim ab ulla memoria,maiore truculentia uel in barbaros qui Mahometis ſectam colerent, uel in perpetuos hoſtes atque inimicos, uindictæ libidine ſæuitum eſt. Nemini enim fuga patuit, quum refugientes non in ipſo tantum celeberrimo templo, ſed in adytis, ante ſacroſanctam aram inermes trucidarentur:Quibus antea immanes ex ultima barbarie Totilis Gothus, & Genſerichus Vandalus religioſè peperciſſent. In eo ſtrepitu Clemens fruſtra auerſos Deos precibus ad aram fatigans,audito hoſtium clamore,citato gradu per oblongam duplicis muri munitionem è Vaticano in arcem confugit,gemens & crebro ſe ab omnibus proditum querens: ita ut toto eo itinere è feneſtellis miſerabilem noſtrorum fugam, & cru

enti maxime tumultus faciem, barbarorumque furentium haſtas & ſecures impreſſas fugientium tergis deſpectaret. Clementi autem plenis paſsibus euadenti proximus aderat Paulus Iouius qui hæc conſcripſit; ſuſtuleratque ei ab tergo talaris togæ ſinus, ut expeditius iter conficeret; ſuumque item uiolaceo colore pallium, & pileum capiti atque humeris iniecerat; ne pontifex à candore ueſtis agnitus, dum aperto demum & ligneo ponte in arcem tranſiret, à Barbaris accuratiore forte glandis ictu ſterneretur. Perſuasêre intra pontis portam, quum in curia & trepidatione noſtrorum cataracta demitti nequiuiſſet, ſigniferi duo Hiſpani, tanta audacia ut petiti undique tormentis, nihil mortis metu terrerentur, quin per pontem in forum proximum excurrerent, conatusque eſt pari temeritate Falcius centurio Hiſpanus, portæ arcis ualuas propellere, atque ibi cum paucis eſt interfectus, Tota itaque Leonina urbe, quam ſuburbium uocant, pontificiisque ædibus, & ſacroſancto auguſtiſsimoque templo, incredibili immanitate cruentatis, atque direptis, ad Septimianam portam ſigna uertêre; primique omnium Itali, duce Ludouico Gonzaga, cui ab inſita uirium ferocia, iactantiaque, Rodomonti cognomen fuit, tranſcendere eum murum, qui ab Aurelia porta per decliues Ianiculi uineas ad Septimianam protenditur, paruo admodum negocio depulſis defenſoribus & occupato Xyſtino ponte; ita edita fugientium multa cæde, ſeptem milibus hominum trucidatis; ſupra quadraginta milia hoſtium in urbem irruerunt. Nam ad Germanicas legiones tres, ſex milia Hiſpanorum Ioanne Dorbino duce, atque item Italicæ cohortes acceſſerant, ex itinere paſſim latronum & damnatorũ concurſu adauctæ, quas ductabãt Fabritius Maramaldus; Sarra Columna; & is, quem diximus Rodomontes. Veteranos quoque equites non exigua leuis armaturæ equitum manus, ex uario nationum genere, ſine uexillis, in ſpem ingentis prædæ ſequebatur. His præerat Ferdinandus Gonzaga, & Filibertus Aurantius Belga, qui Borbonio interfecto, à militibus imperator eſt appellatus. Ea nocte nihil unquàm lugubrius aut funeſtius fuit Romanis pariter & Inquilinis; ædite enim omnibus in locis ad ſatietatem in nihil tale meritos inuſitatæ cædes; nobiliſsimi ſenes pariter ac iuuenes tormentis excruciati, uiolatum ubique matronarum & uirginum decus: ueſtales in ipſis templis conſtupratæ; cardinalium porro, principumque domus, tanta furentium rabie ferro atque ignibus expugnatæ, ut nec regum legatis parceretur, nemoque demum ex his, qui latebra gladios effugerint, ſit ſeruatus, niſi uitam ac libertatem, uniuerſa bonorum ſubſtantia redemerit. Feritate & truculentia terribilis erat Germanus: ſed à primo impetu quo armatos deleuerat, à gladiis temperabat, uſq. adeo remiſſa animi ferocia, ut exiguo facile pretio libertatem captiuis daret, & præſentibus tantum ſpoliis & compotationibus lætaretur, uerteretque demum furorem in templa & antiqui operis ſtatuas, deformãdo cuncta atque

que euaſtando, quòd plerique eorum irriſis pontificum legibus, Luthera na dogmata ſequerẽtur. Hiſpani autem aſtuta & implacabili crudelitate acerbiores, ut abdita arcanaq. familiarium eruerent; tormentis atq. ſup pliciis in nobiliſsima corpora graſſabantur; tanta auri cupiditate, ut Iulii pontificis cadauer, multa exeſum carie eruere, & annulo ſpoliare non dubitarint. Sed eius etiam gentis facinora, Itali, Brutiique præſertim decerptis uitiis, nec ullis omnino admiſtis uirtutibus facile æquabant; & eo grauiore cum inuidia, quòd in obſequium barbarorum longe promptiſsimi, æmulatione ſcelerum, ab amore charitateque communis patriæ diſceſsiſſent. Obſidendæ uero arcis circumuallandæque per ducta in gyrum foſſa Philippus Cerbellio & Mendanius Hiſpani, negocium ſuſceperunt, tanta acerbitate, ut uetulam in arcis foſſam lactucas deferentem, quæ expetenti pontifici dono darentur, laqueo immaniter ſtrangulatam, in conſpectu arcis ſuſpenderint; pueroſque item qui olera funiculis extrahenda alligabant, ſclopettis interfecerint. Biduo pòſt affuit Pompeius Clementis quidem incommodo, periculóque lætatus; ſed quum plena omnia cadaueribus, luctuque coſpiceret, multóque mulierum & puerorum eiulatu, atque inſignium ciuium ſacerdotumque, in tormentis fruſtra opem implorantium, regiones & domus omnes miſerabili gemitu complerentur, lachrymas tenere non potuit; eo etiam uehementiore dolore perculſus, quòd cadente patria, elapſóque ſecus atque ipſe optaſſet, incolumique pontifice, qui tantæ cladis cauſam præbuiſſe uideretur, ad inſontes tantum ac miſeros, ſummæ calamitatis pœna recidiſſet. Itaque uti generoſum & ſacratum uirum decebat, inſigni pietate & miſericordia adductus domum ſuam afflictis & miſeris aperuit; & quanta maxime ualebat authoritate apud duces ac milites operam dedit, ut inuiolatum decus fœminis ſeruaretur; cruciatu eriperentur ciues, & de redimendis captiuis, tolerabili conditione leges ferrentur. In his rebus humanitate, diligentia & liberalitate tanta fuit, ut ſuperiora cœnacula ad ſummas contignationes honeſtiſsimis matronis atque uirginibus complerentur, cardinales plures ad ſe confugientes ueſtiret atque aleret; controuerſias inter captiuos & milites ſua pecunia diſſolueret; cunctiſque uitæ periculo circumuentis, uadem ſe præberet; ita ut in ea fortunæ acerbitate captæ & euerſæ urbi nihil Pompeii aduentu opportunius fuerit aut melius. Nemo enim miſer ab eo fruſtra opem implorauit; nemo aut militum metu, aut inedia compulſus, ſalutaris atque hoſpitalis domus foribus eiectus fuit.

Singulari quoque animi magnitudine ſimultatum & contentionum oblitus, non aduerſæ modo factionis nomine, aut peculiari ex cauſa ueteres inimicos præſenti ope adiuuit; ſed è Sanctacrucia etiam familia, à qua Hieronymum ipſius patrem interfectum diximus, nobilem matronam, eiuſque filiam conſpicuæ formæ uirginem, ad ſe recepit, atque auro redemit. Vna in re tantum uindictæ libidinem effudiſſe eſt uiſus,

quum Clementis uillam, ſub monte Mario, contra Miluium pontem in cendi iuſsit, adeo ut Clemens ab ſumma arce fumantem ſpectans, ſena toribus diceret, ſatis æquo iure ſecum agere Pompeium, quòd eodem igne talionem redderet, quo Latina oppida deflagraſſent. Nec multis inde diebus Clemens conſumpto commeatu, ita ut aſinina etiam carne inuitatis quoque quaſi ad ſolennes epulas patribus auidiſsime ueſceretur, deſperatiſque omnibus effugiis, deditionem fecit; ea conditione, ut cuncta quæ imperaſſet Cæſar ſe facturum polliceretur, à quo dignas eius pietate fideque literas expectabat; quibus ſtipendio militi perſoluto, ſibi ſacroſanctum urbis imperium cum libertate redderetur. Fruſtra iam Feltrium & Salaſſum atque Rangonum expectarat, ut admoto exercitu expugnatiſque munitionibus, ipſe & ſenatus arce eriperetur. Sed hi poſitis ad ſeptimum lapidem caſtris, in iuga montis Marii excurrendo, ſe tantum oſtentarant; atque ita ut imperitis & miſeris, id unum in ſupremo ſalutis diſcrimine facile cupientibus, iamiamque deſcenſuri, & munitiones aggreſſuri uiderentur. Sed ea mente in conſpectum ſe dederant, ut quid hoſtes occupati præda, & in tanta rerum copia uino, libidine, ſomnoque molliti facturi eſſent, proſpectarent; nec tamen periculoſi prælii aleam ſubirent. Quid enim ſtultius uideri poterat ſanis & peritis ducibus, quàm iniquum in locum ſe demittere, & cum inuicto hoſte, uiribuſque haud dubie, & loco atque animis ſuperiore, recentique præſertim uictoria præferoci, collatis ſignis, in nullam ſpem proſperi euentus, de ſalute libertateque Italiæ dimicare? Itaque Feltrius ſalubri potius quàm honeſto conſilio, retro in Vmbriam iter flexit. Conflauit uerò Clemens argentum omne, & aurea uaſa ſacrificiis dicata, ut inde diuidenda militibus pecunia cuderetur. Quæ quum ſatis eſſe non poſſet Cæſarianis ducibus, purpurei galeri tres conceſsi, ut illis licitantibus qui fœda ambitione corrupti, ad ſenatoriam dignitatem aſpirabant, aurum proferrent. Eo modo ad haſtam propoſitis, emptores non defuêre. Sed miles expleri non poterat, quum non menſtrua, ſed annorum aliquot ſtipendia, turbidi, inſolentes, & ueſana feritate ducibus etiam terribiles flagitarent. Quum his difficultatibus angeretur, anguſtoque arcis loco concluſus pontifex, oborta & manante in familiares peſtilentia, de ſua ſalute dubitaret, Pompeius ad eum uenit, inuitatus ab amicis ſenatoribus, depoſcenteque præſertim pontifice, quum is diceret, deſperatis auxiliis, ab una Achillea cuſpide opem expectandam; Pompeium præclarè deſignans, qui certiora remedia eſſet allaturus, poſtquàm tantis cladibus initia præbuiſſe uideretur. Erat Pompeius in aduerſis peruicax & indomitus; in ſecundis uero adeo tener & flexibilis, ut commutatæ uoluntatis gloria magnopere gauderet, oblectareturque mirum in modum, ubi decus emineret, alterna elatione, depreſſioneque familiarium ſuorum. Aliquo enim merito in gratiam aſcitos inductis demum ſuſpitionibus, extemplo repudiare, & corrupta priore

libertate

libertate, odio perſequi erat ſolitus. Sed in his æquiſsimo iure uenit excuſandus, quum nonnulli ab eo liberaliter ſacerdotiis, uariis beneficiis honeſtati, ingrato demum animo uti pecunia corrupti, in amore ac fide turpiſsimè defeciſſent. Suſceptus eſt à Clemente vultu ad hilaritatem maximè compoſito, nec ficto quidem, quum periculi magnitudo, & concepta ſpes ingens libertatis, omnem penitus ſimulationem excluderent. Deplorauêre tum ueriſsimis lachrymis euerſæ urbis calamitatem, ſacer dotalis dignitatis amiſſum decus, & denique communem inſaniam, cui pertinacius quàm ſacratis hominibus expediret, uſque ad conturbationem diuinarum atque humanarum rerum ſeruiuiſſent. Interea peſtilens morbus ex fœtore cadauerum & fame inequalique cæli temperie ſubortus, multos Hiſpanorum abſumpſerat, & in his Antonium Gamboum, à quo templum uirginis Deiparæ ad Mineruam excruciatis fœde ſacerdotibus fuerat direptum. Sed Germanicas legiones multiplica tis funeribus maxime deuaſtabat; allatumque erat Gallos Odetto Lotrechio duce tranſiſſe alpes eo conſilio, ut uindicatis iniuriis, ſacroſanctum pontificem, abrupta fide deceptum & proditum in libertatem aſſe rerent. Rex enim Franciſcus ſuopte ingenio maxime pius & generoſus, pro dignitate Chriſtiani nominis cuius ipſe titulum præferret, ualde pulchrum & decorum exiſtimarat cuſtodia & carcere ſacroſanctum pontificem eripere, atque impios, & execrabiles latrones, uti militum nomine indignos armis perſequi, qui ſceleratis manibus, templa, aras, ipſa denique ſanctiſsimorum pontificum ſepulchra uiolaſſent. Implorarat enim undique opem Clemens demiſsiſsimis precibus à Franciſco rege per Saluiatum cardinalem legatum; atque item ab Henrico Britanniæ rege, ad quem Vbertum Gambaram miſerat: Accendebat etiam Heluetios uehementer Ennius Philonardus antiſtes Verulanus, uetus apud eam gentem legatus, uel uno maxime argumento, quòd Iulius ſecundus ab inſigni beneficii accepti memoria eos honeſtiſsimi nominis titulo pontificiæ libertatis defenſores appellaſſet. Nam Clemens ſatis ſuperque explorata Cæſaris uoluntate, quum ſe in poteſtate barbarorum eſſe conſpiceret, neque ipſius ſalus atque libertas ad arbitrium Cæſaris reuocaretur, aliunde ſibi auxilium quærebat. Per literas nanque & nuncios propenſo Cæſaris animo utebatur, ſed milites Germanique præſertim minacibus oculis truces, efferique ſtipendia atque aurum deposcebant. Quibus Cæſar non obſcurè indulgendum arbitrabatur, poſtquàm tantis rebus geſtis, ſua præmia merebantur: Putabat quoque ex conſcientiæ pudore Clementem uti grauiſsimis affectum iniuriis, ubi primum cuſtodia liberatus euolaret, in omnem uindictæ libidinem ſeſe effuſurum; ita ut tantis adiunctis ſociorum præſidiis reſumpturus arma, & ad Chriſtianas imprecationes diraſque aduerſum ſe deſcenſurus eſſe uideretur. In his rei nummariæ difficultatibus coactus eſt pontifex obſides dare, quos ipſi milites delegiſſent. Ii fuêre cardinalium pro-

pinqui, uiriq́ue maximè pecunioſi Ioannes Marius Montanus Siponti-nus, Honofrius Bartholinus Piſanus archiepiſcopi; Antoniuſque Puccius Piſtorienſis & Ioannes Matthæus Gibertus Veronenſis epiſcopi; itemque Iacobus Saluiatus, cardinalis pater; & Laurentius Ridolphus, Nicolai cardinalis germanus frater. Horum ſacratis manibus ferreæ cathenæ ſtatim iectæ, uinctique in Pompeiana domo cuſtoditi. Hos Pompeius uidere, aut alloqui humanitate ſua indignum putauit, ne quum præſtantes uiros familiaritate ſuperioribus temporibus ſibi coniunctos, in libertatem uindicare non poſſet, ad non dubiam inuidiam, eorum calamitate lætari uideretur. Verùm per familiares ſuos id benigne & liberaliter præſtabat, ut nihil quod ad ſubleuanda præduræ captiuitatis incommoda, triſtitiamque minuendam pertineret, omnino deſiderarent. Quum uero à Barbaris aurum immaniter ſupplicii metu iecto exprimere properantibus, in Floræ campum, ad furcas cathenati, latronum more traherentur, biſque ſententiis de eorum ſupplicio in corona militum graui & infeſto concionis fremitu eſſet diſputatum; adeo Pompeius, eo atroci illuſtrium ſacerdotum periculo, & Germanorum feritate commotus eſt, ut non multo pòſt ipſo commiſerante & prorſus conniuente, per uaporarium foci tubum ſubleuati, extractique funibus euaſerint; quum Germanos cuſtodes opipara in cœna, multo falerno conſopitos egregie fefelliſſent. Tranſierat paulò antè Pompeius in Alfonſi Vaſtii domum, ut eius doli ſuſpicionem ab ſe penitus auerteret, & deceptorum & furentium impetum ſua abſentia fruſtraretur. Horum fuga Clementem incredibili affecit uoluptate, libertatemque eius magnopere maturauit. Nam Germani ad nouas pactiones deſcenderunt, ut pecunia certius atque facilius expediretur. Audiebant enim Lotrechium properare, ut liberati ab ſe pontificis gloria potiretur. Is ad Boſcum oppidum expugnatis Germanorum cohortibus Alexandriaque urbe in poteſtatem redacta, & Ticino demum terribili tormentorum apparatu capto, direptoque, Padum tranſierat; Parmæ atque Bononiæ aliquandiu ſubſtiterat, ut Heluetias & Germanicas legiones expectaret; quibus receptis, per Togatam Galliam ad Truentum amnem contendebat. Aderant ei Venetorum copiæ, acceſſerant magni roboris auxilia Florentinorum. Ii enim ad famam capti pontificis exciti ad arma, Mediceis adoleſcentibus Hippolyto atq. Alexandro Florentia eiectis, ſeſe in libertatem uendicarant. Andreas quoque Auria Gallicæ præfectus claſsis, ad Delphini portum Hiſpanicas triremes oppreſſerat, eiectiſque Adurniis Genuenſes Gallorum imperium acceperant. Quibus de cauſis Cæſariani duces in propinquum ſummæ rerum diſcrimen adducti relinquendam omnino urbem Romam, & hoſti obuiam eundum cenſebant. Id maxime cupiebat Pompeius quum patriam à Barbaris funditus euerti conſpiceret, deformatis paſsim ædificiis atque omni laquearium & tectorum exuſta materia collabentem.

Sed

Sed negabant milites Germanique præſertim ſe ab urbe, pontificiſque cuſtodia diſceſſuros, niſi ſtipendia ſoluerentur. Id uero ſe præſtare non poſſe aiebat Clemens, niſi cuſtodia educeretur; capto enim ſibi atque alieni iuris facto, non credi à menſariis & publicanis; libero autem & ſuæ dignitati reſtituto, præclaram fidem rediuiua poteſtatis exiſtimatione, confeſtim affuturam. Porrò Cæſar ab Hiſpania perplexe reſcripſerat, ſibi æquum uideri, ut pontifex cuſtodia educeretur; ſed darent ipſi operam ut alicunde militi ſtipendia præberentur, cauérentq. ne pontifex ex captiuo liber & hoſtis factus; ſi id uellet, partium conſiliis multum noceret. Interpretandis autem literis, diuerſæ ſententiæ à ducibus dicebantur; Aurantius, Alarcon, Vereius atque Moronus cautiores uideri uolebant. Pompeius uero & Columnii omnes cohortantur, ut per honeſtam pactionem ſacroſanctum pontificem carcere; ipſum uero Cæſarē infamia liberarent. Aduenerat Franciſcus Angelius præclarū de Cæſaris conſcientia uoluntatéque teſtimonium ferens. Itaque Clemens mirifice adiuuante Pompeio, pecuniam à cupediariis ditibus mutuam impetrauit per Bernardum Sanctium Reatinum iuriſconſultum, urbis prætorem. Hunc Pompeius Anoierio Mottæ Gallo collegam addiderat, ut miſeris ciuibus de uita & fortunis cum milite litigantibus præſidio eſſet, atrocitatemque publicæ calamitatis humani iuris artibus emol liret. Franciſco demum Angelio inſigni adipiſcendæ libertatis authori purpureum galerum eſt pollicitus, itemque Moroni filio epiſcopatum Mutinenſem dedit; conceſsit & ipſi quoque Pompeio Piceni legationem; omnesque promiſsis aut preſentibus donis, qui authoritate ualerent ſibi conciliauit. Præterea ut milites ampliore pecunia mitigaret, Grimanum & Cornelium Venetos: Sanſeuerinum, Caraffam, & Palmerinum Neapolitanos, Cardoniumque Hiſpanum, pretio legerat in ſenatum; ut quæ ſanctius atque ſyncerius Cæſari fidem obligaret, quinque cardinales obſides dedit, è quibus Triuultius, Piſanus, & Gaddius Neapolim ſunt perducti. Vrſinum autem & Cæſium ipſe Pompeius uadem pro his genereſe admodum ſe præbens, ad Sublaqueanos ſeceſſus perduxit, atque maturè ingentibus munificentiæ atque humanitatis officiis obſtrictos dimiſit. Quum uero pontifex amici pacatique animi data fide, atque ea tabulis confectis confirmata, exceſſurus arce, & Orbitum Tuſciæ oppidum, comitante parte exercitus, petiturus eſſet, Pompeius ei dono dedit nobilem Turcam equum, itemque inſignes ſarcinarios mulos, & niuei coloris aſturconem, quo ſacra, arculæ purpureæ incluſa cum perpetuo igne pontificibus maximis præferri ſolita ueherentur. Sed pontifex mutato habitu, ita ut unus ex familiæ præfecti familiaribus uideretur, intempeſta nocte ex arce atque urbe exiuit, ueritus ſi lucem expectaret Vgonis Moncatæ ſententiam, qui Lanoio peſtilentia abſumpto Neapolitano regno præerat, uirque ab ingenita ſubtili calliditate uerſutus & uarius, ab his facile diſſentiebat, qui pontificem mili-

tum manibus ereptum uolebant, & Cæſaris inuidiam honeſtiore decreto lenire cupiebant. Ludouicus autem Gonzaga educendi pontificis negocium ſuſcepit, feliciterque perfecit, fruſtra petente Aurantio, ut in itinere ſubſiſteret, quum is è Galeria oppido ubi erat in hibernis, tranſuerſo itinere ſalutaturus, in certum an retenturus cum ala equitum aduentaret. Pontifice poſt ſeptimum menſem libertati reſtituto, Pompeius Neapolim contendit, ut bellicis partiũ conſiliis intereſſet. Iam enim Lotrechius ferè totam Italiæ longitudinem emenſus in Apuliam peruenerat. Quo rerum periculo adducti Cæſariani, obteſtante educenteque Alfonſo Vaſtio, urbem abſumptis omnium fortunis, domibusque fœda tectornm ſtrage, deuaſtatam reliquére. Diſceſſerat è caſtris Vaſtius ab initio priuſquàm Roma caperetur, ne ſceleratis militum conſiliis intereſſet; ueneratque deinde in urbem, ut ſuo ueteris imperii iure utere tur, frenataque militum licentia, uigiliisque & ſingulis militiæ muneribus ad diſciplinam reuocatis, in hoſtes legiones educeret, certatum ſubinde eſt equeſtri prælio ad Luceriam ſuperantibus Gallis, quo Martius Columna adoleſcens alacriter pugnans, & ardentius excurrens eſt interceptus. Hunc Pompeius ex Octauiano fratre genitum, confeſtim mille aureis redemit, ſcripſitque ad eum, ut nihil ab eo incommodo, innatæ uirtutis impetum remitteret, ſed etiam atque etiam intrepidè progrederetur; aurum in promptu ſemper futurum, modo uti ea familia & eo patre natum deceret, ad parandam laudem & militare decus eniteretur. Oſtentauit demum copias Lotrechius & diſploſis in aduerſos tormentis, ſub Troiæ urbis colle pugnandi poteſtatem fecit. Sed Aurantius & Vaſtius, Dorbino comprobante, ex æquiſsimo loco, in æquam planiciem minime deſcendendum putauerunt. Nec accliuem locum Gallus ſubiit Ethruſcorum auxilia expectans, quæ de aduentu ſuo per Apennini colles interdiu fumo, & noctu ignibus ſignificabant. Cæterum in Cæſariano milite multum refrixerat uetus ardor, illeq. impetus celeritate audaciaque ſemper felix. Tanta enim ditati præda, & uoluptatibus atq. delitiis emolliti, pauere uulnera prælii caſum defugere, & præter conſuetudinem nimia uitæ cupiditate diſtineri uidebantur. Vertêre itaque ſigna Neapolim, ſilentio motis caſtris per noctem profecti. Nec Lotrechius abeuntium ueſtigiis inſtitit, ſuadente Nauarro, ut Melphiam urbem ualido firmatam præſidio prius expugnaret quàm hoſtes inſequeretur, ne obſeſsis demum itineribus, commeatus eriperetur, qui Neapolim oppugnaturis è Samnio foret expectandus. Dum itaque Galli Melphiam magnis uiribus expugnant atque diripiunt, Cæſariani Neapolim conceſsêre; Lotrechiusque demum ad urbem uallatis caſtris conſedit: Longa admodum inſtituta obſidione, nec intermiſsis quotidianis incurſionibus, quibus ab initio aduerſus erumpentes adeo profecit, ut interfecto Vereio Belga, qui liberandi pontificis decretum improbarat, Germani Hiſpanique tumultuariis uicti prælis magnopere terre-

rentur.

rentur nam primo ad Diui Antonii templum iterumq́. ad Sebethi amnis munitiones,& demum ad Pauſilipi montis cryptam quum intercluſi fuiſſent,amiſsis multis equitibus & duobus Germanicis uexillis,intra urbem trepidè refugerant. Acciuerat quoq.Lotrechius è Liguria claſſem, Philippo Auria præfecto,ut hoſtes,ipſaque Neapolis,terra,mariſque obſiderentur.Nec dubitauêre Moncata & Vaſtius quin roſtratas ſuas completas ueterano milite ad pugnam educerent. Concurrêre terribili & maxime cruento inito certamine ad Vrſium promontorium, citra Salernum; Cæſarianiſq.Ligurum virtute & nauali peritia ſuperatis, Vgo Moncata eſt interfectus, Vaſtius ipſe & Aſcanius Columna equitū magiſter,in prætoria capti.Cecidit & Cæſar Feramuſca,qui perfidioſæ pacis cum pontifice author fuerat,& cum eo Hiſpanorum promptiſsimi. Deuenit & in poteſtatem hoſtium Camillus Columna Marcelli filius, quem Pompeius pecunia maturè è manibus Ligurum redemit.Eo tempore Pompeius Caietam ſe contulerat, vt inde commeatus expediret, vrbem portumq.tueretur,& bellum in Minturnenſi & Fundano aduerſus Caietanos regulos adminiſtraret.Multi enim regni proceres in Samnio, Lucania,Brutiisque,& Salentinis,Hiſpanorum odio,& præſentis exercitus metu commutatavoluntate defecerant,& caſtra Gallica ſeque
antur,vt ſtudio Andegauenſis factionis alacriter oſtentato, in paranda
ictoria Lotrechii gratiam promererentur.Per eos etiam dies Pompe-
,ad ea belli detrimēta domeſtico vulnere ictus,infenſæ Fortunæ acer
item ſenſit.Scipio enim Columna Marcelli fratris filius,cui epiſcopa
Reatinum detulerat,quum iuuenili ardore exuta ſtriata ſtola, non
emnendas copias ex amicis & clientibus comparaſſet,& in Marſo-
finibus cum Neapoleone Vrſino,ætate, audacia atq.opibus pari,
is ſignis dimicaſſet, in prima acie ceciderat. Sed eum dolorem
conſtanter tulit,vt eum, poſtquàm ita in fatis fuiſſet, nequaquàm
ltius mortem oppetere poſſe diceret, quum aduerſus publicos &
tos hoſtes fortiter pugnando pro Cæſare & Columniæ familiæ di
e cecidiſſet. Auctus ſubinde eſt epiſcopatu Auerſano, Clemen-
clinata iam belli Fortuna, eum concedente; quo Fabium Octa-
ratre genitum, tum iuris ciuilis ſcientiæ operam dantem honeterea graui iam autumno lætalis morbus Gallorum copias
t, ex paluſtri nebula,& tetro caſtrorum odore haud dubie con
deo multiplicatis funeribus, vt ipſe Lotrechius & Valdemon
iperiore bello dux fuerat, atque item nobiliſsimi alarum du-
ecti legionum, paucis diebus interierint. Exiêre demum ob-
sq. prælatis hoſtium munitionibus,quum eas nemo armaret,in languentes,& lurida macie deformatos hoſtes impeerſecutique demum reliquias eorum, vix manibus atque
na geſtantes ad Auerſam,bello finem impoſuêre; capto Peo, & Michaële Salaſſo in deditionem accepto, qui paucos

poſt dies eodem morbo, ſimul & dolore animi, hic in libera cuſtodia, ille in carcere perierunt. Andreas quoque Auria quibuſdam offenſionibus inductus, mutata fide à Gallis ad Cæſarianos ſe contulerat, perſecutuſque Gallicas triremes earum partem cepit, ingreſſuſque Genuæ portum eiectis Gallis, ueterem libertatem patriæ reſtituit. Fortuna itaque pro Cæſare ubique feliciter depugnante Pompeius Neapolim uenit, in conſilium grauiſsimarum rerum aſcitus ab Aurantio. Hunc enim Cæſar in regni præfectura Vgoni Moncatæ ſuffecerat, quærebaturque acerbiſsime in eos, qui ſpe uictoriæ partium Andegauenſium decepti, fluxa fide ad Gallos intempeſtiue defeciſſent, ita ut damnatorum regulorum ingens numerus, publicatis eorum bonis atque oppidis fiſcum repleret, & plerique uiri nobiles capitali ſupplicio punirentur, multi uero afflati ſuſpitione criminis, metu auariſsimorum iudicum in exilium abierint, quorum omnium oppida ad haſtam uendebantur; in his addicendis Aurantio plurimum liberali, qui ſpectatam uirtutem militum, donatiui nomine, ingentibus præmiis uel caſtigante Cæſare, ornandam ſuſceperat. In his Federicus Caietanus Honorati filius, quum à Cæſare defeciſſet, ut paterna oppida à Columniis poſſeſſa repeteret, Minturnenſibuſque arma intulerat, in foro ſecuri percuſſus eſt, Murconio eius patruo Pompeii precibus haud dubie conſeruato, qu eandem damnationem ſubierat, & penè productus ad ſupplicii locum ſimilem uitæ exitum expectabat. Retulit hanc gratiam miſero ſeni, ueteris beneficii memoria, quod uir generoſus uiginti annorum ſpa nunquàm obliuione deleuerat. Quum enim iuuenis in Volſcorum uis quotidiana conſuetudine uenaretur, ab Honorati equitibus ex diis captus, & Fundana in arce in imum turris carcerem detruſi erat; ſed demum inſigni Murconii pietate mortem effugit; quum noratus frater eum uti iuuenem præferocem & Caietanæ familiæ ſtum ueneno tollere decreuiſſet. Seruum enim ſuum Murconius obſequio facile parentem, ſed conficto damnatum crimine, in eum carcerem demitti iuſſerat, ut Pompeium moneret, ne alio uteretbo, quàm eo qui ſibi ſportula demiſſus foret, humaniter interpolutari mora, donec Honorati conſilia lenirentur. Nec multo pò peius ex morte cardinalis Cardonii, Montis regalis in Sicilia in cerdotio ditatus eſt, facile id ingentibus ipſius meritis tribuentre. Eodemque anno quum aliquandiu in Brutiis, & deinde i cum Venetis atque reliquiis Gallorum uario euentu eſſet dir pax inter Gallum & Cæſarem inita eſt; ex cuius legibus exce & Veneti omnibus Apuliæ oppidis, & rex Gallus liberos cies centenis milibus aureorum perſolutis cum incredibili tæ lætitia incolumes recepit. Ea quoque æſtate, inter Clemen ſarem, amicitia renouata eſt, iis conditionibus ut Cæſar Maliam in celibatu ſuſceptam, Alexandro Medici iunioris La

deſponderet ; bellum aduerſus Florentinos ſuſciperet , ut Mediceis uetus in patria dominatus redderetur . Florentini enim natura Gallici nominis ſtudioſiſsimi , eiectis ſtatim Mediceis Lotrechio adhæſerant ; miſerant ad eum Neapolim auxilia ualidiſsimarum cohortium : profeſ ſiq́ue Gallorum amicitiam , Cæſarianos cunctis opibus oppugnabant , nunquàm futurum exiſtimantes,ut pontifex tantis affectus detrimentis, & tantis iniuriis exacerbatus, animum ad Cæſaris amicitiam reuocaret.

Venit inde in Italiam Cæſar, triremibus ab Auria Genuam deuectus . Nec multo poſt Cæſar Bononiæ à Clemente ſuſceptus coronatuſq́ue eſt ſolenni pompa, ipſo natalis ſui die , quum precibus pontificis , Venetorumq́ue , Franciſcum Sfortiam in complexum & gratiam recepiſſet , reddito ei Galliæ Ciſalpinæ imperio , de quo tantis inuectis cladibus , omni deuaſtata Italia dimicarant . Venerat per eos dies Solymanus ad Viennam oppugnandam , innumerabiles copias ducens . Sed ea urbe fruſtra, utpote ſine tormentis muralibus oppugnata, & deuaſtato demũ Norico , Pannoniæque agro Bizantium redierat , ita ut Germanis & Ferdinando Cæſaris fratri , qui Pannoniæ regnum armis petebat , grauiore fama quàm exitu formidinem incuſsiſſe uideretur . His enim de cauſis Cæſar moderato animo uictoria uſus , quod ab armatis eripi nequiuerat , æquitati & precibus ab eximia magnitudine animi conceſsit . Profectus eſt demum in Germaniam , tribuitque ſummam poteſtatem apud Neapolim Pompeio , quum Aurantius exercitibus in Ethruria præeſſet . integrum uero annum Florentini libertatem ſuam conſtantiſſime defenderunt , bellum adminiſtrante Malateſta Baleono , callido & forti duce , atque item Stephano Columna , uiro uigilanti atque impigro , qui Galliæ regis nutum atque imperium ſequi dicebatur . Binis caſtris urbem obſidebant , à citeriore parte Aurantius , ab ulteriore uero Vaſtius , interfluente Arno . Erantque his in caſtris præter Aſcanium & Sarram ætate maiores , Camilli duo & Martius Columnii iuuenes cohortium alarumq́ue præfecti,tanta militari cum laude, ut Pompeius ea ſobole iam planè adulta & ſtrenuè exercitata in caſtris, magnopere lætaretur . Cæterum uertente ſe anno, Florentini fame domiti dedi tionem fecerunt , quum ipſorum auxilia quæ ad opem ferendam Piſis aduentabant , Aurantius in agro Piſtorienſi profligaſſet . Sed in ea tamen uictoria ipſe dux cecidit , uacuamq́ue & liberam præfecturam regni Neapolitani Pompeio reliquit . Itaque biennium in adminiſtratione rerum publicarum uerſatus , eum in reddendo iure , recreandaq́ue prouincia & pecuniis exigendis iuſtitiæ , humanitatis & temperantiæ modum tenuit , ut quum ſeueritatem facilitate miſceret , & recentium cladium incommoda reſarciret , publicæque egeſtatis & ærarii pariter cauſam tueretur , ſingularis ei apud omnes ordines laus pararetur . Exhauſerat enim Cæſar frequentibus tributis totius regni urbes , Gallico

etiam bello afflictas; ipſamque Neapolim, quæ multo grauiora ab Hiſpanis & Germanis quàm ab ipſis Gallis hoſtibus detrimenta acceperat. Nec tamen deerant è Neapolitanis qui priuatam gratiam bono publico præferrent, & inuſitata rapacitate cogendæ pecuniæ rationes inuenirent, ut ea Barbari milites explerentur, qui & aliquot Campaniæ urbes, inſigniáque oppida auarè & crudeliter diripuiſſent. Sed Pompeius vultu, ſermone, ſententia expeditóque conſilio ſupra quàm dici poſsit admirabilis, ſingulis rebus remedia celeriter afferebat; caſtigabat acriter Hiſpanorum arrogantiam, Neapolitanorum iuuenum inſolentiam frenabat, Procerum ſuperbiam ſeueritate præſentis imperii ita contundebat, ut ex magiſtratus poteſtate maxime timeretur; quum priuatus in colloquio, ioco, uenatione, conuiuio, cæteros mortales exquiſita & nobili morum iocunditate ſuperaret. Inerat enim ingenio eius faſtus planè regius, quum inſolenter urgeretur; ex aduerſo autem ſi quid molliter poſtulares, ciuilis humanitas, adeo ut is omnium ſeueriſsimus ſimul atque leniſsimus haberetur. Mirificam etiam dignitatem rariſsimo quodam naturæ munere, in omni negocio actioneque ſemper afferebat. Erat enim amplo corpore, atque eo quidem animi ſimilitudine ad decus plurimum erecto, ſerena fronte, uiuacibus oculis, pleniore ore, eloquentia uero tanta, ut in ea, quum expediret, ſenatoria grauitas, libertas militaris, urbana comitas, optimarum literarum, & ueterum exemplorum conſperſa floribus ad admirationem eminerent. Sed eo irato nihil tumidius, aut truculentius, cui tamen amici & familiares ſemihoræ ſilentio feliciter occurrebant, adeo ut ipſe deferueſcente ſenſim iracundia, ſeſe ratione contineri, confutarique æquo animo pateretur. Sed ubi negocium poteſtatis ac imperii decus reſpiceret, erat egregie conſtans & inexorabilis, quum iuſtiſsimi regis perſonam omnino repræſentandam arbitraretur. Adeo ut Ioannem Contumacium, qui populi tribunus fuerat, falſi & peculatus reum, in foro prælta in furca ſuſpendi iuſſerit, quum ille ad mitiorem pœnam haud dubie in cuſtodia ſeruatus, crebro & impudenter, ut ſibi ius redderetur tanquam inſons & inique detentus flagitaret. Comminatus quoque eſt Salernitano principi ſumma familiaritate ſibi coniuncto, tanquàm reo læſæ maieſtatis, ſupremi imperii uim, niſi extemplo maleficum hominem ad carcerem ſtatuiſſet, qui è manibus præfecti uigilum elapſus, tanquam ad Aſylum in domum eius perfugerat. Annibalem quoque militem Formianum, ignis pœna ſeuerè admodum affecit, quum impotenter & graui quidem cum iniuria, adoleſcentuli pudicitiæ uim intuliſſet, quanquàm in huiuſmodi flagitio, ſi uis abeſſet, ſæpiſsime conniuendum exiſtimaret, & tum non amatorem, ſed uiolatorem ingenui corporis, ſe punire profiteretur. Detruncari etiam iuſsit leuam manum, (dextra ægrè impetrata) honeſtiſsimo equiti Neapolitano, & qui tum in ala Camilli fratris ſi-

lii militabat,quum ex iurgio gladium in atriis domus, in altercantis caput ſine uulnere diſtrinxiſſet; Idque unum pœnam deprecantibus amicorum præcipuis reſpondit. Ni ita feciſset,ueluti alita, auctaque audacia quæ Neapolitanorum animis inſita uideretur, non defuturum qui cubiculo ipſius ferrum inferre,& ad cædem enudare minime dubitaret. Seruauit tamen plurimos, quum ex ſeueritate legum capitis pœnam meritos,ad triremes relegare eſſet ſolitus, egeſtati, iracundiæ,& corrupti etiam ſæculi licentiæ,plura omnino cõdonanda,militibusque præſertim clementer indulgendum exiſtimans. Villam non longe à maris littore qua in occaſum plaga illa hortorum amœnitate pernobilis ad Coceii cryptam extenditur,citriorum ſylua & marmoreis fontibus exornarat; in eaque adeo multus erat ut ſua manu agriculturæ peritiſsimus & ſemper purpuratus arbuſculas inſereret, ſpectanteque populo, cum Neapolitanis hortorum amœnitati impensè ſtudentibus, de uario ſeminum genere,deque olerum nobilium, & peregrinorum florum plantatione diſſereret.Cæteras horas,ſobriusque præſertim Muſis dabat, quibus adeo oblectabatur,ut & ſtilum feliciter exerceret. Compoſuit enim lepidis argumentis aliquot minuta poëmata,in quibus Iſabellæ Villamarinæ Salernitani principis uxoris formam atque delitias elegantiſsimè depinxit.Hanc enim ſtudioſè colebat,atque ea ingenii libertate,ut nihil unquàm turpè à caſtiſsima fœmina cupiuiſſe teſtaretur.Scripſit demum grauiore conſilio laboreque, iuſtum uolumen de laudibus mulierum à multis priſcæ uirtutis exemplis atq. orationis iocunditate eruditorum lectione digniſsimum:quod ſe in honorem Victoriæ Columnæ gentilis ſuæ compoſuiſse dicebat; cui & non pari ſtudio, ob excelſam nobiliſsimi eruditiſsimique ingenii uirtutem,eximiamque Chriſtiani animi pietatem ſeptem libros de uita & rebus geſtis Piſcarii mariti ipſius inuictiſsimi ducis dicauimus.Quum in publico negocio priuatoque ocio, intermiſsa repetitaque ex occaſione clariſsimorum hoſpitum,uenationum,aucupiorumq.& piſcationum uoluptate liberaliter frueretur, ſeq. inuidiæ procerum ex ampliſsima regii imperii poteſtate expoſitum cõſpiceret, (Nam multi ex Hiſpanis & Belgis, ambitione & ſpe quæſtus ad eius præfecturæ munus aſpirabant) à Clemente poſtulauit, ut ſibi in Tuſculano ruſticari liceret. Reſpondebat pontifex ſe ſyncera fide erga ipſum poſt tantas clades in amicitiam receptum, dum uita ſupeteret, inter præcipuos habiturum,modo urbem potius quàm rura colere & ſe natoriis muneribus intereſſe uellet. Sed Pompeius nullam ſuſpicionem de ſalute ſuperfluam ratus,nullis pignoribus,aut uadibus adduci potuit, ut ad urbem regrederetur. Nec multo poſt Cæſare è Germania ad Pannoniæ fines properante aduerſus Solymanum, ut uniuerſis copiis cum rege Barbaro dimicaret, Pompeius Camillum & Martium fratrum filios cum delectis peditum cohortibus in Germaniam miſit,duce Vaſtio

qui ueteranos Hiſpanos & legiones Italicas ad Cæſarem perducebat. Inciditque paucos poſt dies in morbum ab initio contemnendum, ſed qui mox occultis inſidiis letalis atque ſupremus fuit. Vtebatur à prandio ſtatim æſtate pariter atque hieme, frigidæ potu ardente ſcilicet ſtomacho, qui à multo calore uel prædura cibaria perficere erat ſolitus. Sed uinum ineunte ſtatim æſtate niue è Samnii montibus quæſita affatim miſcebat, fruſtra damnantibus medicis, quorum placita ſerio & ioco, uti ancipitia atque incerta ſæpiſsime refellebat. Comederat & biferas ficus indulgenter. Itaque uixdum paratis remediis, permeante ad præcordia feruidæ febris ueneno ad quartum Calendas Iulias, intergerrimis ſenſibus è uita diſceſsit; ita ut in eo feſtinatæ mortis curſu, uitæ exitum intrepidus ſentiret, commendaretque animum ſuperis; nec ulla ſe grauiore moleſtia affici diceret, quàm quòd ante diem exactæ ætatis, præoccupante fato, familiaribus gratus eſſe nequiuiſſet; cogereturque diſcedere inuitus ex eo eruditorum iocundiſsimorumque amicorum cœtu, quo ſe tum maxime incomparabili percepta uoluptate, plurimum oblectare cœpiſſet. Aderat enim expiranti Auguſtinus Niphus Sueſſanus è ſecta Ariſtotelis philoſophorum ætate noſtra celeberrimus, & plerique alii uiri graues, in liberalibus diſciplinis cum laude uerſati, qui morientem, uti patronum inexauſtæ liberalitatis, parentemque omnium ueriſsimis lachrymis luxerunt; Intempeſtiuus enim uidebatur interitus, quòd nondum quinquageſimum tertium ætatis annum expleuiſſet. Nec defuêre qui ueneno ſublatum ſuſpicarẽtur perfidia Philippi Galli qui ab ætatis flore & muſicæ artis peritia domino charus, epularũ demum ſtructor euaſerat, & à pontifice patrati ſceleris præmia expetiſſe dicebatur. Sed tum medici & pollinctores, exenterati uiſcera nullo ueneni indicio notata retulerunt. Nec ad mortis nuncium Clemens ullum omnino lætitiæ ſignum uultu prætulit, quanquàm à ſacerdotio ualde opulento, inſignique inter ſenatores officio adornandum Hypolitum Medicem ei perampla hæreditas obueniret. Verùm ſeuerè contraxit frontem, uel ob id quod Pompeius eodem anno mẽſeque, quo ipſe natus, immaturè atque hominum opinione celerius, è uita diſceſsiſset, quum præſertim tanta uis ſpiritus, & ea quidem aduerſus morbos indomita, robuſto in corpore uigere uideretur. Magnopere enim Clemens ex alienis fatis omine concepto, mortem timebat, quum alioqui nihil ſaluti molliter indulgendo, uitam contemneret. Prorupit tamen in longos ſermones de Pompeii moribus ex animo iudicium ferẽs, quum honeſtiſsimi uiri qui tum aderant, amore uel odio mortui famam diuerſis ſententiis excuterent; & ipſe ante omnes Pompeium ab eximiis ingenii naturæque dotibus uerè magnum fuiſse teſtaretur, ſed aculeatè ſubiungeret Pœni Annibalis exemplo, uel maximas eius uiri uirtutes, ingentibus uitiis adæquari. Appellarãt enim eum nonnulli ingenio repentinum & inconſtantem, natura factioſum &

tumi

tumidum, consilioque maximè uastum, & libidine adeo intemperantem, ut quum liberos suscepisset, illicitis etiam amoribus deseruiret. Ego certe qui forte sermonibus intereram, multa ex his ad calumniam supra æquum adaucta ab inimicis arbitrabar; reuocabam item ad memoriam ferè omnia que uir illa ab ineunte ætate, in lorica pariter & purpura, ad extremum usque uitæ actum, strenuè atque magnificè peregisset; ita ut ab incomparabili maximarum uirtutum concursu memorabile posteris eius nomen futurum putem; quum nemo hodie in toto diuinarum atque humanarum rerum officio, laudandum admirandumque se offerat, uel magnitudine animi, uel personæ dignitate, uel authoritate nominis, uel deniq. disciplina, splendore, fortunaque Pompeio maior & illustrior; modo odium faceſſat, decedat inuidia uirtutis comes, omnisq. simultas humaniter, ipso saltem uitæ exitu terminetur.